JESAJAE VATICINIA

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

VOLUMEN PRIMUM.

EDITIO TERTIA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXIX.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM.

PARTIS TERTIAE,

IESAIAE VATICINIA CONTINENTIS,

VOLUMEN PRIMUM.

EDITIO TERTIA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXIX.

Noſtra interpretatio ſi longa tibi videbitur, non mihi imputes, ſed Scripturae Sanctae difficultati, praecipueque Iſajae prophetae, qui tantis obſcuritatibus involutus eſt, ut prae magnitudine rei brevem explanationem putem, quae per ſe longa eſt. Certe nos ſtudioſis ſcribimus, et Sanctam Scripturam ſcire cupientibus, non faſtidioſis, et ad ſingula nauſeantibus.

Hieronymus *Praefat. ad Commentar. in Jeſajam* L. VIII.

NOTITIA INTERPRETUM

QUIBUS

IN HAC VATICINIORUM JESAJAE EXPLICATIONE

USI SUMUS.

I. Ex Hebraeis:

Salomonis Jarchi, Iſaaci fil., Hebraeis per compendium literarum vulgo רש״י (id est רַבִּי שְׁלֹמֹה יִרְחִי), *Raſche*, dicti, celeberrimi maximaeque apud ſuos auctoritatis, qui inde a medio ſeculo undecimo aerae Chriſtianae in Gallia floruit, *Commentarius in Jeſajam* exſtat una cum Commentariis in reliquos V. T. libros in Bibliis Rabbinicis Buxtorfianis (Baſil. 1618. 1619. 4 Voll. fol.). Latine, interprete *Jo. Frid. Breithaupt*, Goth. 1713. 1714. 3 Voll. 4.

Abraham *Meir fil.* Aben-Esrae, Toletano-Hiſpani, mort. circa ann. 1168., *Commentarius in Jeſajam* legitur in Bibliis Buxtorfianis Vol. III. inde a fol. 511. Cf. *Elenchum interpretum* Jobo praemiſſum.

Davidis Kimchi, Joſephi fil., Hebraeis per compendium literarum רד״ק (i. e. רַבִּי דָוִד קִמְחִי) *Radak* vulgo dicti, Hiſpani, qui claruit ſeculo

 XII.

XII. exeunte et ineunte XIII., *Commentarius in Jesajam* itidem in Bibliis Buxtorfianis exstat. Latine, interprete *Caesare Malanimeo.* Florent. 1774. 4.

Don Isaaci Abarbenel, Ulyssiponensis, nati a. 1437., פירוש על נביאים אחרונים, i. e. *Commentarius in prophetas posteriores,* Amstelaed. 1641. fol. Cf. *Elenchum Interpretum* Ezechieli praemissum p. IV.

ספר ישעיה מתורגם אשכנזית ומבואר מאת דוד אטטענזאסער. גם הצגתי בו פירוש הנשר הגדול רש"י זצ"ל, ובכל מקום בפירושו מלת בלע"ז בא בצדו באר היטיב פירושו בל"א ונלוה אליו פירוש מכלל יופי, שכל דבריו כנופך ספיר ויהלום, מבאר בקצרה כל סתור ונעלם. נדפס בפיורדא בבית ובדפוס התורני כהר"ר איצק יצ"ו בן המנוח התורני כהר"ר דוד צירנדארף ז"ל. בשנת ה' תקס"ז לב"ע, i. e. *Jesajas,* germanice versus et explicatus [commentario hebraice scripto] a *Davide Ottenzoser.* Collocavi quoque in eo [volumine] Commentarium aquilae magnae, Raschi, memoria justi esto in benedictionem! et ubicumque in ejus Commentario vox linguae peregrinae occurrit, addita est ejusdem interpretatio germanica. Adjunctus est commentarius *Michlal Jophi,* i. e. perfectio decoris [Ps. L, 2.] dictus, cujus verba omnia sunt [pretiosa] instar chrysoprasi, sapphiri et adamantis, omnia occulta et obscura succincte explicans. Fürthae, aedibus et typis peritissimi Domini *Isaaci,* quem rupes ejus et redemptor custodiat, filii beati peritissimi Do-

Domini *Davidis Zürndorf*, cujus memoria ſit benedicta! Anno mundi conditi 5567., i. e. 1807. aerae Chriſt. 8.

II. E Patribus:

Hieronymi *Commentarii in Prophetas Majores* exſtant in *Tomo Quinto* omnium Operum Hieronymi. Baſil. 1516. Fol. T. V. ed. Tribbechov. Frcof. 1684., T. III. edit. Martianay, Paris. 1704. T. IV. edit. Vallarſii, Veronae, 1736. fol. T. IV. P. I. edit. Venet. 1768. 4.

Quemadmodum inter graecos ſacri ordinis patres Origenes; ita inter latinos Hieronymus princeps fuit ſacrae ſcripturae interpres. Quum enim linguarum ebraeae, chaldaeae, graecae et latinae peritus eſſet, interpretationibus graecis, quae in Origenis Hexaplis erant, uteretur, eruditos Judaeos conſuleret, Graecorum Latinorumque ſcriptorum commentarios legeret, iis ſane ſubſidiis inſtructus erat, quae ad codicem divinum, rite explanandum, neceſſaria ſunt. Multa ſunt in ſcriptis illius exegeticis utilia et laude digna. In ſenſu litterali inveſtigando majus ſtudium collocavit, quam reliqui hujus generis doctores. Nemo tamen facile exiſtimabit, eum vitiorum exſtitiſſe expertem. Loca nonnumquam ita explicat, ut haud conſideret, qualis ſit orationis nexus, ac quamvis ſenſum ſcripturae litteralem diligenter eruat, myſticum tamen quoque conſectatur, atque hac in re interdum ingenio ſuo nimis indulget. Cf. Patris *Hiſtoriam Interpretationis librorum Sacrorum in eccleſia Chriſt.* T. III. (Lipſ. 1807.) p. 329. ſeqq.

Ephremi, Niſibeno-Syri, Theologi Edeſſeni (clar. circa annum 370.) Commentarius in Jeſajam, ſermone Syriaco conſcriptus, legitur in Ejus Operum Syriace et Latine a *Petro Benedicto*. Romae 1740. fol. editorum *Tomo ſecundo*.

 Theo-

Theodoreti, Epiſcopi Cyrenſis (clar. circa annum 420.), praeſtantiſſimi eccleſiae Graecae interpretis, Commentarius in Jeſajam legitur in Ejus Operibus a Sirmondo editis T. II., et in edit. Halenſi (1770. in octon.) T. II. p. 165. ſeqq.

III. E Chriſtianis interpretibus recentioribus:

A) Qui totum Vetus Teſtamentum notis illuſtrarunt:

Critici Sacri; ſive clariſſimorum virorum in ſacroſancta utriusque foederis Biblia doctiſſimae adnotationes, atque Tractatus Theologico-Philologici. Lond. MDCLX. Fol. T. IV. (ſeu edit. Frcof. ad Moen. 1695. T. II.) Annotata in Jeſajam continet.

Sebaſt. Munſteri, Franciſc. Vatabli, Sebaſt. Caſtalionis, Iſidori Clarii, Franciſci Forerii, Jo. Druſii, Hug. Grotii annotationes in Jeſajam ibi recuſae inveniuntur.

Primus eſt *Sebaſtianus Munſterus.* Conſtat omnino, eum inter aequales ſuos Linguae Hebraeae peritiſſimum fuiſſe, et Hebraeorum magiſtros, ſive Rabbinos, adire et legere potuiſſe, quos vero cum nimis conſulat, Judaismos ſuis notis intermiſcuit. Ubique in ſignificationibus vocum genuinis inveſtigandis illos ſequitur, nullo delectu et discrimine habito. Praeterea ejus obſervationes meris ſaepe nituntur conjecturis, quas tamen multa cum ſiducia, quaſi res indubitatas ac certas profert.

Vatabli notae ſecundo loco poſitae ſunt. Textus difficultates praecipue explanare ſtudet. Rabbinos vulgo, inprimis Dav. Kimchi, ſequitur. Ejus notas perpetuas vocare poſſis, nihil enim occurrit, quod non perſpicue admodum et breviter explanet, imo, ut omnibus utilis ſit, in

in iis quandoque haeret, quae non videntur ulla difficultate laborare.

Sebaſtiani Caſtalionis notae tertio loco ſunt. Non ita Judaica eruditione refertae ſunt, ac aliorum. Quia humaniores litteras excoluerat, multa ex illis inſpergit hic illic. Nec injucundus eſt, nec a textu nimis recedit.

Iſidorus Clarius eſt Munſteri Notarum exſcriptor, quique proinde omittendus erat.

Franciſci Forerii, Luſitani Ulyſſiponenſis, Commentarius, qui primum prodiit Venet. 1553. fol., dignus ſane erat, qui huic collectioni insereretur. Indagavit in ſingularum vocum proprias ſignificationes, et integrarum ſententiarum ſenſum et nexum, non minori diligentia quam judicio. Haud raro textum Hebraeum ex conjectura emendare tentavit, id quod ſaltem liberalioris illis temporibus interpretis indicium eſt. Interfuit Forerius Concilio Tridentino, ibique graves turbas in coetu per ſermonem de poteſtate et inſtitutione ſacerdotum excitavit. Multa in illo ſermone dixit, quae congregatis Patribus minime placere potuerunt, et quae a Luſitanis Theologis poſtero die non damnata, verum aliter expoſita ſunt.

Joannis Druſii Fragmenta Veterum Interpretum Graecorum ex Hieronymo et Procopio jure meritoque in hac collectione locum tenent. Omnes, qui harum rerum periti ſunt, magni faciunt illa fragmenta: nam adnotationes acceſſerunt elegantes ac perutiles.

De *Hugonis Grotii* Annotationibus mox ſeorſim dicemus.

Synopſis Criticorum aliorumque Sacrae Scripturae Interpretum et Commentatorum ſummo ſtudio et fide adornata a Matthaeo Polo, Londinenſi, Vol. III., *Complectens Prophetas omnes, cum Majores, tum Minores, nobis dictos.* Fcof. ad Moen. MDCLXXIX. Fol.

Uſi

Usi simus hoc opere praecipue ob *Annotationes*, quae in illo inveniuntur, *Anglicanae* S. Scripturae versioni illustrandae inservientes, quarum illa pars, quae Jesajam et Jeremiam complectitur, a *Gatakero* concinnata est.

Brentii *Commentarius in Jesajam* extat in *Tomo Quarto* Operum illius, Tubing. MDCLXXV. *octo* Tomis Fol. editorum.

Brentius inter aequales suos magnam laudem ob expositionem scripturarum sacrarum consequutus est, sibique inter interpretes ecclesiae nostrae post Lutherum locum praecipuum conciliavit. Illustravit plerosque libros divinos, ac quamvis maxime dogmaticam explicandi rationem sequutus sit; minus tamen neglexit, quae ad voces, dictiones earumque significationes pertinent. Textum Masorethicum non tanta superstitione veneratus est, quam multi recentiores ecclesiae suae Theologi. Exemplum vid. Jesaj. II, 6. p. 75.

Hugonis Grotii *Annotationes in Vetus Testamentum emendatius edidit*, et brevibus complurium locorum dilucidationibus auxit *Geo. Joa. Ludov. Vogel*, Philos. in Academ. Halensi Prof. Publ. Hoc opus tomis tribus 4maj. prodiit *Halae* MDCCLXXV. Sed Vogelius ipse *primum* tantummodo tomum edidit; duorum posteriorum editionem *Doederlein* curavit.

Grotii merita de recta et liberaliori sacrorum librorum interpretatione satis nota sunt. Laudem potissimum meretur, quoniam Veteres Graecos interpretes cum Hebraeo comparavit, atque ad vates Hebraeos illustrandos exteris poetis saepe felicissime usus est. *Vogelii* Notae breves quidem, sed bonae frugis sunt.

Ludovici de Dieu *Critica Sacra; sive animadversiones in loca quaedam difficiliora Veteris*

teris et Novi Testamenti, variis in locis ex auctoris manuscriptis aucta. Suffixa est Apocalypsis Joannis Syriaca, quam ante aliquot annos ex manuscripto Josephi Scaligeri auctor primum edidit, versione latina notisque illustravit. Amstelod. MDCXCIII. Fol.

Inter praestantissimos Litterarum Sacrarum interpretes *de Dieu* jure locum obtinet. Quum linguarum Syriacae, Arabicae, Persicae, Aethiopicae peritissimus esset ac versionibus sermonum Orientis uti posset, praesidiis his instructus, multis Scripturarum locis lucem adtulit, ac maxime vocum significationem feliciter indagavit.

LUDOVICI CAPPELLI, S. Theologiae olim in Academiae Salmuriensi Professoris, *Commentarii et notae criticae in Vetus Testamentum. Accessere* JAC. CAPPELLI, Ludovici Fratr., in Academia Sedanensi S. Theol. olim Professor., *Observationes in eosdem libros, item* LUDOVICI CAPPELLI *Arcanum Punctationis, auctius et emendatius, ejusque Vindiciae, hactenus ineditae. Editionem procuravit* JACOB. CAPPELLUS, Ludov. Fil., Hebr. in Acad. Salmur. nuper Professor. Amstel. MDCLXXXIX. Fol.

Ludov. Cappelli studium maxime in eo versatum fuit, varias lectiones Textus Hebraei, quantum fieri potuit, animadvertere. Multa certe adnotavit, quae erudita sunt atque utilia. Interim non est negandum, illum varias lectiones conquirendi studio non raro illas nimis multiplicasse. Quare Cappelli scripta cum judicio legi debent.

Jo. COCCEJI *Commentarius in Jesajam* extat in Tomo II. Operum ejus. Amstelod. MDCCI. Fol.

Sin-

Singularem scripturas sacras explanandi rationem sequutus est Coccejus. Non solum statuit, verba illarum significare omnia, quae significare possunt; verum etiam nimium studium interpretationum mysticarum, speciatim typicarum, prodidit: ubique typos de Christo deque fatis Religionis Christianae invenisse sibi visus est. Eam ob rem impugnatus est; quumque non deessent, qui eum sectarentur, ortae sunt, maxime in Belgio, controversiae. At vero, quamvis ob ea, quae memoravi, recte reprehensus fuerit Coccejus; negandum tamen non est, merita ejus in Scripturarum interpretationem non esse mediocria. Ostendit in Commentariis suis eximiam linguarum Ebraeae et Graecae peritiam, incredibilem in conferendis locis industriam, magnam judicii atque ingenii vim: unde etiam factum est, ut locis obscurioribus haud paucis majorem adtulerit lucem.

Veteris Testamenti Prophetae ab Esaja ad Malachiam usque ex translatione Joannis Clerici, *cum ejusdem Commentario philologico et paraphrasi in Esajam, Jeremiam, ejus Lamentationes et Abdiam.* Amstelod. MDCCXXXI. Fol.

Uti Clericus in aliis ingenii sui monimentis singularem eruditionem aeque ac judicandi facultatem probavit; ita eandem in Commentariis in V. T. abunde ostendit. Multa in iis dixit praeclare, perspicue, ac quando ab aliis dissentit, modeste; multis rebus obscurioribus lucem adtulit. Sed Commentarii posteriores, quibus prophetas ac libros hagiographos illustravit, minorem industriam prae se ferunt, quam priores in Pentateuchum et libros historicos.

Joannis Henrici Michaelis Annotationes in Jesajam, in ea Bibliorum Hebraicorum editione, quae Halae MDCCXX. in 8. prodiit, ob diligentem locorum parallelorum comparationem, subtiles

etiam

etiam et accuratas disquisitiones in singulorum verborum significationes genuinas, utilissimae sunt.

FRIEDRICH EBERH. BOYSENS *Kritische Erläuterungen des Grundtextes der heiligen Schriften des alten Testamentes. Neuntes Stück, die Propheten.* Halle 1764. 8.

Sine damno his notis carere potuissemus. Pleraque in iis quae ad Jesajam spectant, ex *Büschingii* epitome Commentarii Vitringani, germanice facta, compilata sunt. Vocum Hebraicarum significationes praecipue ex dialecto Arabica illustrare tentavit, sed ita, ut facile videas, Virum, alias *meritissimum*, tantum ex Lexico Goliano sapuisse. Occurrunt tamen subinde observationes non contemnendae.

Uebersetzung und Erläuterung des Propheten Jesaja. Entworfen von D. JOH. HEINR. DAN. MOLDENHAUER, *Pastor. am Dom in Hamburg.* Quedlinburg. 1780.

Bonis haud dubie interpretibus Moldenhauerus accensendus est. Diligenter vocum dictionumque veram significationem et vim indagavit; nec codicum et versionum antiquorum subsidia neglexit.

JOH. DAV. MICHAELIS *deutsche Uebersetzung des alten Testaments, mit Anmerkungen für Ungelehrte. Der achte Theil, welcher die Weissagungen Jesajä enthält.* Götting. 1779. 4.

Ut omnia Michaelis scripta, ita hae notae etiam, produnt egregiam historiae, morum, naturae et Geographiae Orientis scientiam. In versione saepius, quam necesse erat, a Masorethico textu recedit. Omnium vero suarum textus recepti mutationum rationem reddidit in *Biblioth. Orient.* Tom. XIV. et in Appendice ad huc Tomum, seorsim addito.

Die

Die Bibel alten und neuen Testaments mit vollständig erklärenden Anmerkungen von Wilh. Friedr. Hezel (Prof. Lingg. OO. Gieſſ., tum Dorpat.). *Fünfter Theil, welcher die Sprüche, den Prediger, das Hohe Lied Salomonis, und den Propheten Jesaja enthält.* Lemgo, 1784. 4.

Hezelium de V. T. libris, ad vulgarem hominum etiam non doctorum captum ſapienter et utiliter accommodandis optime meritum eſſe, inter omnes convenit. Singulis libris ſua praemiſit prolegomena, vernaculam Lutheri verſionem notis idoneis, ubi opus erat, vel illuſtravit, vel emendavit, eruditos aliorum labores docte conſuluit, et adhibito prudenti delectu in rem ſuam convertit, parcius etiam, et ubi ob magni alicujus nominis auctoritatem periculum metuendum videbatur, modeſte reſutavit, et novis denique acceſſionibus auxit.

Prophetae majores ex recensione textus Hebraei et versionum antiquarum Latine versi, notisque philologicis et criticis illustrati, a Jo. Aug. Dathio, Theol. Doct. et Prof. Ling. Hebr. in Academ. Lipſ. Editio prima prodiit Halae MDCCLXXIX., ſecunda ibid. MDCCLXXXV. 8.

In Codice Sacro vertendo Dathius a prophetis minoribus duodecim exorſus eſt, quorum verſionem Anno MDCCLXXIII. edidit. In praefatione ad hanc verſionem regulas expoſuit, quas ſibi praeſcripſerat; et juxta easdem regulas et hanc majorum Prophetarum verſionem concinnavit. Nusquam paraphraſten egit, neque de verbo ad verbum transtulit, ſed ut genuinum Prophetae ſenſum rite exponeret, geniumque linguae Hebraeae in latinum ſermonem transferret, ſibi propoſuit. — Notae duplicis generis ſunt. Aliae philologicae ſunt, aliae criticae. Illas verſioni ſub-

subjecit, has in fine in uno quasi fasciculo collegit. In notis *philologicis* partim res explicavit, partim rationem reddidit versionis suae, quando ea a vulgari interpretatione recedit. Utrumque tamen non factum est, nisi in iis locis, in quibus lectores, qui versionem cum textu Hebraeo conferre velint, fortasse haereant. Potuissent quidem longe plures hujus generis annotationes addi; sed non est reprehendendus Dathius, quod id non fecerit; commentarium enim scribere noluit. Nos plerasque illas notas in usum nostrum convertimus, indicato tamen semper Dathii nomine. In *notis criticis* omnium mutationum, quibus a recepta textus lectione discessit, rationem reddit. Minus saepe tamen illud fecit, et non nisi tum, cum lectio recepta nullam interpretationem *probabilem* pati sibi videbatur.

B) Qui Jesajae Vaticinia seorsim interpretati sunt, vel illorum explicationi inserviunt.

Joannis Calvini *Commentarii in Jesajam Prophetam. Primum collecti opera et diligentia Nic. Gallasii, deinde locupletati et expoliti magno labore et cura ipsius Auctoris, nunc tertio recogniti et aucti ampla accessione locorum scripturae, qui passim in toto opere citantur. Additi sunt in fine indices locupletissimi. Editio tertia.* Genev. MDLXX. Fol.

Quamquam parum Hebraice Calvinus calluit; tamen, cum acri et subtili ingenio polleret, multa in ejus interpretationibus inveniuntur, quae ad vatis Hebraei sensum percipiendum utilissima sunt. Multa immiscet, quae ad Ethicen et Theologiam Dogmaticam spectant.

In Esajam Prophetam Commentarii locupletissimi ac recens editi, per Wolfg. Musculum, *Dusanum, una cum gemino Indice locorum S. Scri-*

S. Scripturae et rerum et vocum in his praecipue memorabilium. Basileae MDLXX. Fol.

Optimis sui temporis interpretibus accensendus est Musculus. Ratio, quam in suis Commentariis sequitur, fere haec est. Primum quidem varias veterum interpretum Graecorum Latinorumque interpretationes producit, quibus interdum recentes adjungit, mox textum ad litteram explicat, post ethica quaedam subjicit. Profecto legitimam methodum sacras litteras interpretandi vidit et agnovit; verum quia non satis in Critica exercitatus erat, rem perficere nequivit. Absque tamen praejudicio veteres interpretationes expendit, et satis perspicax extitit, qui Puncta Vocalia hodierna nupera esse agnoverit.

Casparis Sanctii, Centumputeolani, e Societate Jesu Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum litterarum interpretis, *in Esajam Prophetam Commentarii, cum paraphrasi et indicibus utilissimis.* Mogunt. 1616. Fol.

Planam singulorum capitum paraphrasin tradit, cujus rationem reddit in subjuncto commentario, in quo multa utilia occurrunt. Praecipue imagines poeticas Hebraeis proprias exposuit. Raro ad singulorum verborum interpretationem descendit.

Sebastiani Schmidii *Commentarius super illustres Prophetias Jesajae, in quo singula capita resolvuntur, et adnotationibus ad singulos versus illustrantur, una cum adnotationibus in VIII priora capita libri Josuae.* Hamburg. MDCCII. 4.

Commentarium hunc non ipse quidem Schmidius, sed Sandhagenius edidit; ille tamen, quum prodiret, adhuc vixit ac de isto edendo consensit. Ea tantum in hoc commentario exhibentur, quae a Schmidio in scholis, quum ille

Jesa-

Jesajam explanaret, tradita sunt, hancque ob rem mirum non est, multa esse praetermissa, multa non diligenter atque accurate enarrata. Nec tamen, quum Schmidius in sacrorum librorum interpretatione satis exercitatus esset, caret bonis singulorum locorum expositionibus.

Campegii Vitringae *Commentarius in Librum Prophetiarum Jesajae, quo sensus orationis sedulo investigatur: in veras visorum interpretandorum hypotheses inquiritur, et ex iisdem facta interpretatio antiquae historiae monimentis confirmatur atque illustratur, cum Prolegomenis.* Pars Prior. *Insertae sunt operi notitiae gentium exterarum, Babyloniorum, Philisthaeorum, Moabitarum, Syrorum, Damascenorum, Aegyptiorum, Arabum, Cuschaeorum et Tyrorum.* Leovard. MDCCXIV. Fol. *Pars posterior,* cui praeter indices verborum et rerum, accessit *tabula topographica antiquae Moabitidis, ad prophetiam de hac gente rectius intelligendam concinnata.* Leovard. MDCCXX. Fol., et Basil. 1732. duob. voll. Fol.

Omnes ante ipsum Jesajae interpretes Vitringa post se reliquit. Ad opus ipsum omnibus adjumentis Philologiae, Criticae, Historiae, atque aliis, abunde instructus, uti accessit, ita illud feliciter confecit, et commentarium exhibuit, qui insignem ac rariorem eruditionem, non mediocrem judicii vim, multam adcurationem, magnam diligentiam ostendit. Interpretatus est diligenter non solum voces atque in earum significationes inquisivit; sed etiam res ex Historia et Geographia illustrandas, magno eruditionis apparatu exposuit. — Quum autem Commentarius hic saepe nimis copiosus sit, nec raro, Cocceji exemplum sequutus, sensum

 mysti-

mysticum feetetur, Anton. Friderr. Büschingius contraxit eum, ac veluti epitomen composuit, lingua germanica; passim etiam notulas adjecit. Prodiit liber hoc titulo: Campegii Vitringae, *ehemaligen berühmten Doctoris der heiligen Schrift, und öffentlichen Lehrers derselben zu Franecker, Auslegung der Weissagung Jesajae. Erster Theil. Mit einer Vorrede Sr. Hochw. Herrn Joh. Lorenz von Mosheim.* Halle 1749. *Zweiter Theil.* ibid. 1751. 4.

Car. Ludov. Hoheisel, Graecae et OO. LL. Prof. Ord. in Athen. Gedanensi, *Observationes philologico-exegeticae, quibus nonnulla δυσνόητα Esajae loca ex indole Linguae S., ex accentuatione Ebraeorum et antiquitatibus illustrantur et exponuntur, aliorumque versiones et interpretationes modeste examinantur.* Gedani 1729. 8.

M. Georg Joh. Ludw. Vogels, Beysitzers der philosophischen Facultät zu Halle, *Umschreibung der Weissagungen des Propheten Jesajas.* Halle 1771. 8.

Ad integrorum capitum et vaticiniorum nexum perspiciendum non inutilis est haec paraphrasis. Singulis capitibus praepositum est argumentum, quod totius sectionis summam breviter enarrat, et de tempore, quo vaticinium quodque editum est, inquirit.

Neue Uebersetzung der Weissagung Jesajae, Joels, Amos, Obadja und Micha nach dem hebräischen Text, mit Zuziehung der griechischen Version, von Christ. Gottfr. Struensee, *Rector der Domschule zu Halberstadt.* Halberst. 1773. 8.

Breves

Breves notae adjectae ſunt, in quibus de verſione rationem reddit. Juſto plus tribuit verſioni Alexandrinae; quum tamen ſatis conſtet, Jeſajam ab Alexandrinis vitioſiſſime translatum eſſe.

Die Weiſſagungen des Propheten Jeſajas überſetzt von Joh. Heinr. Walther, *des theologiſchen Repetenten-Collegii zu Göttingen Mitgliede. Mit einer Vorrede begleitet von Sr. Hochw. Herrn* D. *Gotth. Traug. Zachariae.* Halle 1774. 8.

Senſus verborum et ſententiarum plerumque plane et recte in verſione expreſſus eſt; raro autem illa aſſurgit ad textus Hebraei ſublimitatem. Verſioni breves notae ſubjectae ſunt, quae partim ſententias et imagines poeticas plenius explicant, partim de ſingulorum verborum interpretatione rationem reddunt. A textu Maſorethico non recedit, niſi quod nonnullas punctorum vocalium et accentuum mutationes permiſerit.

Eſajas ex recenſione textus Hebraei ad fidem Codicum Manuſcriptorum et Verſionum antiquarum latine vertit notasque varii argumenti ſubjecit Jo. Christ. Doederlein, primum prodiit Altdorf. MDCCLXXV. 8., altera vice ibid. MDCCLXXX. tertia ibid. MDCCLXXXIX.

Doederlinii merita ut de univerſa Theologia, ita nominatim de Jeſajanorum vaticiniorum interpretatione maxima eſſe, inter omnes conſtat. In praefatione ad editionem primam dicit, ſe easdem quas Dathius in Praefatione ad verſionem Prophetarum minorum, interpretandi leges ſibi praeſcripſiſſe. Adnotationes jam verborum ſignificationes indagant et oſtendunt, jam locorum rationes exponunt, jam

de rebus ipsis ac argumento vaticiniorum tractant. Produnt illae omnes eximiam elegantemque eruditionem, miramque judicii atque ingenii vim.

Christ. Aug. Crusii, Theol. in Acad. Lips. Prof., *Hypomnemata ad Theologiam propheticam. Pars tertia et ultima. Hypomnemata ad librum prophetiarum Jesajae complexa.* Lips. 1778. 8.

Isajah. A new Translation, with a preliminary dissertation, and notes, critical, philological, and explanatory. By Robert Lowth, *D. Lord Bishop of London.* Lond. 1778. 4maj.

Dignus certe Jesajas fuit, qui Lowthum nancisceretur interpretem, qui et ipse poeta fuit, et ingenium suum Graecorum Latinorumque lectione expolivit: unde factum est, ut is in versione ingenium vatis Hebraei melius expresserit, quam ullus alius ante ipsum. In Dissertatione praemissa agit de metro Hebraico, de legibus, quas in vertendo sibi praescripserit, de textu hodierno, et variis illum emendandi subsidiis. Notae praecipue in dictionum et imaginum poeticarum expositione versantur, in qua exercitatissimum et felicissimum Lowthum fuisse, omnes consentiunt. Quoniam vero reliquarum Orientis dialectorum cognitione penitiore carebat; factum est, ut Hebraica nonnumquam minus recte explicaret, ubi pulcherrimos sensus fundunt, novasque praeter necessitatem moliretur lectiones, sive textus, sive vocalium. Vix in Anglia prodierat hic liber, cum in Germania ejus versio pararetur, quae sic inscripta est:

D. Robert Lowth's, *Lord-Bischofs zu London, Jesajas, neu übersetzt, nebst einer Einleitung und kritischen, philologischen und erläuternden Anmerkungen. Mit Zusätzen und An-*

Anmerkungen von Joh. Benjamin Koppe, *der Theologie ordentl. Professor, und erstem Universitätsprediger zu Göttingen. Erster Band.* Leipz. 1779. 8. *Zweyter Band.* 1780. *Dritter Band.* 1780. *Vierter Band.* 1781.

Koppii notae libri decus dici merentur. Pleraeque sunt philologicae et criticae et satis diligenter in illis versiones antiquae conferuntur. Primus Koppius vidit, non omnia quae Jesajae nomen gerunt, ab eo esse profecta. Cum Jesaja Lowthiano jungendae sunt:

Vindiciae S. Textus Hebraei Esajae Vatis adversus D. Roberti Lowthi Criticam. A Dav. Kochero, *V. T. et Lingg. OO. Prof. Bernae.* MDCCLXXXVI. 8.

Jesajas metrisch übersetzt mit Anmerkungen, von Joh. Dav. Cube. *Erster Theil.* Berlin 1785. 8. *Zweyter Theil*, ibid. 1786.

Eleganter Cubius vertit. Notae maxime criticae sunt. Sequitur plerumque Lowthum et Koppium. Ceterum haec translatio non est finita; nam Tomus Secundus definit Capite XXXIX.

Jesajas, aus dem Hebräischen übersetzt und mit Anmerkungen erläutert, von D. Georg Friedr. Seiler. Erlangen 1783. 8.

Confecit hanc versionem Vir de litteris sacris longe meritissimus maxime ad usum popularem; cui optime inservit. Sed quum haec translatio concinnata sit a viro in Scripturarum interpretatione exercitatissimo; docti quoque multa sibi utilia, et ab aliis interpretibus non tacta in illa invenient.

Jesa-

Jeſajas, neu überſetzt, mit Anmerkungen, von Christ. Gotth. Hensler, *der Theologie Prof. zu Kiel.* Hamb. 1788. 8.

Deſtinavit Henslerus hanc verſionem non ſolum Philologiae Sacrae cultoribus, ſed iis etiam, qui linguae Hebraeae peritia carent. Horum in uſum totius libri verſioni adjectae ſunt in ſingula capita notae, quae breviter quidem, ſed perſpicue et plane res et ſententias poetae exponunt. Subjectus eſt index mutationum, quibus in vertendo a textu recepto diceſſit. Nec tamen multae illae ſunt, et permiſit Henslerus ſibi plerumque punctorum tantummodo vocalium permutationes, atque alias vocum et litterarum diviſiones. Accedunt denique prolixiores annotationes in ſingula loca, quae aliter interpretatus eſt, quam ante ipſum interpretes.

Jeſajas. Erſter Theil. Neu überſetzt und kritiſch bearbeitet von Gerh. Kraegelius, *Prediger in Lippſtadt.* Brem. 1790. 8.

Neutiquam modeſti critici nomen Kraegelius meretur. Saepe ubi textus Hebraeus aptiſſimum ſenſum fundit, ibi illum ſive ex unius alteriusve codicis lectione, ſive ex aliquo veterum interpretum, ſive ex conjectura immutandum arbitratur; quod certe multo rarius feciſſet, ſi et linguae Hebraeae proprietatis, et Orientalium poetarum ingenii peritior fuiſſet.

Philologiſcher Clavis über das Alte Teſtament für Schulen und Academien. Jeſajas. Von Heinr. Eberh. Gottl. Paulus. Jena 1793. 8.

Der Prophet Jeſaja. Ueberſetzt und mit einem vollſtändigen philologiſch-kritiſchen und hiſtoriſchen Commentar begleitet von Wilh. Gesenius. *Erſter Theil. Ueberſetzung.*

Zwey-

Zweyten Theils erste Abtheilung: Einleitung und Commentar über Capitel I—XII. Zweyte Abtheilung: Commentar über Capitel XIII—XXXIX. mit einer Charte. Dritte Abtheilung: Commentar über Capitel XL—LXVI. nebst einigen Beylagen und den Registern. Leipzig, 1821. 8.

Scripta minora et Dissertationes, quibus singula loca illustrantur, in ipsa explicatione suis locis laudantur.

RERUM
JUDAICARUM ET ISRAELITICARUM
INDE AB USIA
USQUE AD REDITUM EX EXILIO BABYLONICO
BREVIS NARRATIO.

Ex Frankii Chronologia Sacra.

A. M. 3382 Usia seu Asaria, filius Amaziae, regis Judae, vix annos 16 natus fuit, cum regnum post patris mortem obtineret. Accidit hoc anno 77. regni Jerobeami, a tempore, quo in societatem regni patris acceptus est; et regnavit 52 annos. In juventute sua duce Sacharia yate ita se gessit, ut Deum ex animo coleret, et ab omni idololatria alienus esset: quare etiam ei omnia prospere cesse-
3406 runt. Subjecit sibi cum exercitu suo instructissimo
Epocha Olympiad. Philisthaeos aliasque gentes finitimas, Gathum quoque aliasque urbes expugnavit et moenibus privavit. Hierosolymae vero moenia restauravit, aliasque urbes suae ditionis communivit, et in-
3429 *Epocha Aerae Rom. s. V. C.* strumentis bellicis novis instruxit. Agriculturam quoque et rem pecuariam in meliorem statum reduxit. In senectute vero animum ad sui detrimentum extulit. Sacerdotis enim officium inva-
3430 dens, sacro thure cum adolere, nec admonitus ab
ann. Jobel. incepto desistere vellet, subito leprosus factus,

filio

filio suo Jothamo regni administrationem relinquere coactus est; ipse vero in privatas aedes conjectus vitam reliquam per quatuor annos misere transegit, donec anno regni 52. eam morte finiret. His temporibus prophetae *Jesajas*, *Joel* et *Amos* contra peccata tunc ingruentia magno fervore dixerunt, 2 Reg. XV, 1—8. 2 Chron. XXVI. Jes. I, 1. Amos I, 1.

*) 13) *Zacharias*, Jerobeami filius, non sta- 3419
tim post mortem patris, sed demum post 11 annos anno nempe 38. Asariae, ad regnum pervenit Turbulento enim tunc rerum statu, cum complures de summa potestate contenderent, interregnum undecim annorum ortum est. Zacharias tandem summa rerum potitus, sed post sex menses a Sallumo, ministro suo, interfectus, et cum eo progenies Jehui secundum verbum Dei deleta est. 2 Reg. XII, 30. XV, 8—12.

14) *Sallum* regiam dignitatem post mortem 3420
Zachariae usurpavit, quam vero non ultra men- 3420 Phul. R. Assyr.
sem obtinuit, a Menahemo, Zachariae duce, in urbe Samariae trucidatus.

15) *Menahemus* ad finem anni 39. Asariae 3421
regnum sibi arrogavit, eoque per Phulem, Assyriae regem, cujus amicitiam sibi 1000 talentis argenti, ab opulentioribus expressis, conciliaverat, confirmato; immanem crudelitatem erga urbem Tipsam, quae portas ei clauserat, exercuit, incolas nempe omnes, ne gravidis quidem exceptis, jugulando. Regnavit annos 10, c. XV, 14.

16) *Pekajah* patri suo Menahemo successit 3431
anno 50. Asariae, post biennium autem a Pekah, praefecto militum, interfectus est, c. XV, 23.

17)

*) Qui numeris sunt signati, reges Israelitici sunt.

3433 17) *Pekah* ſibi regnum arrogavit anno 52. Aſariae, et regnavit 20 annos. Is ſocietatem fecerat cum rege Syriae Rezin, qui regi Judae Ahaſo bellum intulerat, et quoniam res ei proſpere ceſſerant, induxit ſibi in animum, regnum Judae plane deſtruere: impeditus tamen a Tiglatpileſare, rege Aſſyriae, qui non ſolum tribus transjordanas, ſed etiam tribum Naphthali cis Jordanem, in Aſſyriam captivas duxit, reliquasque etiam tributarias reddidit. Atque hoc erat initium captivitatis Aſſyriacae et inſequentis plenarii interitus regni Iſraelitici. Ipſe autem Pekah tandem ab Hoſea occiſus eſt, c. XV, 27—31.

3433 Jotham, Aſariae filius, coepit anno primo Pekajae regis Iſraelis, et regnavit 16 annos, poſt mortem patris, et adhuc 4 annos cum filio ſuo Ahaſo, 1 Reg. XV, 30. Hic patrem pietate et religionis ſtudio non modo aequavit, ſed in eo ſuperavit, quod ſacris rebus ſe non immiſceret, ſed
3435 *Epocha Aer. Nabonaſſ.* potius reipublicae unice vacaret. In eo autem eſt reprehenſus, quod populo nimium indulſerit, et mores ejus depravatos emendare non ſtuduerit; neque loca excelſa, idolis conſecrata, deſtruxerit.
3440 *Tiglatpileſar. R. Aſſyr.* Quam turbulenta vero tunc temporis omnia in regno Iſraelitico erant, tam pacifica erant ſub ejus regimine in terra Judaea. Moabitas, qui ſe ejus jugo ſubtrahere ſtudebant, perdomuit, iisque majus, quam antea conſueverant, tributum impoſuit, 2 Reg. XV, 33. 2 Chron. XXVII.

3449 Ahas, filius improbus probi patris Jothami, anno 17. Pekahae ad regimen acceſſit, et regnavit annos 16, quatuor nempe cum patre, et 12 ſolus. Hic omnes ſuos anteceſſores impietate anteceſſit. Ubique enim locorum ſimulacra Baalis et aliorum idolo-

idolorum posuit; eorumque cultum introduxit; immo filium suum, ad exemplum Cananaeorum, transire fecit per ignem, et eum diis consecraret. Mox autem vindictam divinam expertus est; dum ejus regnum a duobus regibus potentibus, *Pekaho* et *Rezino*, maxima vi invaderetur: et cum facile intelligeret, id ad interitum regni sui spectare, vehementer animo perturbatus est. In his angustiis propheta Jesajas ad eum venit, eique liberationem ab his hostibus promisit, et simul praesagivit tempus 65 annorum, quo elapso, regnum Israelitarum plane destructum futurum esset. Hanc promissionem cum propheta miraculo, quodcunque ipse aut de coelo aut in terra eligeret, confirmare vellet; Ahas ex incredulitate hoc denegavit. Quare propheta hoc singulare vaticinium adjecit; regnum Judaicum non prius interiturum esse, quam virgo filium peperisset, cujus nomen Immanuel, seu qui Deus et homo esset, Jes. VIII, 1—16. Quamquam vero haec promissio sancta et firma erat; Ahas tamen tantum abfuit, ut ei fidem haberet, ut potius ad Tiglatpilesarem, Assyriae regem, confugeret, eumque magnis muneribus, quae ex templi thesauro sumserat, sibi conciliare studeret. Is ei etiam auxilio adfuit, et non solum urbem Damascum occupavit regemque Rezin interficiendum curavit, sed etiam, irruptione in regnum Israelis facta, aliquas tribus captivas abduxit. His rebus prosperis Ahas elatior factus, Deo ipsi illudere ausus est. Cum enim Hierosolymam rediisset, altare magnum aeneum loco suo moveri, et aliud, cujus formam Damasci viderat, eodem poni jussit; in eoque diis Syriis sacrificia obtulit, a quibus putabat auxilium sibi evenisse. Mox autem Deus ei suam potentiam et vindictam demonstravit. Idem enim Tiglatpilesar, cui confidebat, contra

ipsum

ipſum converſus, tributarium eum fecit, 2 Reg. XVI. 2 Chron. XXVIII.

3453 18) *Hoſeas* poſt interfectionem Pekahae anno
3458 Salmanaſſ. R. Aſſyr. 5*to* Ahaſi regnum occupavit, cujus tamen poſſeſſionem ob motus et diſcordias inteſtinas anno demum
3462 12. Ahaſi obtinuit; tranquillam autem et quietam poſſeſſionem demum anno 14. Ahaſi adeptus eſt, et poſtea adhuc 9 annos regnavit. Is quidem paulo ſanior anteceſſoribus ſuis fuiſſe videtur: populo enim liberum religionis cultum conceſſit, cum vituli Jerobeami per reges Syriae et Aſſyriae jam ablati eſſent. Deum tamen non ex animo timuit, ſed aliis diis adhaeſit. Quare Deus tandem Iſraelitarum reſiſtentiae pertaeſus, eos ex terra ſua eliminandos decrevit. Initium hujus judicii jam ſub rege *Pekah* per *Tiglatpileſarem* factum, per *Salmanaſſarem* autem, hujus ſucceſſorem in regno Aſſyriae, ad exſequutionem perductum eſt. Ipſe Hoſeas hujus rei occaſionem dedit. Is enim anno ſeptimo regiminis ineunte, jugi Aſſyriorum pertaeſus, foedus cum *So* ſive *Sevecho*, Aegyptiorum
3468 rege, contra *Salmanaſſarem* iniit. Haec cum Aſſyrius comperiſſet, ſtatim cum expedita manu Hoſeam oppreſſit, eumque captum in vincula conjecit: totaque regione Iſraelitica ſibi ſubjecta, ipſam urbem Samariam poſt triennem obſidionem expugnavit, populumque ſuperſtitem cum rege ſuo in Aſſyriam abduxit. Hic erat funeſtus exitus regni Iſraelitici, quod quidem Deus diu magna longanimitate pertulit; tandem vero ob moroſam reſiſtentiam in plenariam perniciem dedit. Factum hoc eſt anno 6*to* regis Hiskiae et anno 9*no* Hoſeae,
3470 poſtquam regnum 256 annos poſt diviſionem ſteterat, 2 Reg. XVII.

3465 Hiskias ſeu Ezechias, filius probus patris improbi Ahaſi, pervenit ad regnum anno 3. Hoſeae,

feae, regis Ifraelis, et regnavit 29 annos. Hic totus in eo erat, ut exfecrandas ceremonias ac religiones, quas pater induxerat, aboleret; cultumque Dei purum reftitueret. Initium fecit cum referatione templi, quod pater ejus claufèrat; deinde facerdotibus praecepit, ut templum a fordibus purgarent, et facrificia quotidiana fecundum legis Mofaicae praefcriptum offerrent. Quo facto, rex ipfe, in comitatu facerdotum, Levitarum et magnae populi frequentiae, templum intravit, illudque magno holocauftorum numero et canticorum celebratione quafi de novo inauguravit. Poftea Pafcha, quod diu intermiffum erat, magna cerimonia celebratum eft; convocatis ad hanc feftivitatem etiam Ifraelitis. Excifa tandem atque undique exftirpata funt idola per totum regnum. Immo ipfi ferpenti aeneo, a Mofe erecto, et adhuc fuperftiti, rex religiofus non pepercit; cum nonnulli eodem ad idololatriam abuterentur. Ordines etiam facerdotum et Levitarum, quos David fecerat, reftituit, et, ut reditus ipfis rite fierent, effecit.

Anno 6*to* magna illa calamitas regno Ifraeli- 3470
tico accidit, ut totus populus captivus in Affyriam 3473 Sancherib R.
abduceretur: *ipfe* autem cum populo fuo interim Affyr. 3474
amoena tranquillitate fruebatur, usque ad annum Taracus
14. Hoc enim anno *Sancherib*, filius Salmanaffa- R. Aegypt. 3478
ris, copiis immenfis Judaeam, ob tributum ab Hiskia ei denegatum, inundavit. His cum imparem fe videret Hiskias, veniam per legatos ab eo petiit, quam quidem, pretio 300 talentorum argenti et 30 talentorum auri foluto, impetravit; mox tamen contra fidem datam ab hofte ad deditionem provocatus eft. Mifit enim Sancherib Thartanem, praefectum eunuchorum, cum magno numero co-

piarum

piarum ad Hierosolymam obsidendam, qui, verbis grandiloquis et ignominiosis adversus Deum et regem, deditionem urbis exposcebat. His auditis, rex Hiskias, laceratis vestibus saccoque coopertus, templum ingressus, Dei auxilium imploravit, de quo etiam mox per prophetam *Jesajam* certior factus est. Interim cum *Sancherib* comperisset, *Thirhakam*, regem Aegyptiorum, in auxilium adventare, litteras contumeliarum et blasphemiarum plenas ad Hiskiam misit. Has litteras a se lectas Hiskias in templo coram Deo explicuit, Deumque assertorem gloriae suae invocavit, et mox a propheta responsum accepit: Deum suae gloriae vindicem fore, et *hostem superbum non aliter*, ac feram bestiam, annulo naribus, frenoque labiis suis immisso, per viam, qua venisset, in locum suum reducturum esse, cui praedictioni mox eventus respondit. Eadem enim nocte angelus Jovae exiit et in castris Assyriorum 185000 hominum subito occidit. Tam insperata clade accepta, Assyriorum rex, pudore et tremore perculsus, Niniven rediit, ibique cum in aede Dei sui Nisrochi adoraret, a filiis suis confossus, periit, 2 Reg. XVIII. XIX. 2 Chron. XXXII.

3479 ann. Jobel. 15. Interim cum haec agerentur, anno ineunte 15*to* Hiskias in morbum incidit gravissimum, quem Jesajas letiferum esse praedicebat. Id cum regi, tantis rebus implicito, maximum moerorem attulisset, et ille precibus ardentissimis multisque lacrymis vitae prolongationem a Deo petiisset; propheta rediens ei indicavit: preces ejus esse exauditas, eumque non solum convaliturum, et tertio die post in templum ascensurum esse; sed adjecisse Deum adhuc quindecim annos vitae ipsius. Ne vero dubitaret, promissionem hanc per miraculum

in

in radiis solis confirmavit, ut umbra decem lineas in horologio Ahasi retrograda fieret. Hoc fuit alterum miraculum, post illud, tempore Josuae, in sole factum, et quidem, quod sane mirandum, in medio Periodi Jobeleae Judaicae, anno nempe 15. Jobeleo, et 15. anno regiminis Hiskiae: a quo usque ad mortem Christi aeque 15 cycli Jobelei sunt, quo quidem tempore tertium miraculum in sole factum est.

Hos 15 annos, quos Deus vitae suae addiderat, Hiskias in pace transegit, multis opibus per benedictionem Dei auctus. Hac vero felicitate, ut in prosperis rebus fieri solet, animus ejus elatus fuit. Cum enim rex Babyloniae, *Merodach Baladan*, legatos ad eum mitteret, qui de recuperata sanitate, et de liberatione ab tanto hoste miraculosa, ei gratularentur; simulque de ratione miraculi, in umbra solis facta, percontarentur; Hiskias de tanto honore gavisus, et superbia elatus, iis divitias suas ac thesauros, et quidquid pretiosi ac magnifici habebat, ostendit. Haec cum superbiam animi ejus indicarent: Jesajas hoc ei valde exprobravit, Deique jussu indicavit: fore, ut, quidquid thesaurorum, ab ipso et a majoribus suis congestorum, superesset, Babylonem transferretur; et ex posteris ejus quidam in palatio regis Babyloniorum servi aulici fierent. Quam praedictionem, quamvis acerbam, aequo tamen animo tulit; modo, ut tempore suo mala haec non evenirent, deprecatus, 2 Reg. XX.

Manasses, filius improbus probi parentis, 3494
regnum cepit post mortem patris, anno aetatis 12.,
et regnavit 55 annos. In primis annis erat pessimus omnium antecessorum et idololatriae ad insaniam usque deditus. Non solum enim omnia loca, 3498 Epo-
idolis

cha Archontum Athenienfium. idolis deſtinata et a patre diruta, reſtituit, ſed plura etiam idola, quam unquam alius, coluit. Erexit altaria Baali; cultum fecit ſideribus coeli; ethnicorum more filium ſuum in honorem idoli Moloch per ignem ire juſſit; ipſumque Dei templum altaribus, quae idolis conſecrata erant, ſta-

3502 Aſſarhaddon R. Aſſyr. et Babyl. tuisque idololatricis contaminavit; hariolis, pythonibus ſimilisque furfuris hominibus aurem praebuit; populumque ad eadem ſcelera ſuo

3510 Tullus Hoſtilius R. Roman. exemplo induxit; et omnes, qui ei ſe ex ſancto zelo opponebant, trucidari juſſit. Tandem vero menſura delictorum impleta juſtam Dei vindictam expertus eſt, qui eum in manus Aſſyriorum, qui tunc urbem Asdod obſidebant, incidere fecit, a quibus catenis vinctus, Babylonem abductus, et a rege Aſſarhaddone in carcerem conjectus eſt. Hac calamitate ad ſaniora perductus, peccata agnovit, ſeriaque poenitentia ad Deum converſus, et delictorum veniam expetens, remiſſionem impetravit, et in libertatem reſtitutus eſt. Factum hoc

3508 eſt fere anno 15. regni ſui. Hanc ſuam poenitentiam, poſtquam Hieroſolymam reverterat, publice etiam demonſtravit. Templum enim ab omnibus abominationibus, quibus illud immaculaverat, pur-

3542 Ancus Marcius R. Roman. gari, et *omnia idola et altaria, quae exſtruxerat, deſtrui juſſit, et usque ad vitae finem Deum unicum* ſincere coluit, 2 Reg. XXI. 2 Chron. XXXIII, 1—20.

3549 Ammon, filius Manaſſis, patris fato exemploque nec ſapientior, nec melior factus, ſed potius patrem in vita malitioſa anteacta et cultu idololatrico ſuperare ſtuduit: regimen vero ejus impium non fuit diuturnum: nam poſt biennium a ſervis ſuis interfectus, periit, c. XXI. 2 Chron. XXXIII, 21—25.

Jo-

Josias, filius Ammonis, magnus et pius ille rex fuit, de quo jam ultra 300 annos ante per prophetam tempore regis Jerobeami praedictum erat, quod regna Judae et Israelis in cultu Dei vero reuniturus esset, 1 Reg. XIII, 2. Octennis modo erat, cum ad regnum perveniret, et magna jam virtutis specimina in adolescentia edidit. 3551

Anno enim octavo regiminis cum adolescens sedecim annorum esset, coepit quaerere Deum proavi sui Davidis, et dedit operam, ut se de omnibus, quae ad cultum Dei pertinebant, instrueret. 3558 | 3558 Nabopoll. R. Babyl.

Anno 12. purgare coepit terram Judaeam et urbem Hierosolymam ab idolis, excelsis, statuis, signisque sculptis, et conflatis. Deinde destrui jussit altaria Baalim et statuas idolorum; deditque operam, ut omnia superstitionis vestigia et monumenta prorsus everterentur ac delerentur. 3562 | 3564 Halyattes R. Lydiae | 3567 Tarquinius Priscus R. Roman.

Anno 18. ad templum restaurandum animum adjecit, eumque in finem collectionem pecuniae instituit. Collecta haec pecunia cum ex aerario templi depromeretur, inventum est exemplar legis Mosaicae diu amissum. Hoc praelecto, cum severissimas Dei comminationes in transgressores legis audiret, territus, Chuldam prophetissam arcessit, ut ex illa voluntatem Dei cognosceret. Haec cum afflatu divino maximas calamitates, quae immorigero populo Judaico post mortem ejus imminerent, praedixisset; rex, ad avertenda haec mala multo adhuc alacrior factus, quidquid adhuc supererat idololatriae, tam in terra Judaea, quam Israelis, removere et exstirpare studuit. Ipse igitur iter fecit in terram Israelis, et altari, quod Jerobeam Bethele in loco edito exstruxerat, simul cum aedicula et luco, qui ibi erat, demolitis, cuncta in pulverem redegit, et, ut nihil relinqueretur, sepulchra sacerdotum idololatricorum effodi eorumque ossa in 3568

isto altari comburi jussit: qua occasione sepulcrum prophetae illius, qui olim hoc praedixerat, inventum est, 1 Reg. XIII, 3. 2 Chron. XXIV.

Anno eodem 18., quo templum reparari coeptum est, paschatis festum solenni ritu celebrari constituit. Hunc in finem omnes sacerdotum et Levitarum familias congregavit, iisque ordine suo dispositis, arcam foederis, quae sub regibus idololatricis loco suo mota fuerat, in conclavi, quod ei Salomo aedificarat, reponi jussit. Agni deinde paschales, in templo a Levitis mactati, et sanguine illorum a sacerdotibus altari asperso, a quoque domi suae comedebantur. Cetera vero sacrificia eucharistica, quae magno numero a rege et principibus offerebantur, per septem dies in conviviis magna hilaritate absumebantur. Tanta igitur hujus festi fuit celebritas, ut, inde a tempore Samuelis, non major fuerit ulla, c. XXIII, 21. 2 Chron. XXXV.

3576 *Pharao Necho R. Aegypt.*

Templi reparatione vix consummata, accidit, ut Pharao Necho, Rex Aegypti, expeditionem contra Babylonios faciens, transitum per terram Judaeam expeteret. Quem cum Josias concedere nollet, et res ad proelium venisset; ipse, proelio vix inito, a sagittariis graviter vulneratus, et ex acie abductus, Megiddone mortuus est, postquam 31 annos regnaverat. Mors ejus omnibus subditis suis acerbissima fuit. Ipse propheta *Jeremias*, qui anno ejus 13. vaticinari coepit, carmine quodam eum lamentatus, et memoria ejus diu in carminibus lugubribus reiterata est. Jure optimo etiam mors tam pii et sapientis principis, cum quo pietas, salus et honor populi quasi sepultae sunt, deploranda fuit, 2 Reg. XXIII, 26—28. 2 Chron. XXXV, 19—27.

JOAHAS

Joahas seu Johanna, degener filius junior 3582
Josiae, a plebe rex constitutus vix regnum adiit,
cum Pharao Necho, ad quem frater ejus major
se contulerat, eum captum et vinctum secum in
Aegyptum abduceret, postquam tres dumtaxat 3582 *Ninive deleta.*
menses regnaverat, c. XXIII, 30—33. 2 Chron.
XXXVI, 1—7.

Jojakim, filius natu major Josiae, a Pharaone 3582
Necho in locum fratris sui surrogatus est, nomine
ejus Eljakim, in signum subjectionis, in Jojakim
mutato. Haec fuit origo malorum, quae cum
interitu totius regni finiebantur. Cum enim Nebucadnezar, rex Babyloniae, quem pater, in regni
consortium assumtum, summa cum potestate exercitui praefecerat, contra regem Aegyptiorum expeditionem, ad urbem Carchemim et Syriam
atque Phoenicen ereptam sibi recuperandam, suscepisset, Aegyptiosque in fugam convertisset; statim
Hierosolymam se contulit, eaque expugnata, templum diripuit, et regem cum nonnullis adolescentulis nobilibus, inter quos et *Daniel* cum sociis
suis fuit, secum Babylonem duxit, terramque sibi
tributariam reddidit. Factum hoc est anno quarto 3583
regiminis Jojakimi, seu secundum Danielem anno
tertio, nempe exeunte, Jerem. XXV, 1. Dan. I, 2.
2 Reg. XXIV, 13. 14. Atque ab eodem anno incipiunt 70 anni captivitatis, a Jeremia praedicti,
Jerem. XXV, 11.

Tribus annis post rex Jojakim, a Nebucad- 3588
nezare iterum dimissus, et in regnum, sub foedere
subjectionis restitutus, ab eo defecerat, et, auxilio
regis Aegypti fretus, tributum non solverat. Quare
Nebucadnezar, aliis rebus occupatus, gentes vicinas, sibi subjectas, in Judaeam misit, quae illam
regionem incursionibus suis devastarent. Tandem

c 2 ipse,

3592 ipse, quatuor annis post, cum exercitu suo adventavit, et Jojakimum, captum et catenis vinctum, cum Babylonem abducere vellet; ille in carcere, aut in via mortuus, et insepultus mansit, prout Jeremias praedixerat, Jer. XXII, 10. XXXVI, 30. 2 Reg. XXIII, 36. XXIV, 1—6. 2 Chron. XXXVI.

3593 Jojachim, qui etiam *Jechonia* et *Chania* nominatur, a patre Jojakimo, anno aetatis 8., in consortium regni assumtus, et post mortem patris, anno 18. aetatis, regnum capessivit, quod vero 3 menses tantum tenuerat, 2 Chron. XXXVI, 9. 2 Reg. XXIV, 8. Cum enim Nebucadnezar, post expugnationem Syriae et Phoenices, *aliquam in eo perfidiam cognovisset; ille Hierosolymam petiit:* et quamvis rex cum matre, servis, ducibus et ministris egressus, potestati ejus se permitteret; ille tamen ei *non* confisus est, sed eum secum Babylonem ductum in carcerem conjecit; ex quo demum anno 37., postquam abductus erat, ab *Evilmerodacho* liberatus, et ad summos honores evectus fuit, 2 Reg. XXV, 27. Jerem. LII, 31. Cum hoc rege simul omnes thesauri templi et regiae, itemque omnes viri fortes, artifices, et mercatores, numero 10000, Babylonem deportati sunt, infima tantum plebe remanente, 2 Reg. XXIV, 14—16.

3593 Zedekias, alias *Mathanias* dictus, tertius Josiae filius, ab ipso Nebucadnezare rex constitutus, annos 11 regnavit. Hic praecessorum malis nihil sapientior factus, sed iis potius impietate et perfidia adhuc superior erat. Quamquam enim
3596 anno *4to* regni sui se denuo Nebucadnezari jura-
3597 *Vaphres R. Aegypt. s. Pharao Hophra.* mento obstrinxerat; tamen anno septimo fidem fregit: et cum rege Aegypti, Pharaone Hophra, foedus iniit. Qua perfidia Nebucadnezar sic exacerbatus

acerbatus est, ut anno 9*no* Hierosolymam obsideret, die 10*mo* mensis decimi. Praepeditus quidem 3601
ab Hophra, in auxilium advolante, obsidionem solvit; hoc autem fugato, rediit, et urbem operibus clausit. Hic cum Jeremias divinitus deditionem suasisset, pro proditore habitus, et in carcerem conjectus est, Jerem. XXXII, 33. 34. Cum autem post biennium vi et fame ad deditionem cogerentur Judaei, et rex cum suis noctu salutem fuga petere vellet, a Chaldaeis interceptus et Riblathum ad Nebucadnezarem ductus est, qui summa crudelitate erga eum saeviit: occisis enim prius in conspectu ejus liberis suis, ipsum oculis effossis, catenis vinctum, Babylonem deportari jussit, secundum vaticinia ante data, Jerem. XXXII, 4. XXXIV, 3. Ezech. XII, 13. 2 Reg. XXV, 1—7.

Interim Chaldaei irruperunt in urbem, mense 4*to* die 9*no* anni 11. Zedekiae exeuntis, templumque et aedificia diripuerunt. Postero die 7*mo* mensis 5*ti* Nebusaradan, Praefectus satellitum, a rege missus, Hierosolymam venit, et comparatis per biduum rebus, die 10*mo* templum Dei ac palatium regis cum reliquis aedificiis concremavit, 2 Reg. XXV, 8. Jerem. XXXIX, 8. LII, 13. Postea, muris *disjectis*, eos qui in urbe reliqui erant, una cum thesauris regis atque principum, et instrumentis vasisque templi, Babylonem deportari jussit, 2 Reg. XXV, 10—17. 2 Chron. XXXVI, 18. 19. Jerem. XXXIX, 8. LII, 14. Factum hoc est anno regni Nebucadnezaris 19., anno Per. Job.
3604., annis 427. post templum fundatum. Hoc 3604
anno, cum deletione templi et urbis, anni 390. peccatorum finiuntur, et incipit magnum illud Sabbathum punitivum, de quo prophetae dixerant, Zachar. I, 1. 2 Chron. XXXVI, 21. Ezech. IV, 5. 6.

Interim

Interim Pontifex Seraja, cum 70 principibus jussu Nebucadnezaris occisus, filiique ejus Jozadok et Esra cum aliis Babylonem abducti sunt: reliquis de infima plebe, ad agros colendos relictis, Gedalia praepositus, ejusque curae Jeremias quoque propheta traditus est, 2 Reg. XXV, 22. Jerem. XXXIX, 11—14., quibus se ceteri Judaei, qui in alias regiones aufugerant, adjunxerunt.

Gedalia autem ab Ismaele quodam, ex regia stirpe oriundo, qui ejus honori invidebat, interfecto; Judaei, regis vindictam timentes, in Aegyptum, dissuadente tamen Jeremia, se receperunt, ipsumque, ut secum iret, coegerunt.

Hierosolyma occupata, Nebucadnezar partem exercitus sui ad urbem Tyrum obsidendam misit, eodemque tempore praefectum Nebusaradanem cum reliquis copiis ablegavit, ad Ammonitas, Moabitas, Philisthaeos, Idumaeos, Arabes aliosque circumjacentes populos, qui ab eo defecerant, et Zedekiam in societatem traxerant, debellandos, cum quibus ille pari acerbitate egit, Ezech. XXV. XXVI, 10. Jes. XXI, 11—13. Jerem. XXV, 21—23. XXVII, 3. XXIX, 28. Hoc tempore etiam 745 Judaeos, qui adhuc in terra reliqui erant, et cum
3608 illis gentibus fecerant, secum Babylonem duxit. Factum hoc est anno 23. regni Nebucadnezaris, Jerem. LII, 30.

Talis erat finis regni funestus, quod Deus ipse constituerat, propter peccata atrocia autem iterum deleverat. Stetit 470 annos inde a Davide, 390 a defectione decem tribuum, 134 ab eversione regni Israelis, et 427 annos a fundatione ad deletionem templi.

3618 Urbs Tyrus tandem, post obsidionem tredecim annorum expugnata est. Quoniam vero maxima

pars

pars incolarum facultates suas in naves transportaverant, ita ut *Nebucadnezar* pro maximo labore nil, nisi urbem vacuefactam acciperet; ira accensus solo eam aequavit, omnesque reliquos incolas trucidari jussit, Ezech. XXVI, 7. 8. Interim ei pro remuneratione tanti laboris divitiae Aegypti a propheta Ezechiele promittebantur, Ezech. XXIX, 18—20.

Post hanc expugnationem *Nebucadnezar*, anno 27. captivitatis Jechoniae, Aegyptum petiit, quae tunc bellis intestinis labefactata erat, eaque occupata et devastata, immensas inde divitias reportavit, Ezech. XXIX, 17—21. XXXI. XXXII. Jesaj. XIX. Jerem. XXVII, 19. In hac expeditione plerosque etiam Judaeos, qui in Aegyptum se receperant, captivos abduxit, uti iis Jeremias praedixerat, XLIV, 27. 28.; simulque Arabes et Libyos sub potestatem suam redegit, Ezech. XXX. Dan. II, 37. 38. IV, 29. Jerem. XXVII, 6.

3619

3622 *Pisistratus Tyrann. Athen.*

Interim anno 2*do* regni, *Nebucadnezari* somnium divinatorium obtigit; quod Daniel ei ex divina revelatione de permutationibus et successionibus regnorum futuris interpretatus est; qua de re Daniel praefectus Magorum et regionis Babyloniae praeses constitutus est, Dan. II. Nebucadnezar vero eo dementiae processit, ut ad hujus statuae formam, quam in somnio viderat, statuam auream 60 cubitos altam exstrui illamque in planitie quadam constitui jussit; eo simul edicto edito, ut qui hanc statuam divino cultu non adoraret, in furnum ardentem dejiceretur. Cum vero tres Danielis amici, quos ad magnos honores extulerat, id facere negarent, et in furnum conjecti, ab angelo vero a flammis intacti conservati essent; rex hoc miraculo viso, eo adactus est, ut publice con-

3587

confiteretur: Deum Israelis solum verum Deum esse, Dan. III.

Per ultima tempora pacifica, gentibus adversariis omnibus devictis, ingenti divitiarum copia congesta, urbeque Babylone aedificiis magnificentissimis ornata: animus Nebucadnezaris supra modum elatus est, ut sibi soli ea omnia attribueret, atque in haec verba tumida erumperet: Haec est magna illa Babel, quam ego aedificavi in domum regni in robore fortitudinis meae et in gloria decoris mei. Sed mox Deum honoris sui vindicem expertus est. Vix enim haec verba eloquutus, furore correptus, *omnique rationis usu privatus, ab omnium hominum consortio remotus, inter bruta* per septem menses sub dio vitam degere coactus est. Ad sanitatem vero restitutus, ipse haec sua fata commemorans, soli Deo omnem gloriam, honorem et laudem tribuendam esse humillime confessus, et in regnum restitutus, usque ad vitae finem magna cum gloria vixit. Mortuus est anno regni sui 43., aut etiam 44., si scilicet a tempore, quo a patre in regni consortium assumtus est, computaveris, Dan. IV.

3629 *Evilmerodach,* filius Nebucadnezaris, *successit* patri suo. Hic se propitium Judaeis gessit, Jechoniam ex vinculis, in quibus annos 37 detentus erat, dimisit, et ad summum honoris gradum extulit, 2 Reg. XXV, 27. Jerem. LI, 31. Regnavit modo annos duos. Voluptatibus enim cum dedisset se, regnumque neglexisset, a Nericolossaro, sororis suae marito, interfectus est.

3631 *Nericolossarus* post interfectionem Evilmerodachi regnum usurpavit, et quarto anno post in pugna cum Medis obiit: filiusque ejus *Laborosoar-*
3634 *dochus* novem mensibus post a suis interfectus est.

Bel-

Belſazer, in Canone Ptolemaei *Nabonadius* dictus, et filius Evilmerodachi, et ultimus ex progenie Nebucadnezaris, Jerem. XXVII, 7., regnavitque annos 17. Hic prout vino epulisque deditus erat, ſplendidiſſimum epulum principibus ſuis ſub finem regni ſui dedit, in quo temulentus vaſa templi Hieroſolymitani, a Nebucadnezare Babylonem abducta, afferri juſſit, ut cum proceribus et concubinis in Dei Iſraelis contumeliam ex illis biberet; laudando ſimul Deos ſuos patrios prae Deo vivente. Furor iſte cum prope ad inſaniam acceſſiſſet, ex improviſo manus ſcribens in pariete apparuit. Hanc conſpiciens rex, maxima conſternatione perculſus, ingenti clamore ſublato, Magos, Chaldaeos, aruſpices, arceſſi juſſit. Cum vero ſcripturam hanc nullus eorum nec legere nec interpretari poſſit: Daniel ſuaſu aviae regis advocatus, eam non modo legit, ſed etiam ſignificatum ejus oſtendit; tempus nimirum adeſſe, quo regnum ei detraheretur, ut in Medos et Perſas transferretur. Cui praeſagio mox etiam eventus reſpondit: eadem enim nocte, urbe a Cyro, Perſarum rege, aſtu expugnata, Belſazer a militibus irruentibus interfectus eſt, et Darius Medus, qui in ſocietate Cyri erat, regnum occupavit, Dan. V.

3635 3643 *Sardes a Cyro expugnatae.*

Darius Medus, alias *Cyaxares II.* dictus, Cyri avunculus, qui cum eo in expugnanda urbe ſocietatem fecerat, regni Babylonici gubernacula anno 62. aetatis ſuae, conſentiente Cyro, ſuſcepit, Dan. V, 30. 31. IX, 1., eaque tres annos tenuit. Sub hoc tanta fuit Danielis auctoritas, ut rex ei ſummam rerum tradere vellet; quod autem ei tantam invidiam apud ceteros Satrapas peperit, ut non prius quieſcerent, quam ipſe in foveam leonum, invito tamen rege, projectus eſſet. Ubi tamen,

per

per angelum Dei a morsu leonum servatus, postero die, jussu regis, vivus extractus; delatores autem cum uxoribus et liberis in eamdem conjecti et a leonibus lacerati sunt. Quo facto, rex Deum Danielis, ut unicum, verum et viventem, laudibus celebravit, omnibusque gentibus, imperio ipsius subjectis, publico edicto hujus Dei cultum commendavit, Dan. VI.

3655 *Cyrus*, in S. Scriptura *Cores* dictus Esra I, 1. qui hucusque, post expugnationem urbis Babylonis, in Syria occupanda versatus erat, post mortem Darii regimen ipse suscepit, regnumque Babylonicum hoc modo cum *Mediae* et *Persiae* regno conjunxit. Vix imperium assumserat, cum ei a Daniele, qui apud eum quoque summum gradum tenebat, res Judaeorum, apposito Jesajae vaticinio, Jes. XLIV, 28. XLV, 1., commendarentur, quibus rex permotus, veniam Judaeis dedit, in patriam suam remigrandi et templum restaurandi. Jussit etiam, ut iis vasa templi, a Nebucadnezare deportata, restituerentur. Quo facto, duce Serubbabele et pontifice Josua, 42360 homines in Judaeam remigrarunt, plerisque tamen in terris Babyloniae, ob possessiones ibi acquisitas, *remanentibus*, *Esr. II.* Factum hoc est, cum accurate 70 anni captivitatis, a Jeremia c. XXV, 11. praedicti, completi essent.

Prima Judaeorum cura post reditum erat, ut cultum Dei restituerent. Condito igitur altari in ruderibus templi, prima holocausta primo die mensis septimi obtulerunt, et simul eodem mense festum tabernaculorum ad praescriptum Mosis celebrarunt.

3656 Anni sequentis mense secundo templi fundamenta, auctoribus Serubbabele et Josua pontifice, magna

magna cum cerimonia jacta ſunt. Hujus autem operis cum Samaritani peterent ſocietatem, et Judaei ob religionis diverſitatem id recuſarent, magna eis ab his impedimenta objecta ſunt, quo minus incepta proſequi potuerint, Eſra IV.

Cambyſes, Cyri filius, ab Eſra *Ahasverus* 3661
dictus, Eſra IV, 6. ob expeditionem, quam in Aegyptum fecit, celebris eſt, ubi immani crudelitate ſaeviit, totumque regnum, rege Pſammenito interfecto, ſibi ſubjecit. Fratrem ſuum Smerdem, quem ad regnum aſpirare ſuſpicabatur, per inſidias interfecit. Ipſe tandem, equum conſcendens, enſe vagina elapſo ſauciatus, paucis diebus poſt ex vulnere mortuus eſt, poſtquam annos ſeptem et quinque menſes regnaverat.

Smerdes, ab Eſra *Arthaſaſtha* nominatus, 3668
Eſr. IV, 7. ſub ſimulato nomine Smerdis occiſi regnum uſurpavit; detectus autem a ſeptem principibus conjuratis, poſt 7 menſes interfectus eſt. Ejus juſſu, Samaritanorum artibus, aedificatio templi Judaeis interdicta eſt, Eſra IV, 7—24.

Darius Hyſtaſpis unus ex ſeptem conjuratis 3669
fuit, qui Smerdem occiderant, et hinnitu equi ſui ad regnum pervenit. Regno ejus ineunte, Judaei, divinitus per prophetas Haggai et Zachariam admoniti, templum aedificare inchoarunt; et cum Satrapae vicinarum regionum eos propterea compellarent, illi ad edictum Cyri, hac de re editum, provocarunt. His ad regem nunciatis, et edicto hoc in ſecretis ſcriniis invento; rex Satrapis ſuis mandavit, ut aedificationem templi non modo non inhiberent, ſed et ipſi potius adjuvarent, et ex aerario regis ſumtus ad aedificium et ſacrificia ſuppeditarent. Quo facto, anno 2*do* regni Darii, 3670
tantis

tantis viribus Judaei opus aggressi sunt, ut intra
3674 4 annos, id est anno *6to* Darii, die *3tio* mensis
Adar, templi aedificium consummatum inaugura-
retur, et postero die 14. mensis Nisan Pascha
magna laetitia celebraretur, Esr. V. VI. Factum
hoc est anno Per. Jobel. 3674., 70 annos post ex-
cidium prioris templi, et 7 × 70 = 490 post con-
3675 summationem ejusdem. Sequens annus 3675. erat
ann. Jobel. 19. *19us* annus Jobeleus et *135us* sabbathicus, annus
nempe magnus remissionis, quo a servitute libe-
rati, ad quietam terrae possessionem redierant. Sic
enim, cum ipso hoc anno, anni devastationis prae-
destinati et sabbathum magnum punitivum clau-
3673 *Epocha consul. Roman.* duntur, 2 Chron. XXXVI, 21. Zach. I, 1. VII, 5.
Ex quo intelligi potest, quam accurate omnia cum
Jobelea et Sabbathica supputatione conveniant.

3674 Eodem anno *6to* Darius Babylonem, quae
contra eum rebellaverat, astu Zopyri occupavit, et
muris ad dimidium dirutis, ac portis aeneis or-
batis, eam ita vastavit, ut haec munitissima et
splendidissima urbs temporibus posteris in vastam
solitudinem conversa sit, secundum praedictiones
3684 *primus dictat. Rom.* 3689. *tribuni Romae creati.* prophetarum, Jerem. L, 51. XXV, 12. Jes. XLVII.
Regnavit Darius secundum Marmora Arundeliana
annos 28; qui etiam optime conveniunt cum
Chronologia biblica et Jobelea.

3697 *Xerxes*, Darii filius, qui in libro Esther Ahas-
verus nominatur, regnavit 21 annos. Hic maxi-
mus et potentissimus, sed etiam in expeditionibus
3699 infelicissimus regum Persarum fuit. Anno tertio
imperii sui convocavit omnes regni sui proceres,
ac eo quidem sine dubio consilio, ut cum iis de
expeditione, quam adversus Graecos suscipere vo-
lebat, deliberaret, suamque simul magnificentiam
ostenderet. His proceribus epulum splendidissi-
mum

mum per 180 dies dedit, quo uxorem suam Vasthi ob ejus insolentiam repudiavit. Anno quinto, qui 3701
erat decimus post pugnam Marathoniam, suscepit 3703 *pugna Salamina.*
expeditionem adversus Graecos cum copiis fere innumeris; a Graecis tamen et mari et terra caesus, et fugatus, septimo anno, pugna apud Salamina facta, in Asiam reversus, omnia templa Deorum, Beli amplissimo templo non excepto, evertit: quo facto prophetiae impletae sunt, Jesaj. LI, 9. Jerem. LI, 44. 47. 52. L, 2. Post reditum anno eodem septimo Estheram in thalamum suum excepit, quae postea, anno ejus imperii 12., intercessione sua gentem suam a consiliis Hamani perditis, et ab internecione vindicavit. In cujus 3708
liberationis memoriam Judaei diem 14. mensis Adar, quo haec liberatio facta est, festum, quod Purim vocant, quotannis ad nostra usque tempora celebrant, Esther IX. Tandem Xerxes ab Artabano, praefecto praetorio, obtruncatus est.

JESAJAE VATICINIA.

LIBRI INSCRIPTIO.

CAP. I. Vs. 1.

[חָזוֹן - יְהוּדָה] Utrum haec inscriptio ad totum vaticiniorum Jesajae corpus, an ad primum tantummodo vaticinium pertineat, dubitatur. Qui priorem sententiam defendunt, hoc praecipue nituntur argumento, quod 2 Chron. XXXII, 32. vaticinia Jesajae sub illo, quem nunc legimus, titulo excitentur. Locus ille vulgo vertitur ita: *reliquae autem res gestae Hiskiae, benignaque ejus facta, scripta sunt in vaticinio Jesajae* (בַּחֲזוֹן יְשַׁעְיָהוּ), *filii Amoz, prophetae, et in libro, historiam regum Judae et Israelis enarrante.* At enimvero in hoc loco verba potius ita sunt struenda: הִנָּם כְּתוּבִים עַל-סֵפֶר מַלְכֵי יְהוּדָה וְיִשְׂרָאֵל; nam כָּתַב conjungi solet cum עַל, vid. 2 Chron. XVI, 11. XXIV, 27. XXVII, 7. XXVIII, 26. XXXV, 27. בַּחֲזוֹן autem tunc vertendum erit, *cum vaticinio, illo, puta,* quod ad Hiskiam, regem, ab ingruente hoste Assyrio liberandum atque a morbo, in quem tum inciderat, sanandum, spectaret, legiturque 2 Reg. XVIII, 13—XX, 19., et in hoc, quod ab Jesaja nomen gerit, volumine, Cap. XXXVI—XXXIX. Priori illi versioni obstat etiam hoc, quod illo Chronicorum loco non legitur וְעַל, sed simpliciter עַל. Hinc locus ille sic erit vertendus: *reliquae res gestae Hiskiae, benignaque ejus facta, cum vaticinio Jesajae, scripta sunt in libro cet.* Quare ex eo loco minime potest probari, hunc Versum primum esse genuinam totius libri Jesajani inscriptionem.

 Viden-

Videntur potius verba חֲזוֹן יְשַׁעְיָהוּ בֶן־אָמוֹץ אֲשֶׁר חָזָה עַל־יְהוּדָה וִירוּשָׁלָם olim inscriptionem primi tantummodo vaticinii constituisse: perinde ac oraculo sequenti, Capite secundo, similis inscriptio praeposita est; cf. et Cap. XIII, 1. Quum autem omnia, quae in hoc volumine continentur, vaticinia in unum corpus colligerentur, cui Jesajae, celebris olim vatis, nomen praefigere visum esset; illi, qui eo negotio fungebantur, oraculum hocce, grave illud, et generalioris argumenti, in fronte libri posuerunt cum titulo praescripto, qui, licet huic soli vaticinio adscriptus, visus tamen ipsis est commode transferri posse in titulum generalem totius libri, adjectis in vicem complementi verbis: בִּימֵי עֻזִּיָּהוּ יוֹתָם אָחָז יְחִזְקִיָּהוּ מַלְכֵי יְהוּדָה. Nomen חָזוֹן proprie est *visum*, hinc, *oraculum*, *vaticinium*, *carmen fatidicum.* Proprie ita videtur vocata esse prophetia, in qua visum per quietem, aut κατ' ἔκστασιν prophetae oblatum narratur, unde translatum ad quaslibet prophetias significandas. Vid. 1 Sam. III, 1. Ezech. XII, 27. (quo quidem loco חָזָה, *vidit*, idem est, quod נִבָּא, *vaticinatus est*). Hinc dicitur *Gad* 2 Sam. XXIV, 11. חֹזֶה et נָבִיא. Cf. 1 Sam. IX, 9. 2 Reg. XVII, 13. 1 Chron. IX, 22. XXI, 9. Eodem *prophetiae* significatu N. T. scriptores uti solent voce ὅραμα, Act. XI, 5. XVI, 9., cui convenit ὅρασις, quod nostro loco LXX posuerunt. Herodotus L. I. Cap. 108. 120. de *somniis*, quae Astyagi, Medorum regi, divinitus missa feruntur; loquens, utitur voce ὄψις, quae tantundem valet. Arabibus حَزَى est *conjectura mensuram inivit*, s. *aestimavit quantum esset*, hinc, Giggejo auctore, *ariolatus est*, *occulta indicavit.* Recte Chaldaeus: נְבוּאַת יְשַׁעְיָה, *prophetiae Jesajae.* יְשַׁעְיָהוּ, nomen nostri vatis, idem significat, ac si diceres *Jova* s. *Dominus salvabit*, coll. Jesaj. XII, 2. XXXV, 4.; ex Hilleri mente in *Onomast. S.* p. 318. ex futuro Hiphil radicis שׁוּעַ, unde superesse censet שׁוּעַ in nomine יְהוֹשׁוּעַ, *Josua*, et תְּשׁוּעָה, *salus*, sicut טוֹב et יָטַב, צוּר et יָצַר, et verba alia plura mediae radicalis *Vau* et primae

primae radicalis *Jod* significatione conveniunt. Hieronymus in Prooem. ad Commentar. in Joel. nomen exponit σωτηρία Κυρίου, i. e. *salus Domini* est, improbante Hillero, qui L. I. p. 487. „male, inquit, deduxeris a יֵשַׁע, *salute*; ab eo enim derivatum nomen diceretur יְשַׁעְיָה vel יְשַׁעְיָהוּ, sicut ab חָזַק venit חִזְקִיָּה. Et vero ab יְשַׁעְיָה relictum יִשְׁעִי, i. e. *salus Domini*, plurium virorum nomen, 1 Chron. II, 31. IV, 20. 42." Sed quemadmodum a שֶׁבַע in statu constructo fit שְׁבַע, et a חֵשַׁע itidem in regimine dicitur חְשַׁא, ita pari modo a יֵשַׁע in statu constructo יְשַׁע *salutem* (Domini) formare et explicare licebit. Ceterum יְשַׁעְיָהוּ significatu non differt a יְשַׁעְיָה, quod nomen pluribus hominibus inditum legitur, vid. Esr. VIII, 7. 19. Neh. XI, 7. 1 Chron. III, 21., ut: בְּנָיָהוּ et בְּנָיָה, זְכַרְיָהוּ et זְכַרְיָה, אֵלִיָּהוּ et אֵלִיָּה promiscue usurpantur. בֶּן־אָמוֹץ „*Amos*, pater Esajae, non, ut plerique autumant, tertius duodecim prophetarum est, sed alius, diversisque apud Hebraeos scribuntur literis. Iste primam et extremam literas habet א et צ, ille ע et ס. Et iste secundum quosdam interpretatur *fortitudo* sive *robustus*, ille populo *durus* et *gravis*, de quo in Amos plenius diximus." Hieronymus. Ceterum *Amozum*, patrem Jesajae, Amaziae, regis Judae (2 Reg. XIV, 1.) fratrem fuisse, Judaei constanter adfirmant ex majorum traditione, cujus jam Hieronymus mentionem facit in Commentar. ad Jesaj. XX. sub fin.: *Tradunt Hebraei, Esajam socerum fuisse Manassae, filii Ezechiae, regis Judae.* Sed infirmissima haec traditio nullam plane meretur fidem. [עַל־יְהוּדָה וִירוּשָׁלִָם] Particula עַל h. l. non reddenda est *contra*, sed indicat objectum vaticinii, ut Graecorum ὑπέρ, Latinorum *super*, *de*; cf. Zachar. XII, 1., ubi vaticinio consolanti praeponitur. „Pro *Juda*, in quo significantur duae tribus, Septuaginta et Theodotio posuere *Judaeam*, quae totam terram duodecim tribuum ostendit. Et pro eo, quod nos ex Hebraeo vertimus, *super Judam et Hierusalem*, illi interpretati sunt *contra Judaeam et Hierusalem* [κατὰ τῆς Ἰουδαίας καὶ κατὰ Ἱερουσαλὴμ]; Symmachus more suo manifestius, *de* [περί] *Juda*

Juda et Hieruſalem, ut nec proſpera, nec adverſa velit titulo demonſtrari, ſed ea, quae de Juda et Hieruſalem in utramque partem propheticus ſermo praedixerit. Ergo Eſajas principaliter de duabus loquitur tribubus, Juda et Benjamin, exceptis decem, quae in Samaria erant, et vocabantur Ephraim et Iſrael, et quas ſub Ozia, rege Juda et Hieruſalem, Phul, rex Aſſyriorum vaſtare jam coeperat. Denique quinquageſimo et ſecundo imperii ejus anno, regnante apud Samariam Phaceae, filio Romeliae, venit Teglathphalaſar, rex Aſſyriorum, et cepit Ahion et Abel domum Maacha, et Jonaha, et Cedes, et Aſor, et Galaad et Galilaeam, omnem terram Nephtalim, et transtulit eos in Aſſyrios. Ex quo oſtenditur, vicina everſione Samariae, in commonitionem duarum tribuum haec univerſa narrari." Hieronymus. Per *Judam* et *Hieroſolymam* hic primo ſenſu intelligendi ſunt *Judaei*, qui ortum traxerunt ex *Juda*, Jacobi filio (Geneſ. XXIX, 35.), ſub quibus cenſebantur *Benjaminitae*, et qui inter eos verſabantur Levitae, quatenus illi diverſi erant ab *Ephraimitis*, ſive ceterarum tribuum Iſraelitis, quae ſub Ephraimo putabantur. Sic in hoc ipſo libro (VII, 17. XI, 13.), et paſſim in prophetiis *Juda* et *Ephraim* ſibi opponuntur. Judaei vero una cum Benjaminitis communi *Judae* nomine tanquam una tribus comprehenduntur 1 Reg. XI, 36., ut viciſſim 1 Reg. XII. ſolo *Benjaminis* nomine et Juda tribus ſignificatur. Et *Hieroſolymae* quidem in hac inſcriptione nominatim mentio fit, quod regni totius eſſet metropolis, regis, procerum, judicum, ſacerdotum, doctorum, primaria et praecipua ſedes, ut ſignificetur, agi in hoc primo viſo Cap. I., et in univerſum quoque quod ad majorem partem in ceteris viſis hoc volumine comprehenſis, de fatis *Judaeorum*, quorum maxime conſpicuam partem facerent Hieroſolymitani. „Ita *Juda* et *Hieroſolyma* junguntur et infra II, 1. 2 Reg. XVIII, 22. XXIII, 1. 2. 2 Chron. XXXIV, 3. 5. 29. XXXV, 24. XXXVI, 4. 10. Rarius legitur ordine inverſo: *Hieroſolyma et* (reliqua) *Juda*, ut infra III, 1. V, 2. 2 Reg. XXIV, 20.

Eſra

Esra II, 1. Eodem modo dicitur *Zion et Hierosolyma*, X, 12. XXIV, 23." Gesenius. Reliqua inscriptionis pars designat temporis spatium, per quod Jesajas vaticinia edidit: בִּימֵי עֻזִּיָּהוּ, *in diebus Usiae*, qui et *Asarias* dicitur 2 Reg. XV, 1. seqq., cujus res gestas peculiari libro descripsisse Jesajas dicitur 2 Paral. XXVI, 22. Regni ejus initia in annum fere octingentesimum cadunt ante aerae Dionysianae initium. Regnavit in Judaea annos duos et quinquaginta, 2 Reg. XV, 2. יוֹתָם, *Jothami*, qui sedecim annos imperium tenuit, 2 Reg. XV, 33. אָחָז, *Ahas*, totidem annos, 2 Reg. XVI, 2. יְחִזְקִיָּהוּ *Hiskiae*, qui viginti et novem annos regno praefuit, 2 Reg. XVIII, 2. „Sciamus quoque, Ezechiam in Hierusalem duodecimo anno Romuli, qui sui nominis in Italia condidit civitatem, regnare coepisse, ut liquido appareat, quanto antiquiores sint nostrae historiae, quam gentium exterarum." Hieronymus. Anni vero, quibus reges illi regnum tenuerunt, si colligantur, *centum* reperiuntur *et tredecim*, sive *duodecim*, quo toto temporis spatio Jesajam vitam egisse, nedum vaticinia edidisse, parum est probabile. Demus itaque illi, quod fieri oportet, integros Jothami et Ahasi annos, qui quidem sunt *triginta et duo*, vel saltem *triginta et unus*, si Ahasi ultimus illi cum filio fuerit communis: supponere licebit, vatem Usiae et Hiskiae temporum partem tantummodo vixisse. Et quidem quod ad Hiskiam, liquet ex 2 Reg. XX, 1. Jesajam circa *decimum quartum* regni ejus annum adhuc superfuisse, eo enim anno rex, morbo difficillimo defunctus de sanitate recuperanda per Jesajam certior est factus. Sed verisimile est, vatem, jam tum aetate gravem, non adeo longe post illud tempus vita excessisse. Minimum igitur ex Hiskiae annis illi dandi sunt *quindecim*, qui cum *triginta et duobus* patris et avi illius regis conficient annos *septem supra quadraginta*. Quibus si addas *tres quatuorve* ex postremis regni Usiae annis; saltem ultra annos *quinquaginta* in munere egit publico, ad quod si tricenarius aut quadragenarius accesserit, satis ille sero et senex naturae debitum persolvit. Colligit quidem Abar-

Abarbenel ex 2 Chron. XXVI, 22., ubi Jesajas Usiae, regis, res gestas *priores et posteriores* literis mandasse narratur, vatem jam a primis Usiae initiis floruisse. Ei vero argumento quam parum insit certi ac solidi, quisque intelliget ipse. Quidni enim vates, quum in eo esset, ut res ab Usia sua aetate gestas literis consignaret, simul tradere potuit historiam temporis proximi, quo ipse adolescentiae aut juventutis cursum peregit? Cum enim recens erat earum rerum memoria, tum vero ipse ex illis suae aetatis hominibus narrationem illam facile contexere potuit. Multo autem minus credibile est, vatem nostrum vivendo attigisse Manassen, regem, degenerem Hiskiae filium, cujus jussu serra inter cedri asseres illum vivum fuisse dissectum, tradunt Hebraei, et antiquissimi Christiani scriptores. Cf. not. ad LII, 13. LVII, 1. Neque enim aetas tanta vatis, quem oportuisset ita ultra centum et viginti annos vivendo confecisse, verisimilis est, neque narratio illa de crudeli supplicii genere, quo trucidatus sit Jesajas, testibus fide dignis nititur. Ceterum quemadmodum totius libri inscriptio quatuor reges nominat, quibus regnantibus Noster vaticinia ediderit, sic inscriptionibus per singulas partes sibi succedentibus definiri videtur, quot vaticinia ad cujusque regis tempus pertineant. Nam Cap. VI, 1. mentio fit anni, quo rex Usias mortuus est, cujus inscriptionis a morte decedentis potius, quam ab initio regnantis desumtae ratio infra ad illum locum reddenda erit. Sequitur Cap. VII, 1. expressa temporis Ahasi commemoratio, tum XIV, 28. anni, quo Ahas mortuus est. Quum dehinc Hiskias regnum capesseret, ad ejus tempora reliqua et longe maxima libri pars referenda est, cf. Capp. XXXVI — XXXIX. Quare quae quinque prioribus Capitibus leguntur, referenda erunt, ex mente quidem ejus, qui hoc vaticiniorum syntagma in eum, quo nunc comparet, ordinem redegit, ad Usiae tempora; Cap. VI. Jothami aevo assignandum erit; ad Ahasi tempus pertinent, quae leguntur Cap. VII — XIV, 27., denique ad Hiskiae tempora referenda sunt cuncta reliqua, inde a Cap. XIV, 28.

usque

usque ad libri finem. Quod et HIERONYMO viſum, qui ſub initium ſui Commentarii in Jeſájam haec habet: „Quod in titulo ponitur, prophetaſſe eum ſub Oſia et Joatham, et Achaz et Ezechia, regibus Judae, non, ut in aliis prophetis, confuſe intelligendum eſt, ut neſciamus, quid ſub quo ſpecialiter rege dictum ſit, ſed usque ad finem voluminis ſcriptum referatur, quid ſeorſim ſub Oſia, et quid ſub Jotham, et quid ſub Achaz, et quid ſub Ezechia ei a Domino revelatum ſit." Verum temporis, quo vaticinia ſint edita, ordinem in iis collocandis non ubique eſſe ſervatum, apparebit cum in ſingula inquiſiverimus.

Quatuor conſtitui poſſunt hujus, quod a Jeſaja nomen gerit, voluminis *partes generales*, quarum *prima*, Capitibus *duodecim* primis, continet conciones propheticas in Judaeos et Ephraimitas, quos propheta varie redarguit, hortatur, conſolatur. Pars *ſecunda* inde a Cap. XIII. usque ad finem Capitis XXIII., continet vaticinia de fatis aliarum gentium, Caput XXII. ſi excipias, quod Hieroſolymitanis mala denunciat. Videntur haec vaticinia primitus ſingulare aliquod ſyntagma effeciſſe, quod hoc peculiare habet, quod ſingulis oraculis מַשָּׂא *effatum* praenotatum eſt. Parte *tertia*, Capp. XXIV—XXXV., comprehenduntur vaticinia, quae utrumque regnum Judaicum et Ephraimiticum ſpectant, Hiskiae tempore edita, quibus appendicis loco Capp. XXXVI — XXXIX hiſtorica quaedam, quae de Jeſaja referunt, ſunt addita. Pars *quarta*, Capp. XL — LXVI., liber eſt ſingularis a vate Jeſajá ſeriore, ſub exilii Babylonici finem compoſitus, uti in Prooemio illi Parti praemittendo oſtendemus.

I.

C A P. I.

A R G U M E N T U M.

Gravissimo orationis genere Deus et coelorum terraeque obtestatione stuporem atque ingratitudinem Judaeorum incusat (Vs. 2—4.), expositoque misero universi populi et reipublicae statu (Vs. 5—9.), respuit sacrificia et victimas, quae ipsi neque sancte, neque legitime offeruntur (Vs. 10—15.), docetque, quid fieri ab ipsis debeat, si velint et suas preces admitti, et sua vota compleri (Vs. 16. 17.). Quibus obsequentibus secunda omnia large promittit, recusantibus vero dura atque horribilia minatur (Vs. 18—20.). Tum, ut his monitis eo majorem adderet gravitatem, malum hunc atque infelicem reipublicae statum deplorat, eumque cum pristino bono atque felici comparat (Vs. 21—23.). Sperat tamen meliora, et pollicetur tempora, quibus, extincta mala ista progenie, pietas et justitia, et cum iis pax et quies reipublicae rediturae essent (Vs. 24. usque ad finem).

Nulla exstat ratio idonea, cur cum Koppio, Cubio et Bertholdtio (*Einleit.* p. 1387.) hoc Capite tres, a se invicem diversas, et vario tempore editas, orationes comprehendi existimemus. Illorum argumenta refutavit omnesque hujus Capitis partes arctissime invicem cohaerere ostendit Gesenius in *Commentar.* p. 146. Nec minus supervacanea Vogelii conjectura, mediam hujus Capitis partem,

tem, a Versu 10. usque ad 20. esse epitomen novae, a prima diversae, orationis.

Qui oracula hoc volumine comprehensa ordine chronologico posita existimant, ad seriem regum, qui in libri inscriptione indicantur (vid. not. ad Inscript. sub fin.); eos nostrum vaticinium una cum iis, quae proxime usque ad Cap. VI. sequuntur, Usia regnante editum sumere necesse est. Verum status reipublicae Judaicae afflictissimus et miserrimus, qualis in hac concione Vs. 7. 8. describitur, Usiano regno minime convenit, quo florentissimae erant res Judaicae. Alii, ut Jarchi, Vitringa, H. E. G. Paulus et Eichhorn, hanc pericopam ad ultima Hiskiae tempora referrem malunt, a quibus prophetae querelae de summa vastatione terrae illata morumque corruptione aliena non videntur. Sanheribi quidem irruptio non levem terrae destructionem intulit. Atque conatus pii regis populum suum a morum pravitate et idolorum cultu ad virtutem et veri Dei cultum revocandi, tam parum felicem successum habuisse, quam abnepotis sui Josiae, idem molientis. Hiskiae tamen tempori Gesenius obstare monet idololatriae cum cultu Jovae conjunctae commemorationem Vs. 2. 28. 29. Illo enim regnante idolorum cultum inter Judaeos viguisse, nec dicunt libri historici, nec queruntur oracula Capp. XXVIII—XXXIII, edita, quae Hiskiae tempore edita esse haud dubium est. Optime autem quae in hoc sermone de *tristi reipublicae statu, de neglecto Jovae cultu, corruptisque omnium ordinum moribus* legimus, conveniunt Ahasi temporibus, post Syrorum et Israelitarum in Judaeam irruptionem, vid. not. ad Vs. 7.

Exstant Everardi Scheidii *Specimina philologico-critica tria novam versionem Capitis I. et II. Vaticiniorum Jesajae, adjectis animadversionibus complectentia,* quae prodierunt Harderovici Gelrorum. 1779. 1780. in quatern.

---

2. [שִׁמְעוּ

2. שִׁמְעוּ—דִּבֵּר] Magnificum et grave exordium! Excitatur omnis natura, ut audiat Jehovam, de populi sui ingratitudine conquesturum. Haud insolita apud vates Hebraeos apostrophe, qua, indignatione contra ingratum populum Jehovae commoti, coelum et terras obtestantur, totique rerum naturae silentium inducunt; apud montes causam orant, et colles vocant, ut vocem ipsorum audiant; cf. Ezech. VI, 3. XXXVI, 1. Jerem. II, 12. Micha VI, 1. 2. Ps. L, 3. 4. Qua in re imitari videntur Mosen, qui praeclarum illud carmen suum, Deuter. XXXII. eodem gravi exordio incipit. Verbis כִּי יְהוָה דִּבֵּר attentionem parat a dignitate loquentis, quasi dicat: quae mox proferam, non sunt mea, sed *Jehovae*, quo loquente universam naturam attentam esse, par est. Praeteritum, דִּבֵּר, usurpatur h. l. pro Praesenti, ut saepissime alias eadem ratione dicitur אָמַר, v. c. Exod. IV, 22. XI, 4., et ipsum nostrum דִּבֵּר adhibetur Exod. XIX, 8. coll. Vs. 9., Jesaj. XVI, 13. XXXVII, 22. Quare nulla est causa, cur cum Lowthio legamus דֹּבֵר. בָּנִים — בִּי] Verbi רוּם forma Piel (רוֹמֵם), quae in genere notat *extollere*, ubi de liberis est sermo, et jungitur verbo גִּדֵּל, notat *educere in proceritatem*, ut infra Cap. XXIII, 4. Ezech. XXXI, 4. Quod Vitringa observat, Jesajam hic respicere Mosis verba Deut. XXXII, 6., ut prophetae גִּדַּלְתִּי exprimat Mosis עָשְׂךָ, *fecit, formavit te in populum*, et Jesajae רוֹמַמְתִּי positum sit pro Mosis יְכוֹנְנֶךָ *stabilivit, confirmavit te*; subtilius videtur. Bene Chaldaeus verborum hebraeorum sensum explicuit: עַמִּי בֵּית יִשְׂרָאֵל קְרֵיתִי לְהוֹן בְּנִין חַבִּבְתִּנוּן וִיקַרְתִּנוּן *populum meum, domum Israel, filios appellavi, amavi eos, et honoravi eos.* Pro גִּדַּלְתִּי Alexandrini ponunt ἐγέννησα, *genui*, quasi יָלַדְתִּי legissent, quod commendare posset locus non absimilis infra XXXIII, 4. לֹא־יָלַדְתִּי וְלֹא גִדַּלְתִּי בַחוּרִים רוֹמַמְתִּי בְתוּלוֹת. Verum quum ceteri veteres codicesque in recepta legendi formula consentiant, verbumque גִּדַּלְתִּי *alui*, vel *enutrivi*, μετονυμικῶς comprehendere possit τὸ יָלַדְתִּי, *genui*, ut Hos. IX, 12.; nil mutandum erit. Cf. ceterum loca parallela, infra XLIX, 21.

LI,

LI, 18. וְהֵם פָּשְׁעוּ בִי *Illi tamen a me defecerunt,* non solum simulacra colendo (illorum cultus saepius verbo פָּשַׁע, ubi de deo sermo est, indicatur, vid. Jerem. II, 8. coll. cum Vs. 10. 11. III, 13. cet.), verum et sceleribus pluribus aliis, quibus quam parum curae cordique ipsis essent divina praecepta, ostenderunt. Chaldaeus: וְאִנּוּן מְרַדוּ בְּמֵימְרִי *sed illi contra verbum meum rebellarunt.*

3. יָדַע — הִתְבּוֹנָן] Illustris comparatio, quae stupor et vecordia hominum ita significantur, ut nullo modo videantur exprimi posse significantius: quando aeque illud rependunt Deo, quod omnium animantium stolidissima referre solent possessori suo. יָדַע hic est *ἐπιγινώσκειν, agnoscere,* ut Jesaj. XLI, 20. Hos. II, 10. XI, 3. *Bos* et *asinus* ad majorem Israelitarum invidiam ponuntur, quod vera indoles *brutina in nullis* fere animalibus clarius, quam in his agnoscitur. Hieronymus: „Est sensus perspicuus: ego eos adoptavi in filios, et feci populum peculiarem, et partem meam, et funiculum hereditatis meae, appellavique eos primogenitos, illi autem ne hoc quidem fecerunt, quod bruta faciunt animalia, ut beneficiis vincerentur, et intelligerent pastorem ac nutricium suum. Nec comparavit eos canibus, quod sagacissimum genus animantium est, et pro parvo cibo dominorum tecta defendit, sed stolidioris sensus bovi et asino, quorum alterum carpenta trahens durissimas terrae glebas vertit vomere, alterum portat onera et hominum in gradiendo laborem temporat." Vide similem imaginem Jerem. VIII, 7. et cf. Hos. XI, 4. אֵבוּס non est *area,* ut post Gussetium probare studuit Schultensius in *Animadverss. Philologg.* ad Job. Cap. XXXIX. Vs. 9. et ad Genes. XL, 11., quae sententia tamen postea eidem ipsi displicuit ad Prov. XIV, 4., et refutata etiam est a Schwarzio in *Miscellann. Theologg. et Philologg.* p. 324. et a Michaele in *Supplementt. ad Lexx. Hebrr.* P. I. pag. 10. 11.; sed *praesepe,* ab Arab. أبش, *colligere, congregare* (unde أبش, *qui vestibulum alienae domus instruit cibo suo ac potu),*

potu), ita dictum, ut Michaelis vult, l. c., quod praeſepe communis boum convictus, ad quem congregantur. Ita et veteres omnes. Poſt verba יָדַע לֹא Lowthus, Scheidius, alii אֹתִי, *me*, textu exciſum, eique inferendum putant, coll. Jerem. IV, 22. Excitant pro hac lectione Alexandrinos (Ἰσραὴλ δὲ ME οὐκ ἔγνω) et Vulgatum (*Iſraël autem* ME *non cognovit*). Sed veriſimilius eſt, hos interpretes illud: *me*, ex ingenio addidiſſe, dictionem ellipticam exiſtimantes. Multa alia monuit Kocherus in *Vindiciis* p. 10. 11. Melius ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeteretur בְּעָלָיו et קֹנֵהוּ. Verum ne opus quidem eſt, quidquam ſubaudire, modo obſerves, verbum יָדַע abſolute uſurpatum, ſignificantius ſimul et elegantius eſſe, hoc modo: *Iſrael nihil novit, populus meus nihil intelligit;* ſicut infra apud noſtrum, LVI, 10. צֹפָיו עִוְרִים כֻּלָּם לֹא יָדָעוּ, item, XLIV, 18. Job. VIII, 9. Improbat hanc interpretationem Gesenius, ut quae ſenſum fundat nimis generalem. Sed eodem ſenſu abſoluto ſtatim additur עַמִּי לֹא הִתְבּוֹנָן *populus* meus *non intelligit.* Geminus huic loco eſt Pſ. LXXXII, 5. לֹא יָדְעוּ וְלֹא יָבִינוּ, *nihil noverunt, nec quicquam intelligunt et advertunt.* Nec illud אֹתִי agnoſcit Hieronymus, qui ad verba, uti ex ſua interpretatione ſonant, *Iſrael non cognovit, et populus meus non intellexit,* haec ſcribit: „Pro quo ſoli Septuaginta tranſtulerunt: *Iſrael autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit;* ut, juxta ceteros et Hebraicum, poſſeſſorem ſuum Iſrael non cognoverit, et praeſepe domini ſui non intellexerit.“ Chaldaeus: יִשְׂרָאֵל לָא אֲלִיף לְמִדַּע דַּחְלְתִי עַמִּי לָא אִסְתַּכַּל לְמֵתַב לְאוֹרַיְתִי *Iſrael non eſt aſſuefactus cognoſcere timorem meum, nec intelligi aſſidere legi meae.* Pro יִשְׂרָאֵל Kraegelius legendum cenſet וְיִשְׂרָאֵל, et pro עַמִּי Doederlein, auctoritate multorum codicum et verſionum veterum, וְעַמִּי; utrumque citra neceſſitatem, ut mihi quidem videtur; nam aſyndeta orationi poeticae melius conveniunt. Neutrum praeterea exprimit Chaldaeus, qui alias tamen particulas copulativas addere potius quam eas omittere ſolet.

4. Ad-

4. Additur gravis querimonia, quod filii a tanto patre non provide ſolum, ſed etiam amanter nutriti, in peſſimam naturam degenerarint. עַם כֶּבֶד עָוֺן Jarchi interpretatur *populum gravitatis ſ. oneris iniquitatis*, i. e. onuſtum gravitate iniquitatis, nam כֶּבֶר non, ut alii, pro ſtatu conſtructo nominis adjectivi, כָּבֵד, *gravis*, habet, ſed, vi formae ſuae, pro ſubſtantivo, idem quod כְבֵדוּת Exod. XIV, 25. denotante. Verum quemadmodum אֶרֶךְ in formula notiſſima אֶרֶךְ פָּנִים, *longanimus*, in ſtatu abſoluto (quo tamen nusquam occurrit) אָרֵךְ ſonaſſe videtur, ita et כֶּבֶד poſſit a כָּבֵד deductum eſſe. Delictorum conſcientia oneri comparatur gravi, quo ſuccumbit homo, cf. Pſ. XXXVIII, 5., cui opponitur נְשׂוּא עָוֺן, *culpa levatus*, infra XXXIII, 24. LXX: Λαὸς πλήρης ἁμαρτιῶν. Vulgatus: (*Vae*) *populo gravi iniquitate*. Chaldaeus primum hujus Verſus inciſum ita exponit: וַי עַל דְאִתְקְרִיאוּ עַם קַדִּישׁ וְחָטוּ כְּנִישְׁא בְחִירָא וְאַסְגִיאוּ חוֹבִין *vae illis, qui appellati ſunt populus ſanctus, ſed peccarunt, concio electa, ſed multiplicarunt delicta.* זֶרַע מְרֵעִים h. l. et infra XIV, 2. non ſignificat *malos, malorum poſteros, malos malis ſatos*, ſed coetum maleficorum nullo ad majores reſpectu, pro זֶרַע מֵרַע *proles malefica*; nomina collectiva enim non tantum ut ſingularia, ratione formae ſuae, verum et ut pluralia, ratione ſignificationis, conſtrui poſſunt, ut 1 Sam. XIII, 15. הָעָם הַנִּמְצְאִים עִמּוֹ *populus inventi cum eo.* Vid. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. XXVI. a. Eſt itaque זֶרַע מְרֵעִים i. q. בֵּית מְרֵעִים, infra XXXI, 2. et זֶרַע רְשָׁעִים Pſ. XXXVII, 28. Oppoſitum infra LXI, 9. LXV, 23. זֶרַע בְּרוּכֵי יְהוָה *progenies benedictorum Jovae*, i. e. coetus eorum, quibus Jova favet. E quorum locorum comparatione enata videtur Chaldaei interpretatio: אִתְכְּנִיאוּ בְּזַרְעָא רְחִימָא וְאַבְאִישׁוּ *cognominati ſunt proles electa, ſed male fecerunt.* Ita et Jarchi, nec multo aliter Hieronymus: „Qui primum per beneficium *filii* appellati ſunt *Domini*, poſtea vitio ſuo vocabantur filii iniquitatis, qui naturae bonum ſuo vitio perdiderunt.“ Recte LXX: Σπέρμα πονηρὸν, et Syrus: ܙܪܥܐ ܡܣܟܠܢܐ *progenies facinoroſa*;

noroſa; nec non Saadias: النّسل الشّرير, *progenies mala.* בָּנִים מַשְׁחִיתִים *Filii corrumpentes*, ſcil. *ſe ipſos*, ut ſubaudiendum ſit לָהֶם, coll. Jud. II, 12., vel, אֶת־דַּרְכּוֹ, *viam ſuam*, ut Geneſ. VI, 12. Zephan. III, 7. Ita Chaldaeus: אִתְאֲמַר לְהוֹן בְּנִין חֲבִיבִין וְחַבִּילוּ אוֹרְחַתְהוֹן, *appellati fuerunt filii dilecti, ſed corruperunt viam ſuam.* LXX: *υἱοὶ ἄνομοι.* Vulgatus: *filii ſcelerati.* Eodem, quo h. l., modo הִשְׁחִית abſolute pro *ſcelerate egit* dicitur Deut. XXXI, 29. Jud. II, 19. Jerem. VI, 28. Ezech. XVI, 47. Indicatur, Iſraelitas a majorum ſuorum religione moribusque puris et caſtis deflexiſſe. Lowthus mavult vertere *filios corruptos*, quaſi pro מַשְׁחִיתִים poſitum eſſet Hophal מָשְׁחָתִים, ut Prov. XXV, 46. Quam conjecturam commendat quinque codicibus Kennicottianis, in quibus Jod prius omiſſum eſt. Sed forma Hiphil, מַשְׁחִיתִים, alias quoque defective ſcribitur, vid. Geneſ. XIX, 13. Jerem. XXII, 7., ut ſaepe fit in vocibus, in quibus geminum י occurrit. עָזְבוּ אֶת־יְהוָה *Dereliquerunt Jovam*; verbum עָזַב, quod apud Arabes (عزب) de animalibus, v. c. camelis, ovibus, equis, dominum deſerentibus alioque divagantibus dicitur, uti ex Arabum philologis pluribus evicit Scheidius, in V. T. ſaepe uſurpatur de Hebraeis, qui derelicto cultu Jovano ſimulacris divinos exhibuerunt honores, vid. infra LXV, 11. Jerem. II, 19. Hoſ. IV, 10. Chaldaeus: שְׁבַקוּ יַת פּוּלְחָנָא דַיָי, *reliquerunt cultum Jovae.* Saadias: تَرَكُوا طَاعَةَ اللّٰهِ *reliquerunt obſequium Dei.* Verbum נָאַץ ſignificat, et in Piel, *ſprevit cum contumelia et ſubſannatione, rejecit cum contemtu*, conf. Pſ. X, 3. Num. XIV, 11. Veterum quidem plures verbum נָאַץ reddunt *ad iram provocavit* (exempla vide apud Michaelem in *Supplemm.* p. 1581.), et Jarchi quoque h. l. illud הִרְגִּיזוּ exponit, ita, ut, ſi auctoritatum numero ſtandum, haec notio, in plura lexica recepta, facile vicerit. At, quum locis haud paucis, *con-*

temnendi, spernendi significationem prope poscentibus, e. c. Prov. I, 30. V, 12. XV, 5. Jesaj. LII, 5. etc., ista significatio parum apta sit, solaque interpretum auctoritate aut conjectura nitatur, plane ea est abdicenda. Jo. Wilh. Schroederus in *Commentario in Psalm. X, 3.* p. 74. et Scheidius in *Specim. Animadverss.* p. 11. nostrum נָאַץ conferunt cum Arabico نَاصَ, quod usurpari solet de *indomito feroque jumento, exsolvere se vinculis magna vi nitente;* unde verba nostra sic reddunt: *extraxerunt se ad defugiendum Sanctum Israelis, excusserunt frenum Sancti Israelis.* Quam *contumaciter renitendi* significationem Schroederus transfert quoque ad Num. XI, 11. Deut. XXXI, 20. Chaldaeus: קַצוּ בְּדַחֲלַת קְדִישָׁא דְיִשְׂרָאֵל, *spreverunt timorem Sancti Israelis.* Vulgatus: *blasphemaverunt Sanctum Israelis.* קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל, *Sanctus,* i. e. Venerandus, Deus, *Israelis.* קֹדֶשׁ est synonymum τοῦ כָּבוֹד, *majestatis,* hinc קָדוֹשׁ, *venerandus, augustus,* a vate nostro saepe poni solet pro usitato אֵל, vid. e. c. Cap. XII, 6. נָזֹרוּ אָחוֹר *Recesserunt retrorsum.* Nam נָזֹרוּ non est a נָזַר, *separavit,* ut vult Jarchi, collato Levit. XXII, 2. וְיִנָּזְרוּ מִקָּדְשֵׁי בְנֵי־יִשְׂרָאֵל, *ut separent se a sanctitatibus filiorum Israel;* sed Niphal verbi זוּר (uti a כּוּן est נָכֹנוּ *parata sunt,* Ezech. XVI, 7.) *declinare,* retrocedere, abalienare se ab aliquo (uti زَارَ pro زَوَرَ in Conjugat. VI. VIII. IX. XI.), praesertim usurpatur de iis, qui a Dei cultu et pietate sese alienant, quo sensu et סוּג et סוּר usurpatur, vid. Ps. XLIV, 19. infra L, 5. Alii conferunt cum Arabico نَارَ (med. *Je*), *fastidivit, abhorruit.* Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 604. LXX duo postrema verba hebraica non expresserunt. Theodotion vero ἀπηλλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω vertit. Vulgatus: *abalienati sunt retrorsum.* Chaldaeus: וּבְדִיל עוֹבָדֵיהוֹן בִּישַׁיָּא אִסְתְּחַרוּ וַהֲווֹ לְאַחוֹרָא *et propter malefacta sua aversi sunt et fuerunt retrorsum.* Syrus: ܘܗܦܟܘ ܠܒܣܬܪܗܘܢ *et*

retrocessistis. Saadias: وتدحّوا الي وراء *et truserunt se retorsum.* Verba עָזְבוּ, נִאֲצוּ, נָזֹרוּ, a Syro et Alexandrinis cum Arabe in Polyglottis, in secunda pluralis persona vertuntur. Nec tamen inde collegerim, illos interpretes aliter legisse ac in nostris codicibus scriptum extat. Ceterum observa in membro posteriori gradationem poeticam: עָזְבוּ, *reliquerunt* — נִאֲצוּ, *spreverunt* — נזרו. *recesserunt.*

5. Significat Deus, nullum esse supplicii genus, quod non inflixerit rebelli populo, ut eum a peccando deterreret. [עַל־מֶה — סָרָה] Nonnulli interpretes duplicem in hoc membrum inferunt interrogationem, hoc modo: *amplius percutimini? additis recessionem?* Mihi tamen orationis seriei videtur aptius, verba posteriora cum bene multis interpretibus sine interrogatione vertere: *tamen peccare pergitis.* Vel: *quare percutiemini amplius, recedere pergentes usque?* עַל־מֶה multi vertunt: *cur?* ut Num. XXII, 32. עַל־מָה הִכִּיתָ אֶת־אֲתֹנְךָ *cur percussisti asinam tuam?* Quasi dicat: quid prodest percutere vos, quum castigatione non erudiamini? Verum ego cum Vulgato mallem *super quo?* super quanam parte? ut Job. XXXVIII, 6, 2 Chron. XXXII, 10. Ita et Doederlein: *quis in vobis castigationi locus superest?* id quod melius convenit cum iis, quae sequuntur, *a planta pedis usque ad caput nihil est sani.* Eandem imaginem habet Ovidius Pont. II, 742. *Vix habet in vobis jam nova plaga locum.* LXX: Τί ἔτι πληγῆτε, προστιθέντες ἀνομίαν; Vulgatus: *Super quo percutiam vos ultra, addentes praevaricationem?* Hieronymus: „Est sensus: non invenio, quam plagis vestris possim adhibere medicinam; omnia membra vestra plena sunt vulnerum, nullam partem corporis, quae non sit ante percussa, reperio. Vel certe hoc modo: nullas invenio plagas, quibus vestram frangam duritiem. Quanto enim tormenta majora sunt, tanto magis crescit impietas et

et iniquitas, five, ut Theodotio transtulit, *declinatio*, ut recedatis et declinetis a Domino. Quale eft illud Jeremiae [II, 35.]. *Sine cauſſa* [לַשָּׁוְא] *percuſſi filios veſtros, diſciplinam non recepiſtis.* Cf. Jerem. V, 3. Chaldaeus: לָא מִסְתַּכְּלִין לְמֵימַר עַל מָה לְקִיבָא עוֹד מוֹסְפִין לְמֶחְטֵי *non ſunt intelligentes dicendo: quorſum caedimur? adhuc addentes peccare.* Saadias: وعلي ماذا توّدبوا أيضا *et ſuper quonam* (vel *propter quid*) *caſtigabimini amplius?* Paulus male توّدبوا legit, quod ad ودب, *male ſe habuit* retulit, quum fit Paffivum Conj. III. verbi أدب *caſtigavit, corripuit.* Lowthus fine neceffitate pro תֻכּוּ legens תַּכּוּ, vertit: *quemnam locum amplius percutere velitis?* quafi propheta alloquatur perfonas, quibus Jehova ad caftigandos Ifraelitas utebantur. סָרָה plerumque redditur *refragatio, contumacia,* a סָרַר, quod verbum Deuter. XXI, 18. 20. ex filo orationis et auctoritate veterum interpretum de *filio refractario* intelligitur. Sed Michaelis in *Supplemm.* p. 18. 12. confert Arabicum شرّ *malus, maleficus fuit,* unde شرّ *malum, maleficium.* Scheidius obfervat, شرّة notare *acrem vehementiam* et *proterviam laſcivientem*, eam inprimis, qua jugi vincula jumentum ferociter difcindit et disrumpit. Hinc Hof. IV, 16. כְּפָרָה סֹרֵרָה *ſicut juvenca refractaria.* Cf. Zachar. VII, 11. Respublica calamitatibus obruta comparatur homini per totum corpus caefo et faucio. כָּל־רֹאשׁ לָחֳלִי *Omne caput in aegritudinem* abiit, ut 2 Paral. XXI, 18. *Percuſſit eum Deus in inteſtinis ſuis* לָחֳלִי *ut in morbum abirent inſanabilem.* Vel ל ftatum indicat, ut Pf. XLV, 15. לִרְקָמוֹת *veſtibus phrygionicis* indutus, vid. not. ad eum loc. Hieronymus: „Per metaphoram docet, quod a principibus usque ad extremam plebem, a doctoribus usque ad imperitum vulgus, in nullo fit fanitas, fed omnes ad impietatem pari ardore confentiant.“

דַּוָּי *Languidum* (coll. Arab. دوى *aegrotavit*, *intus corruptus*, *languidus fuit*), praeter hunc locum bis, Jerem. VIII, 18. Thren. I, 22., et *de corde* quidem tantummodo usurpatur. Ubi vero caput moeret, et cor languet, aegrum est atque imbecillum totum corpus. LXX ultima verba reddunt: *καὶ πᾶσα καρδία εἰς λύπην*. Cf. Thren. V, 17. עַל־זֶה הָיָה דָוֶה לִבֵּנוּ *hanc ob rem languet cor nostrum.*

6. מִכַּף־רֶגֶל וְעַד רֹאשׁ, ut Deut. XXVIII, 35. Job. II, 7. מִכַּף־רַגְלוֹ וְעַד קָדְקֳדוֹ *a planta pedis usque ad verticem.* Hieronymus: „Servat coeptam translationem: *a pedibus usque ad verticem*, id est, ab imo usque ad summum, ab extremis usque ad primos, toto confossi sunt corpore." Ita Chaldaeus: מִשְּׁאָר עַמָּא וְעַד רֵישָׁא *a residuo populi usque ad caput.* מְתֹם alias *integrum*, hic, *sanum*, ut Ps. XXXVIII, 4. 8. פֶּצַע a Kimchio et Abarbenele recte videtur exponi: היא המכה המוציא דם *plaga, unde effluit sanguis*, *vulnus*, ut recte Vulgatus. Saadias وهن *debilitas*; quod Paulus male وهن *et illae* legit. Chaldaeus, qui totum hunc Versum metaphorice interpretatur: בִּדְחַלְתִּי כּוּלְהוֹן סָרְבִין וּמָרְדִין *in timorem mei omnes illi rebellarunt.* חַבּוּרָה non potest esse *cicatrix* (cf. enim Genes. IV, 23. Exod. XXI, 25.); sed significat *tumorem*, ex verberibus ortum, Graecis *μώλωψ*, Latinis *vibex*. Propria hujus vocis significatio est, *nota alicui rei impressa*, coll. Arab. حبر *atramentum*, *color*, *lineamenta*; et حبرة *virgatio*, cum quid *notis et striis longioribus insignitur*, hinc, *vestis striata*, in primis *cinerei coloris*. Unde apte haec vox *vibicis* notionem accipere potuit. Cf. Schultensium *ad Harir. Consess.* V. p. 156. 157. Concipit Kimchii hujus vocis interpretatio: המכה אשר לא הוציא דם שהדם והליחה צרורים בה, *plaga, e qua sanguis non effluit, quippe sanguis*

guis et tumor collectus sub cute tenentur. Vulgatus: *livor.* Chaldaeus: אִתְגַּעֲלוּ בְּחוֹבִין *inquinati sunt peccatis suis.* מַכָּה טְרִיָּה *Vulnus recens humidum*, i. e. saniosum et purulentum. טְרִיָּה, praeter hunc locum semel tantum, Jud. XV, 13., obvium, ubi de maxilla asini recens occisi dicitur, vocabulum esse arabicum, Kimchi ad eum locum, et Aben-Esra ad nostrum locum recte asserunt. Nam طَرِيّ est *recens*, et usurpatur de animalibus, butyro, carne, plantis. Exempla vide in Bocharti *Hieroz.* P. I. Cap. XV. T. I. p. 171. edit. Lips. Quibus nos addimus nostro loco prae aliis idoneum ex Avicennae *Can. Med.* P. I. p. 127. lin. 45. (ed. Rom. 1593. fol.) يدمل الجراحات الطرية *cicatrice obducuntur vulnera humida.* Jarchi nostrum טְרִיָּה *saniosum* (*moite*) interpretatur, et Kimchi לחה *humidam*, additque: „q. d. plaga vestra saniosa est, quae numquam arescet, sed erit semper humida, quod signum est, vulnus esse insanabile." Chaldaeus: כְּמַחָא מַרְסְנָא *sicut plaga ulcerosa.* Vulgatus: *plaga tumens*, Alexandrinum sequutus, πληγὴ φλεγμαίνουσα. Saadias: ضَرْبَة مُسْتَحَقَّة *plaga promerita* (non: *fricando trita*, ut Paulus interpretatus est, qui vocem posteriorem pro Partic. Conjug. VIII. verbi سحق habuit, quum sit Partic. X. verbi حَقَّ). לֹא זֹרוּ *non sunt expressa*, quod statim ab initio fieri necesse est, ut ex vulnere exeat sanguis. Aben-Esra: „Chirurgi vulnera hiantia comprimere, sive exprimere solent, ut pus exeat." Verbum זוּר, quod hic occurrit, differt a זוּר *declinare*, quod supra Vs. 4. legimus; nostrum convenit cum Arabico زَرَّ *comprimere*, et Syrorum ܙܪ *manu vel pugillo aliquid capere.* Cf. Michaëlis *Supplemm.* p. 605. Idem, quod hic habemus, זוּר, legitur etiam Jud. VI, 38. Job. XXXIX, 15. — חֻבַּשׁ, quod proprie in universum notat: *ligare, obligare*, deinde praecipue dicitur de *obligatione*,

sive

ſive *faſciis* et *emplaſtris vulnerum*, ut Pſ. CXLVII, 3. Ezech. XXXIV, 4. 16. Job. V, 18. לֹא רֻכְּכָה בַּשָּׁמֶן *Non delinita eſt oleo*, plaga recens, ſanguine manans, מַכָּה טְרִיָּה, ad haec enim verba referendum eſt רֻכָּכָה, ſicuti זֹרוּ et חֻבָּשׁוּ ad פֶּצַע et חַבּוּרָה. Vulneribus ad deliniendum inſtillabatur oleum; vid. Luc. X, 34. Hieronymus: „In Evangelio legimus deſcendentem de Hieruſalem in Hiericho a latronibus vulneratum curatúmque a Samaritano, et poſt auſteritatem vini infuſam vulneribus ejus olei mollitudinem.“ Galenus *de compoſ. Medic. per partes Corp. II. de vulnere capitis:* Ἐφ' ὧν δὲ τραυμάτων, ἢ διὰ μικρότητα, ἢ ἄλλως οὐκ ἔνεστι ῥαφεῖς χρῆσθαι, τελμάτιον μετ' ὀξυελαίου ἐπιτίθει, ἢ σπόγγον κενὸν ἐν ὀξυελαίῳ δεύσας ἐπιθές Plinius *Hiſt. Nat. XXXI*, 47. *In vulnerum curatione et ſuccidae lanae vicem implent, nunc ex vino et oleo, nunc ex eadem* (posca). Columella VII, 5. 18. *Fracta pecudum non aliter quam hominum crura ſanantur, involuta lanis oleo atque vino inſuccatis et mox circumdatis ferulis conligata. Schabbat, f.* 134. 1. *Vetus habet traditio; non licet in hominis aegroti gratiam* vinum et oleum *die ſabbathi inter ſe commiſcere.* Cf. etiam de olei in vulneribus ſanandis uſu Adrian. Coquian. in *Philolog. Sacra* p. 144. Hippocratem *de ulceribus.* §. IV. Poſterius hujus Verſus hemiſtichium LXX ita interpretati ſunt: οὐκ ἔστι μάλαγμα ἐπιθεῖναι, οὔτε ἔλαιον, οὔτε καταδέσμους. Hieronymus: *Non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Et in Commentario addit, pro *medicamine* Aquilam poſuiſſe μότοσιν, „*linteola* videlicet, quae ad exſiccandam ſaniem et purulentias extrahendas injiciuntur vulneribus.“ Chaldaeus et haec verbis propriis explicat: לָא שָׁבְקִין מִזְדוֹנֵיהוֹן וְלָא מְחַמְדִין לְתְיוּבְתָא אַף לָא זַכְוָן לְהוֹן לְאַגָּנָא עֲלֵיהוֹן *non deſiſtunt a faſtu ſuo, nec deſiderant agere poenitentiam, nec ſunt eis virtutes, quibus protegantur.*

7. Quod vates antea per imaginem expreſſit, id nunc propriis dicit verbis. אַרְצְכֶם שְׁמָמָה *Terra veſtra ſolitudo.*

ſ.

f. in solitudinem redacta *est*. Cf. infra LXII, 4. Respicit comminationes, quae leguntur Levit. XXVI, 33., ubi inter alia legum divinarum contemtoribus denunciatur: וְהָיְתָה אַרְמַתְכֶם לְנֶגְדְּכֶם זָרִים אֹכְלִים אוֹתָהּ — אַרְצְכֶם שְׁמָמָה *Agrum vestrum*, s. collective, *agros vestros*, quod attinet, *coram vobis barbari consumunt eos*, i. e. possessiones vestrae, et fructus, quos vester vobis labor parere debuit, externis sunt praedae, quae, vobis spectantibus, avide devorant. אֲדָמָה Kimchi significare ait *agros fructiferos arbigerosque*, (שדות הזריעה ואלונותיהם); et infra XXX, 23. Hic autem agri ponuntur pro ipsorum *proventibus*, qui ab hostibus barbaris consumti dicuntur. Cf. Hos. VII, 9. וּשְׁמָמָה כְּמַהְפֵּכַת זָרִים *Et desolatio est ut subversio hostium*, omnia veluti a barbaris sunt eversa. Alii quidem interpretes, ut Aben-Esra, Abendana, Michaelis, Lowthus, quibus haec verba nimis tautologica cum praecedentibus videntur, vertunt: *veluti subversio torrentis*, s. *subversa veluti diluvio*, *als von einem Wolkenbruch*, ut Michaelis reddit in *Supplemm.* p. 650. „Sub Palaestinae enim climate, addit, coelitus emissa diluvia graviora esse solent, quam nostro, non solum ob majorem aquae effusae molem, sed et, quod, cum nostri montes acclives sint, ibi acutiore angulo in altum surgant, diluviumque modicam, qua teguntur, humum abripiens, nuda saxa et sterilia relinquens." Qui hanc sententiam sequuntur, iis זָרִים est nomen substantivum (ad formam פָּקִיד, ut e. c. נָבִיא *praedictio* Dan. IX, 24.) ad radicem זָרַם, *inundavit* (Ps. XC, 5.), referendum, nec pro זָרִים legere זֶרֶם, cum Lowtho, necesse habent. Schultensius in notis ad *Excerpta ex Amadoddino Ispahanense* p. 12. (quae adjectae sunt vitae Saladini a Bohaddino conscriptae a Schultensio editae Lugd. Batavor. 1732. fol.), nostrum זָרִים refert ad Arabicum ضرم, quod de *aquis aestuantibus* et *effervescentibus*, et hinc de *torrentibus* usurpatur, vertitque: *vastitas ut subversione rapidi et fervidi torrentis*. Ita quoque Clodius in *Lex. Hebr. Sel.* p. 177. Similiter

Saadias:

Saadias: كَهُكُفِ ٱلسُّيُول *veluti rapido torrentis curſu.* Doederlein: *omnia veluti tempeſtate ſunt everſa.* Sed haec parallelismo membrorum non ſatis apta videntur. Senſus potius eſt, ſubverſionem eſſe ejusmodi, qualem quis exſpectet ab hoſtibus peregrinis, alienigenis, barbaris, nullo cognationis vinculo nobiscum conjunctis. Sic Alexandrini: *καὶ ἠρήμωται κατεστραμμένη ὑπὸ λαῶν ἀλλοτρίων.* Vulgatus: *et deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili.* Chaldaeus: וּבְחוֹבֵיהוֹן צְדִיאַת מִנְכוֹן אִתְחַלְּפַת וַהֲוָת לְנוּכְרָאִין *et propter peccata eorum vaſtata eſt, a vobis permutata* (i. e. ablata), *et facta eſt exteris*, i. e. barbaris in poſſeſſionem ceſſit. מַהְפֵּכָה ſummam indicat rerum omnium *ſubverſionem*, qua *ima ſummis mutantur* (uti Horatius loquitur *Carm.* L. I, 34. 12.), diciturque de everſione Sodomae et Gomorrhae infra XIII, 19. Deut. XXIX, 22. זָרִים apud Hebraeos eodem ſenſu ſumitur, quo Lacedaemonii voce *ξεῖνος, peregrinus*, utebantur, pro hoſtibus alienigenis barbaris, vid. Herodot. L. IX. p. 608. Cicero *de Offic.* L. I. C. 12. *Hoſtis apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Qua *hoſtis barbari* ſignificatione noſtrum זָר quoque occurrit infra XXV, 2. Jerem. XXX, 8. Deſcribuntur hisce verbis tempora illa regno Judaico triſtiſſima, quibus Ahaſo regnante non Iſraelitae modo, Rege Pecacho, ſed et Syri ab aquilone, Idumaei ab auſtro, Philiſthaei ab occidente, Judaeam invaderent, terraque ſpoliata et vaſtata, urbibus occupatis, multisque hominum millibus abductis bello captis, cladem Judaeae inferrent graviſſimam, atque Hieroſolymae obſidionem, irrito licet conatu, tentarunt, vid. 2 Reg. XVI, 5. 2 Chron. XXVIII, 5 — 8. ſeqq. Qui oracula hoc volumine comprehenſa ad temporis, quo ſingula ſunt edita, ordinem digeſta putant (vid. not. ad Vs. 1. p. 9.); hunc ſermonem, omnium primum, a Jeſaja imperante Uſia, quo rege munus propheticum eſt auſpicatus, pronunciatum eſſe volunt. Quum vero regis illius temporibus res Judaeorum florerent,

nec

nec ejusmodi querelis, quales hic vates effundit, locus esset; eas referunt ad calamitates illas, quarum auctor erat Amazia rex, qui, quum animo elatus post victoriam ab Edomitis reportatam Joasum, regem Israelis, ad certamen provocasset, magna ab eo clade accepta captus ipse, et durissimis conditionibus dimissus est, spoliata non solum terra et urbe, sed moenibus etiam Hierosolymitanis magnam partem dirutis (id quod respicitur Vs. 8.). Vid. 2 Reg. XIV, 8—14. 2 Paral. XXV, 14—24. Verum si etiam demus, vixisse adhuc Usiae tempore plures, qui illas calamitates experti essent, parum tamen verisimile est, vatem eas post longioris temporis intervallum tanquam recentes suis auditoribus proposuisse.

8. Servata quidem erat a communi vastitate urbs regia, sed sine dignitate, ad angustias redacta, et grassantium circumquaque hostium vi conclusa et quasi obsessa. בַּת צִיּוֹן *Filia Zionis*, i. e. Hierosolyma, a regia sede sic dicta, 2 Sam. V, 7. *Zion* nomen erat montis, in quo arx Jebusitarum a Davide expugnata cum parte urbis Hierosolymitanae sita erat, unde Zion haud raro pro ipsa Hierosolyma ponitur, vid. Ps. LXXXVII, 2. 3. CII, 14. 17., et infra apud Nostrum, II, 3. בַּת צִיּוֹן *Filia* vero *Zionis* urbem una cum incolis designat, ex more scriptorum Orientalium, quo praesertim in stilo sublimiori, regnum, populum, aut civitatem, ut *mulierem*, *puellam*, *virginem* sistere solent, vid. Glassii *Philol. S.* p. 1022—24. edit. Dath. Sic *filia Babylonis*, infra XLVII, 1. *filia Aegypti*, Jerem. XLVI, 11., *filia Zidonis*, infra XXIII, 12. Cf. Ps. XLV, 12. CXXXVII, 8. בַּת צִיּוֹן Gesenius observat pro בְּנֵי צִיּוֹן *filii* i. e. incolae *Zionis* poni, ut Mich. I, 11. יוֹשֶׁבֶת שָׁפִיר pro יֹשְׁבֵי שָׁפִיר *incolae Schaphiri*, eundemque usum loquendi et apud Syros obtinere, quibus ܒܪܬ ܐܒܪܗܡ *filia Abrahami* sint ejus filii, ܒܪܬ ܥܒܪܝܐ *filia Hebraeorum* Hebraei, ܒܪܬ ܥܡܗ *filia populi sui* pro *populus suus*.

Nec

Nec Arabibus inusitatum illum esse, patet e Versibus Amrui Ben Kelthum in *Amrui Moallaka* a Kosegarten editae, ubi p. 7. ابنة وايل *filia Wajeli* sunt *filii Wajeli*, Wajelitae. כְּסֻכָּה בְכָרֶם *Sicut tugurium in vinea*, quod peracta vindemia a custode, cui erat umbraculum, vacuum relinquitur, et brevi ita collabitur, ut nuda supersint *statumina*. סֻכָּה hic propriam suam significationem habet, *tugurium ex ramis frondibusque arborum factum*, cf. Levit. XXIII, 40—42., ubi de tuguriis festi tabernaculorum ponitur, nec non Jon. IV, 5. de virente ricini tugurio. Hic usurpatur de custodis vineae tugurio, ut Job. XXVII, 18., quod ex ramis arborum construi docet SHAW p. 124. *Itinerarii* vers. germ. Ita Alexandrini: *σκηνή*. Vulgatus: *umbraculum*; Syrus: ܡܛܠܬܐ; Saadias: عريش, idem. Chaldaeus: וְאִשְׁתְּאַרַת כְּנִשְׁתָּא דְצִיּוֹן כִּמְטַלְּלְתָּא בְּכַרְמָא בָּתַר דְּקַטְפוּהִי *et relicta est coetus Zionis sicut umbraculum in vinea, postquam eam vindemiarunt.* מְלוּנָה est *tugurium*, in quo custos noctem agit, qualia et nostris in hortis, maturescentibus fructibus, habemus. Observat Jarchi, in cucumerario poni מְלוּנָה, in vinea vero סֻכָּה, accurato et eleganti verborum delectu. Nam posterius dici de tuguriis ramorum confectorum compage constantibus, qualia fiebant in festo tabernaculorum, ut in iis dies noctesque agerentur. In סֻכָּה igitur vineae adjuncta custodes poterant diu noctequo habitare, prout vinea eget utroque tempore custodiri, a furibus noctu, ab avibus autem die. Sed מְלוּנָה, quae a verbo *pernoctandi* (לון, unde מָלוֹן infra X, 29.) denominatur, quadrare cum cucumerarii necessitate. Nam cucumeres sola nocte custodiri egent, quoniam a furibus tantum periclitantur, ab avibus minime. Alexandrini et Theodotion *ὀπωροφυλάκιον* reddunt, quod Hesychius interpretatur *σκηνὴν ἢ καλύβην τοῦ φυλάσσοντας τὰς ὀπώρας*. Juxta Hieronymum quoque in Epist. ad Sunn. et Fretel. Ὀπωροφυλάκιον est *specula, quum custodes satorum et pomorum habere consueverunt.* Saadias: مَنْظُورَة, *specula custo-*

custodia vineae. Hieronymus: „Similitudo vastationis Hierusalem sumta est ab agricolis, qui, quamdiu vinea uvarum plena est, ponunt custodes in umbraculis. In *cucumerario* quoque, quod Septuaginta *pomorum custodiam* vocant, parvulae fiunt casulae propter ardorem solis ac radios declinandos, et inde vel homines, vel bestiolas, quae insidiari solent natis frugibus, abigunt. Cum autem ablata fuerint istiusmodi genimina, remanent arentium fruticum umbracula casulaeque recedente custode, quia non habet ultra, quod servet." Chaldaeus: כְּעַרְסָל מְבָתוּתָא בְּמִקְשְׁיָא בָּתַר דְּאַבְעֲיוּהִי *sicut cubile tugurii in cucumerario, postquam perquisiverunt illud*, i. e. fructus ejus collegerunt. מִקְשָׁה hoc tantummodo loco obvium, est *cucumerarium*, hortus cucumeribus consitus a קִשֻּׁאִים *cucumeres*, Num. XI, 5. idem quod Arabicum مَقْثَأَة, quod Saadias posuit. Est igitur מִקְשָׁה eliso א pro מִקְשָׁאָה, ut Habac. III, 17. מִכְלָה, *caula*, pro מִכְלָאָה. Cucumeres in deliciis Orientis esse, non modo e Num. XI, 5. apparet, verum etiam ex testimoniis peregrinatorum recentiorum. Arviosius quidem in *Relationibus suis* passim Aegypti et Syriae cucumeres ob saporis praestantiam laudat, aliisque longe praeferendos esse, confirmat. Hinc mirum non est, hortos in Palaestina integros hoc fructu esse consitos. Cf. Hasselquisti *Itinerar.* p. 530. vers. germ. כְּעִיר נְצוּרָה plerique interpretes vertunt: *sicut urbs obsessa*, quasi נְצוּרָה sit Participium Niphal verbi צוּר, *arctare*, hinc de urbe usurpatum, eam *obsidere* (vid. 2 Sam. XI, 1. XX, 15.), pro נְצוֹרָה, Schurek pro Cholem posito. Ita LXX: ὡς πόλις πολιορκουμένη. Chaldaeus: כְּקַרְתָּא דְּצָיְרִין עֲלַהּ *sicut urbs, cui insidiantur*, i. e. quam obsident. Syrus: ܐܝܟ ܡܕܝܢܬܐ ܡܚܒܫܬܐ *sicut urbs inclusa.* Eos sequutus Vitringa, sensum ita exponit: Hierosolyma hic comparatur cum urbe obsessa, quod circa eam omnia vastata desolataque essent, nam hostes, qui obsessionem urbis meditantur, proxima omnia,

omnia, ne impedimento iis sint, diruere solent et nudare. Verum recte jam monuit Gussetius in *Commentarr. Ling. Hebr.* sub radice נצר lit. B., non congruere similitudinem urbis obsessae neque cum reliquiis, quas Deus proxime antea servasse dicitur, nec cum tuguriolo, cui illae comparantur, de quibus reliquiis certe ut a Deo custoditis vates Vs. 9. loqui pergit. Nostrum נְצוּרָה Gussetius non diversum esse observat ab הַנָּצוּר, quod Ezech. VI, 12. illud quod a gladio *servatum* fuerit a נָצַר, denotat, ut praecedens הַנִּשְׁאָר, quod de peste relictum fuerit; neque igitur necessarium esse, nostrum נְצוּרָה pro Participio Niphal habere, idque contra analogiam, imo anomalia, vix unum exemplum habente. Vertendum igitur esse nostrum כְּעִיר נְצוּרָה *sicut urbs custodita* sive *servata;* „non de integra Jerusalem hoc dicit, sed de reliquiis ex immani illa devastatione reservatis; nam de ista devastatione, quam Vs 7. descripsit, non amplius agit Vs. 8., sed de reliquiis, tenuissimis quidem, sed quas Deus providentia sua curat, ut non pereant. Ita similes sunt hae reliquiae tuguriolo in medio vineae, aut cucumerarii, deserto illi quidem, et debili, et humanitus incustodito, sed quod remanet tamen." Gesenius כְּ ante עִיר ita ut supra Vs. 7. ante מַהְפֵּכַת זָרִים sumto, sic interpretatur: sicut urbs esse solet, quae ex universali devastatione reliqua servata est. *Urbem servatam* nostrum עִיר נְצוּרָה interpretatur quidem et Alb. Jac. Arnoldi, Theologus Marburgensis, in *Programm. cui insunt Observationes ad quaedam Jesajae loca,* Marburg. 1796. in quat. p. 12.; sed quum parum concinna ipsi videatur comparatio, qua *urbs* cum *urbe* conferatur; *Caph* nomini עִיר praefixum, h. l. ἀποδοτικὸν esse arbitratur, quod illi Caph, quod nomini מְלֻנָה est praepositum, respondeat ut προτακτικῷ; geminatum vero hujusmodi *Caph* aequipollere Latinorum: *ut, ita; qualis, talis,* est notum (vid. N. G. Schroederi *Syntax.* §. CXII. et Storrii *Observatt.* p. 246.), et infra apud Nostrum XXIV, 2. sexies eo modo geminatum exstat. Quare Versum integrum hunc in modum vertit:

vertit: *Reliqua facta est Zion, ut tugurium in vinea; ut casa in cucumerario, ita urbs illa servata,* scil. Hierosolyma. Qui tamen sensus ut prodeat, pro בְּעִיר Vir Doctissimus כָּעִיר efferre necesse habet, pro *Schevate* reposito *Camez*, quo scilicet exprimatur articulus elisus. Nec carere articulo debuit, si illum sensum vates exprimere voluit, נְצוּרָה, quod tamen minus urgendum, quum sint exempla (a Schroedero l. c. §. CVII. 2. not. 1. et Storrio l. c. p. 126. allata), quibus alterum ה articuli in ejusmodi loquutionibus desit. Ego tamen quod in omnibus codicibus scriptum est בְּעִיר; mera ex conjectura mutare, periculosum esse, et in Gussetii interpretatione acquiescendum existimo. Merito autem Arnoldi repudiavit alias nonnullas interpretationes, quibus vocibus hebraicis novae plane et nullis testimoniis ex usu loquendi petitis comprobandae significationes affinguntur, qualis est gemina, quae ab Everh. Scheidio proponitur explicatio, altera, qua עִיר a *vigilandi* notione, quam verbum עור obtinet, *locum, ubi quis in custodia esset,* נְצוּרָה vero a *virendi* significatione, Arabico نضر propria, *hortum* denotet: ut igitur בְּעִיר נְצוּרָה vertendum sit: sicut *vigilarium in horto;* altera, qua, mutatis, ex conjectura, verbis hebraicis, quae nunc leguntur, in בְּעִי בִּנְצוּרָה, interpretandum sit: *sicut umbraculum in horto,* collato inaudito nomine עִי cum غايايّة, quod *quidquid hominem superne inumbrat* significat. Nec magis probandum arbitror, quod Jo. Ad. Tingstadius in *Supplementor, ad Lexx. Hebrr. Speciminn.* (junctim editt. Upsal. 1803. in octon.) p. 22. nostrum בְּעִיר נְצוּרָה *sicut turrim speculatoriam* reddendum censet, quum עִיר toties in V. T. obvium nullam aliam, nisi *urbis* significationem habeat; nam quod Dan. IV, 10. legitur עִיר, *vigil,* Chaldaicum est, non Hebraicum nomen. Hieronymus vertit: *sicut urbs, quae vastatur* (quod sequutus Lutherus: *wie eine verheerte Stadt*), auctore procul dubio Judaico suo magistro, qui, ut alii a Kimchio commemorati Hebraei,

nostrum

noſtrum, בְּצוּרָה ad בִּנְצוּרִים infra LXV, 4. referunt, quod *ruinas,* ſive *loca vaſtata,* aliqui notare opinantur. Saadias: ܐܘ ܟܩܪܝܐ ܡܬܒܨܪܐ aut *inſtar urbis peculiaris* ſ. *ſingularis factae,* i. e. quae ſingula remanſit, ſupereſt.

9. Jovae tantummodo debemus clementiae, quod Sodomae et Gomorrhae fata non experti ſumus. לוּלֵי — כִּמְעָט Niſi Dominus e noſtris exiguum numerum conſervaſſet, nempe hujusmodi hominum, qui veri Dei cultores appellari mereantur, quorum cauſa adhuc parcit noſtris, ut olim urbibus illis, ſceleribus inquinatis, peperciſſet Deus, ſi quinquaginta, quin etiam ſi decem juſti inter improborum colluviem fuiſſent, Geneſ. XVIII. יְהוָה צְבָאוֹת *Jova exercituum* fere per ellipſin pro יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *Jova Deus exercituum,* uti Jerem. V, 14. XV, 16. XXXVIII, 7. dictum volunt, quod יְהוָה, nomen proprium, ſecundum canones grammaticos, cum alio nomine conſtrui nequeat. Sed monuit Gesenius, et nomina propria in ſtatu conſtructo poni, ut notum illud אֲרַם נַהֲרַיִם *Aram* ſ. Syria *duorum fluminum* i. e. Meſopotamia, בֵּית לֶחֶם יְהוּדָה *Bethlehem Judae* 1 Sam. XVII, 12. Arabica exempla affert ربيعة المقترين *Rabiath pauperum,* i. e. liberalis in pauperes, et عنترة الفوارس *Antara equitum* ſcil. princeps. Illi exercitus vero ſunt *aſtra* (צְבָא הַשָּׁמַיִם, Deut. IV, 19. 1 Reg. XXII, 19.), quae ſaepius ut Dei miniſtri ſiſtuntur, cf. Pſ. CIII, 21. LXVIII, 12. הוֹתִיר, quod alias, ut Deut. XXVIII, 11. XXX, 9. *abundantiae* notionem habet, h. l. *reſiduum facere,* ut Jerem. XLIV, 7. Ezech. XII, 16. notare, docet additum שָׂרִיד, quod שָׂרִיד proprie notare videtur *ſemen ſuperſtes,* quod ad ſationem ſupereſt, inde in univerſum *reliquiarum* ſignificationem accepit, vid. Num. XXI, 35. Job. XVIII, 19. XX, 21. Hinc Alexandrini vocem hebraeam verterunt σπέρμα, quod vocabulum Syrus interpres Rom. IX, 29. reddit noſtro ܫܪܟܐ, quo etiam h. l. utitur.

Ex-

Exstincta magna parte gentis, qui pauci supersunt, haberi possunt instar seminis ad propagationem gentis. Arabs in Polyglottis Alexandrinorum *σπέρμα* h. l. reddit بقية *reliquias.* Koppius vertit: *quod evasit* (*das Entronnene*); conferens Arabicum شرد *effugit.* Sic et Saadias, شريدا ponens. Et Chaldaicum שֵׁיזָבָא, quo h. l. Chaldaeus interpres utitur, a שֵׁזַב, *eruere, eripere,* proprie notat *id quod evasit,* hinc *residuum, reliquias.* כִּמְעַט propr. *tanquam parum.* At littera כ hic non indicat similitudinem aliquam, sed veritatem ejus rei, de qua est sermo, ut Deut. IX, 10. Nehem. VII, 2. Ps. CV, 12. Vide Glassii *Philol. Sacr.* p. 434. ed. Dath. Hinc vertendum; *reliquiae vere parvae.* Cf. 2 Chron. XII, 7. Si accentum Masorethicum non respicias, כִּמְעַט possit referri ad membrum posterius, hoc sensu: *fere tanquam* (qua significatione כִּמְעַט occurrit Prov. V, 14.) *Sodoma evasissemus* etc. Quod tamen languidius. Ceterum constans haec est vatum spes, in Israele semper melioris progeniei semen residuum mansurum, vid. e. c. infra XVII, 6. Ezech. XII, 16. Quare cum Paulus Rom. IX, 29. nostrum locum ut communem adducit, non per accommodationem, sed legitima interpretatione id facit. Nam Jesajae ratiocinatio in hoc Versu eadem est, ac ista foret: si decem probi fuissent Sodomae, haec non fuisset destructa. Inde pariter Israelis conservatio pependit.

10. Jam orationem convertit ad majorem, eamque pejorem popularium suorum partem. *Proceres populi* vates appellat קְצִינֵי סְדֹם, *principes Sodomae,* et populum Israeliticum עַם עֲמֹרָה, *populum Gomorrhae,* ut significet, mores eorum haud meliores esse, quam istorum hominum, eademque inde poena, qua illi sint affecti, eos dignos esse. Vitringa opinatur, non intelligendam esse veterem Sodomam et Gomorrham, sed indicari potius Ammonitas et Moabitas, qui ex illis originem habebant, quorumque pro-

proprium vitium erat ſuperbia et afflictorum pauperumque neglectio; cf. Ezech. XVI, 49. Jerem. XLIII, 27. XLIX, 1. Jeſaj. XVI, 6. קָצִין non differt ab Arabico قاضي (*Cadi*), *judex*, a קָצָה, *ſecuit*, *decidit*, q. d. *deciſor*, hinc in univerſum *magiſtratus*, *proceres*, ut hic. Alexandrini: ἄρχοντες. Vulgatus: *principes*. תּוֹרַת אֱלֹהִים est *Dei voluntas*, quam vates in iis, quae ſequuntur, refert. Chaldaeus totum Verſum ita exponit: קַבִּילוּ פִּתְגָמָא דַיָי שִׁלְטוֹנַיָא דְשׁוּבְדֵיהוֹן בִּישִׁין כְּשִׁלְטָנֵי סְדֹם אֲצִיתוּ לְאוֹרַיְתָא דֶאֱלָהָנָא עַמָּא דְעוֹבָדֵיהוֹן דָּמְיָן לְעַם עֲמֹרָה *percipite verbum Jovae, judices, quorum opera mala, ſicut judicum Sodomae, audite legem Dei, populus, quorum opera ſimilia populo Gomorrhae.*

11. Quum gens illa tantum tribueret ſacrificiis a ſe oblatis, ut expiatum iri crederet peccata ſua, aut fore impunita, ſi ſacrificia illa ſtatis temporibus et praeſcriptas a lege ceremonias obiret; Deus non modo nihil eis profutura ſacrificia, verum et ingrata ſibi eſſe ait, ſi pietas abeſſet aut morum honeſtas. Eadem inculcantur 1 Sam. XV, 22. Jerem. VI, 20. Hoſ. VI, 6. Amos V, 21—24. לָמָּה לִּי *Ad quod mihi?* i. e. quem in uſum? ut Geneſ. XXVII, 46. זֶבַח ſignificat *quodvis ſacrificium*, quod Deo ſit ex animalibus apud aram jugulandis, et vel partem, vel totum in eam inferendis. שָׂבַעְתִּי *Satiatus ſum*, ut Pſ. LXXXVIII, 4., ita ut ſint mihi faſtidio, et nauſeam moveant. עֹלוֹת *Holocauſta*, quae, excepta pelle, tota cremabantur in ara, cf. not. ad Levit. I, 1. 2. *Sanguis* et *adeps* memorantur, quia haec in omnibus ſacrificiis deo ſeponebantur. Adeps ſemper in altari cremabatur; ſanguis vero pro diverſitate victimarum, mox ad altaris cornua adſpergebatur, mox ad ejus latera effundebatur. Vid. Levit. IV. — מְרִיאִים Alexandrini hic et plerisque in locis, quibus haec vox occurrit, verterunt ἄρνας, *agnos*, Vulgatus vero, Syrus et Chaldaeus, *pingues*, *ſaginatos* (פַּטִּימִין), quae etiam eſt multorum Hebraeorum interpretatio. Bocharto מְרִיא eſt quaedam *bubalorum* Syriacorum ſpecies,

quam

quam describit ex Bellonio, *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XXVIII. T. I. p. 280. edit. Lips. Ita Saadias, qui جواميس, *bubalos*, vertit. Sed eos in altari offerre non licuit. Koppius מְרִיא *vitulum lactantem* notare existimat, coll. Arab. مارِي, *foetus vaccae laevis et albus*. Tingstadio in *Supplemm. ad Lexx.* p. 78. indubium est, מְרִיא significare *pullum* vel *ovis*, vel *bovis*, *ubera stringentem materna*, quod colligit tum ex parallelia hujus vocis cum עֵגֶל, *vitulo*, et כְּפִיר, *catulo leonis*, infra XI, 6., tum cognatione ejusdem cum Arabico مرأ *pullo bovis*, tum denique ex interpretatione Alexandrini, qui מְרִיא modo ἀρνὸν, modo ταυρὸν vertit, et infra XI, 6. et a Vulgato nostra vox *ovis* redditur. „Accedit, quod שׁוֹר וּמְרִיא, 2 Sam. VI, 13. per פָּרִים וְאֵילִים exponantur 1 Paral. XV, 26. Scilicet quemadmodum a מְרָא hebr. et chald. *pinguefacere, saginare*, derivatum fuisse videtur מְרִיא *pecus pingue et saginatum*, Ezech. XXIX, 18.; ita a מָרָה, Arab. مرى, *ubera strinxit*, nomen quoque מְרִיא, addito more Arab. א servili, aliis in locis sortitum fuisse *pullum bovis* seu *ovis*, *ubera* matris *stringentem*, a vero non abhorret." Michaelis in *Supplemm.* p. 1544. coll. Arab. مرأ, *bene profecit*, *facilis digestu fuit cibus*, *bene concoxit cibum*, מְרִיאִים sunt pecora, quae in stabulo saginantur, opposita illis, quae pastum emittuntur. Certum videtur, מְרִיא commune nomen esse *jumentorum* et *agnorum*, vel ad esum, vel ad sacrificium *saginatorum*, a verbo מְרָא, quod, juxta Talmudicos, in *Piel* est *saginare*. Quare Chaldaeus illud nomen constanter פַּטִּים, *pinguem*, exponit. Jarchi ad Ezech. XXXIX, 18. *bovem* saginatum Arabibus مري dici afferit. Kraegelius pro מְרִיאִים legendum censet מִלֻּאִים, qua voce indicantur sacrificia, quae in sacerdotum inauguratione offerri solebant, vid. Levit. VIII, 28. Quae conjectura quam sit vana, sensusque, qui

hinc prodit, quam jejunus, quisquam, etiam me non monente, intelligit. Ceterum ad posterius Versus hemistichium quoad sensum cf. Ps. L, 9. 13. LI, 18. 19.

12. כִּי תָבֹאוּ *Quando venitis*, eodem modo particula כִּי infra VIII, 19. et Genes. IV, 12. usurpatur. Alexandrini verterunt: *οὐδ' ἂν ἔρχεσθε ὀφθῆναί μοι*, quasi legissent: כִּי לֹא תָבֹאוּ. Non est necesse, ut pro לֵרָאוֹת legamus in Kal לִרְאוֹת, quod habet unus Codex Rossianus, et fortasse Syrus quoque legit, Michaële, Koppio, Henslero probantibus. At לֵרָאוֹת פָּנַי positum est pro לְהֵרָאוֹת אֶל־פָּנַי. Occurrit phrasis integra Exod. XXIII, 17. 1 Reg. XVIII, 1. 2. 15., et cognata per praepositionem אֵת, *ad*, Exod. XXXIV, 23. 24. Deut. XXXI, 11. Eadem ellipsis est Ps. XLII, 3. Accedit, quod Hebraei nusquam dicere solent: *Dei videre faciem* (רְאוֹת פְּנֵי אֱלֹהִים); eam enim a nullo mortali conspici posse existimarunt, sine praesentissimo mortis periculo. Intelligitur haud dubie solennis ille totius populi conventus ad locum Deo sacrum, in tribus solennibus festis; de quo conventu vid. Exod. XXIII, 17. זֹאת *Haec* omnia, quorum mentio fiebat Versu antecedente, et hoc. מִיֶּדְכֶם *Ex manibus vestris*, Saadias recte vertit مِنْكُم, *a vobis*. Verbis postremis, רְמֹס חֲצֵרָי, *calcare atria mea*, s. *ut calcetis atria mea*, innui videtur, ab iis, qui sacrificiis a manibus usque adeo impiis oblatis, onusti templum ingrediantur, calcari potius et pollui sacra, quam ornari et coli. Saadias: أَنْ تَدُوسُونَ صُحُونِي بَاطِلًا *ut calcetis interiora domus meae frustra*. Alexandrinus junxit verba רְמֹס חֲצֵרָי initio Vs. 13., vertit enim, *πατεῖν τὴν αὐλήν μου οὐ προσθήσεσθε*· id quod Lowtho et Henslero quoque placuit. Recte vero monet Kocher: „*Apparere ad Dei faciem et ejus conculcare atria*, orationis membra sunt sibi mutuo respondentia, ita ut quod medium intercedit: *quis requirit id a manu vestra*, utrique commune

mune jungat utrumque; quamobrem posterius a priori revulsum ad sequentem Versum rapere, et violentum esse, et sensum intricatum minusque commodum reddere existimo."

13. Hactenus sacrificia ex animalibus, sive *cruenta*, memorata erant; nunc transit vates ad sacrificia *incruenta*, sive *ferta*. Prius hujus Versus hemistichium Alexandrinus, qui, ut monuimus, verba לֹא תוֹסִיפוּ ad praecedentem Versum retulit, sic vertit: *ἐὰν φέρητέ μοι σεμίδαλιν, μάταιον· θυμίαμα, βδέλυγμά μοί ἐστι.* Et Vulgatus: *ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi.* Verum enim vero vocabulum מִנְחַת, quod cum voce שָׁוְא per statum constructum et lineolam Makkeph arctissime cohaeret, ab ea non est divellenda; nec divellendae sunt voces קְטֹרֶת תּוֹעֵבָה, per accentum conjunctivum *Darga* indivulso cohaerentes nexu. Vertendum potius hoc modo: *ne pergitote offerre oblationem vanitatis, suffitus abominationis est mihi.* Nec alium in animo habuisse videtur sensum Chaldaeus, qui verba hebraea ita expressit: לָא תוֹסְפוּן לְאַיְתָאָה מִנְחַת אֲנִיסָא קוּרְבַּן מְרַחַק הוּא קֳדָמַי *ne addatis offerre oblationem violentiae* (f. *ex rapina*), *sacrificium abominabile est coram me.* Suffragatur etiam ipsa rei convenientia. Nam מִנְחָה erat sacrificii species, ex simila et farina puriori parata, cui oleum cum thure affundebatur, adeoque *munus igne absumptum odoris grati Jovae*, Levit. II, 1. Licet igitur in se מִנְחָה fuerit oblatio naribus gratissima; attamen, quia ingratum ex impuris sceleratorum manibus contraxerat foetorem, non poterat non Deo sanctissimo displicere. Ceterum מִנְחַת שָׁוְא, *munus* f. *oblatio inanitatis* f. *vanitatis*, est *munus vanum*; solent enim Hebraei eo modo per regimen conjungere duo nomina substantiva, quorum posterius, scil. rectum, *adjectivi* locum tenet, ut Exod. XXIX, 29. בִּגְדֵי הַקֹּדֶשׁ, *vestes sanctitatis*, i. e. sanctae. Jerem. XII, 10. שְׁנַת עוֹלָם, *somnus perpetuitatis*, i. e. perpetuus. *Inanis* vero oblatio dicitur, sive, quod ea merum et nudum sit munus absque recto

 animi

animi sensu; sive quod Deus eam eandem illam ob causam non velit respicere, unde nullus ad offerentes redundaturus sit usus. Clericus מִנְחַת־שָׁוְא vertit *munus mendacii*, i. e. *fucatum*, munus, quo ii, qui id offerebant, falso animum religiosum prae se ferebant, cum nullus esset in iis. Tunc שָׁוְא positum esset pro שֶׁקֶר, ut Exod. XX, 7. Ita et Hezelius, qui vertit *Trugopfer*. קְטֹרֶת *Suffitus*, sacer, compositus e stacte, onyche, galbano et thure, vid. Exod. XXX, 34. et not. ad eum locum. קְטֹרֶת תּוֹעֵבָה *Suffitus abominationis*, i. e. abominandus, qui fastidium et nauseam creat. Similis est sententia Levit. XXVI, 31., ubi Deus minatur iis, qui sibi non futuri sint morigerantes: וְלֹא אָרִיחַ בְּרֵיחַ נִיחֹחֲכֶם, *neque vestrorum sacrificiorum odore delectabor*. Cf. Proverb. XV, 2. חֹדֶשׁ *Novilunium*, primus dies mensis, quo luna nova conspicitur. Is dies festus erat apud Judaeos, ut apud Romanos *Kalendae*. Vid. Levit. XXIII, 24. 25. Num. XXVIII, 11. XXIX, 1. Per קְרֹא מִקְרָא, *convocare concionem*, significantur sabbatha omnis generis, non hebdomadalia tantummodo, verum etiam festorum majorum primi dies et ultimi, dies pentecostes, calendae mensis primi, ejusdemque dies decimus; qui omnes dies indicebantur (נִקְרְאוּ), i. e. renunciabantur per praeconem, ne quid operis illis diebus fieret. Cf. Levit. XXIII, 2. 7. 8. Id verbis קְרֹא מִקְרָא denotari, multis probavit Vitringa *de Synag. Vet.* L. I. P. II. Cap. 11. Alii interpretes, ut Jarchius et Aben-Esra, illud קְרֹא מִקְרָא ad novilunia solum et sabbatha referunt, ut sensus sit: *indicitis quidem novilunia et sabbatha, sed ego abhorreo ea.* קְרֹא pro קְרִיאַת, *praeconium*, Infinitivus pro nomine, ut saepius, e. c. Genes. XXXII, 25. 2 Reg. XIX, 27. לֹא אוּכַל *Non possum* scil. *ferre*, aposiopesis indignantis, ut Ps. CI, 5. Infinitivus לְשֵׂאת, h. l. omissus, exprimitur Jerem. XLIV, 22. אָוֶן h. l. significat *scelera, peccata*, ut Jerem. IV, 14. Ps. XCIV, 23. Scheidius h. l. nomine hebraeo *simulacrorum cultum* indicari existimat, quae superstitiosa religio veri Dei religioni eadem illa dictione opponitur infra

LXVI, 3. Amos V, 4. Cf. Zachar. X, 2. עֲצָרָה ab עָצַר, *cohibuit, prohibuit*, proprie *cohibitionem operis*, quo minus id peragatur, notare, inde sit verisimile, quod ter, Levit. XXIII, 36. Num. XXIX, 35. Deuter. XVI, 3. post עֲצֶרֶת הִיא additur tanquam explicationis caussa: כָּל מְלֶאכֶת עֲבֹדָה לֹא תַעֲשׂוּ, *ullum opus servile non facietis*, vel, עֲצֶרֶת הִיא לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ לֹא תַעֲשֶׂה מְלָאכָה, *cohibitio est Jovae, Deo tuo, non facies negotium.* Unde 2 Paral. VII, 8. 9. *festo*, חַג, opponitur עֲצֶרֶת, per medios enim festi tabernaculorum dies licebat labores peragere, non ultimo, qui Sabbati jus habebat. Tum עֲצָרָה et עֲצֶרֶת generatim de omni *festo*, praesertim *solenniore* (*feriato*) dicitur, veluti 2 Reg. X, 20. de festo extraordinario in honorem Baalis, cf. Joel I, 14. Amos V, 21., et quod Exod. XIII, 6. vocatur חַג לַיהוָה, idem Deut. XVI, 8. dicitur עֲצֶרֶת לַיהוָה. *Congregationis* s. *coetus* notio, quam id nomen Jerem. IX, 1. (עֲצֶרֶת בֹּגְדִים) obtinere videtur, a priore illa, *festi*, translata est, quod festis diebus magna hominum copia congregari solet. Alias de nominis עֲצָרָה significatione sententias recensuit et dijudicavit Ikenius in *Dissertat. de Azereth Festi ad Deut. XVI*, 8. in ejus *Dissertatt. Philologg. Theologg.* P. I. p. 56. seq. Cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1950. seqq. Ceterum quum dictio לֹא־אוּכַל accentibus verbis אָוֶן וַעֲצָרָה jungatur; verba, quae praecedunt, חֹדֶשׁ וְשַׁבָּת קְרֹא מִקְרָא, pro nominativis absolutis sunt habenda, ut totum posterius Versus hemistichium ita sit reddendum: *Kalendas, Sabbatha, conventuumque actiones* quod attinet, *non possum ferre ferias et vanitatem*, s. una cum vanitate. Neque mala Kocheri interpretatio in *Vindiciis* p. 18. 19.: „*Sabbathum, convocare, convocarique coetum* (nam Infinitivus קְרֹא utrumque sensum peraeque admittit); et verba Versus ultima, אָוֶן וַעֲצָרָה; *iniquitatem et festum*, mutata phrasi rem eandem dicunt: quod vere intercedit, לֹא־אוּכַל, *non possum ferre*, itidem ac praecedente observatum Versu [ad verba מִי־בִקֵּשׁ זֹאת מִיֶּדְכֶם], ad utrumque pertinens utrumque conjungit. Atque אָוֶן וַעֲצָרָה, *iniquitas et festum*, sunt,

ſunt, mea quidem ſententia, *feſta iniquiſſima* (cf. infra LVIII, 3. ſeqq.); quale illud Virgilii *Georg.* II, 192. *Pateris libamus et auro*, ubi Servius: id eſt, *pateris aureis*, ἓν διὰ δυοῖν facit, ut *molemque et monteis*. Sic Lucani VI, 398. *Chalybem frenosque momordit.* Cf. Job. IV, 16. X, 17." Ikenius l. l. p. 64. אָוֶן collato cum Arabico أون, *quies, tranquillitas*, vertit: *neomeniam et ſabbathum non poſſum ferre, quietem et abstinentiam.* Languide! nec nomini אָוֶן toties in V. T. indubitata *vanitatis* notione occurrenti ſignificatio h. l. affingenda eſt plane nova, extrinſecus petita. Nec magis placet quam C. L Hoheisel in *Obſervatt. philolog. exegett. in nonnulla Eſajae loca* p. 6. ſequ. noſtrorum verborum attulit interpretatio: *non ſuſtinebo iniquitatem, etiamſi ſolennitas feſti maxima ſit.* Addo veterum interpretationes. Alexandrinus: Τὰς νουμηνίας ὑμῶν, καὶ τὰ σάββατα, καὶ ἡμέραν μεγάλην οὐκ ἀνέχομαι, νηστείαν καὶ ἀργίαν. Pro אָוֶן eum interpretem ſuo in codice צוֹם legiſſe, opinatur Lowthus, conſentiente Koppio, qui conferre jubet Joel I, 14. II, 15., quo utroque loco ſimiliter צוֹם et עֲצָרָה junguntur. Verum recte Kocherus monet, quum interpres ille pro אָוֶן et אוֹנִים nonnumquam ὀδύνην, ſubinde et πένθος reddiderit, ſuſpenſo hic et incerto facile de jejunii afflictatione cogitationem incidere potuiſſe. Vulgatus: *Neomeniam et Sabbathum, et feſtivitates alias non feram; iniqui ſunt coetus veſtri.* Chaldaeus: יַרְחִין וְשַׁבִּין כְּנִישָׁא אַתּוּן מִתְכַּנְשִׁין לָא שְׁבַקִין חוֹבֵיכוֹן לְקַבָּלָא צְלוֹתְכוֹן בְּעִדָּן כְּנִישַׁתְכוֹן *neomeniae et ſabbatha, coetus congregationis veſtrae non habent vim remittendi peccata veſtra, ut exaudiatur oratio veſtra tempore congregationis veſtrae.* Syrus verba לֹא - אוּכַל אָוֶן וַעֲצָרָה vertit: ܠܐ ܐܟܠ ܐܢܐ ܥܘܠܐ ܘܐܘܠܨܢܐ, *non comedo fraude et coactu paria.* Pro אוּכַל legit אֹכַל. Saadias: لا أجيز لكم الغل مع المكث في القدس *non permitto vobis perfidiam cum mora in Sanctuario.*

14.

14. חָדְשֵׁיכֶם וּמוֹעֲדֵיכֶם *Novilunia*, inquam, *vestra, vestrasque celebritates*, ἐπανάληψις, quam Kocherus adhibitam observat, vel ob effrenam illo tempore Kalendarum licentiam, vel quod ipsa repititio gravitatem pondusque aeque ac elegantiam habeat. Ceterum ad sensum cf. Hos. V, 7. שָׂנְאָה נַפְשִׁי *Odit anima mea*, eadem phrasis de Deo usurpata Ps. XI, 5. הָיוּ עָלַי לָטֹרַח *Sunt super me* i. e. mihi *oneri*; טֹרַח, quod praeter hunc locum tantummodo Deut. I, 12. occurrit, a طرح, *projecit*, *abjecit*, proprie rem significat, quam quis a se amoliri cupit; et laudato Deuteronomii loco tanquam synonymum illi jungitur מַשָּׂא, *onus* (a נָשָׂא, *portavit*). Chaldaeus h. l. posuit ריחוק, quod *rem elongandam*, *amovendam*, adeoque *abominandam* denotat. Nec male Vulgatus: *facta sunt mihi molesta*. LXX: Ἐγενήθητέ μοι εἰς πλησμονήν. נִלְאֵיתִי נְשׂא *Defessus sum ferendo*, cf. Jerem. XLIV, 22. Vulgatus: *laboravi sustinens*, q. d. usque adeo mihi gravia sunt et molesta, ut in eis perferendis non parum mea laboret patentia. Alii נשׂא h. l. *condonandi* significatione capiunt, ut infra II, 9. Ps. XCIX, 8. et alias haud raro. Ita Alexandrinus: οὐκέτι ἀνήσω τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν, quod Hieronymus in sua interpretatione expressit: *nequaquam dimittam peccata vestra*. Symmachus: ἐκοπώθην ἱλασκόμενος. Chaldaeus: אַסְגֵּיתִי לְמִשְׁבַּק, *multus fui condonare*. Sed figurae oneris gravis et molesti, quod Deus a se amoliri laborare sistitur, melius concinit נָשָׂא sumtum pro bajulatione oneris, ea enim fatigat, animumque creat cessandi tandem ab illo labore. Accedit, quod נָשָׂא, ubi *condonandi* notionem obtinet, semper additum habet לוֹ aut לָהֶם.

15. וּבְפָרִשְׂכֶם כַּפֵּיכֶם *Cum expanderitis palmas vestras*, ritu supplicantium, manus et palmas opis implorandae causa ad coelum tendentium, qui ritus in sacris aeque ac exteris scriptoribus notus, et communiter, instinctu rationis, receptus est. Vid. Exod. IX, 29. XVII, 11. 12. 1 Reg. VIII, 22. 2 Reg XIX, 14. Horatius *Odar.* L. III. 21, 1.

Coelo

Coelo ſupinas ſi tulerit manus. Virgilius *Aeneid.* I, 93. *Ingemit, et duplices tendens ad ſidera palmas.* In voce בְּפָרִשְׂכֶם Aben-Eſra et Kimchi obſervant, ſub *Reſch* eſſe *Chirek* loco τοῦ *Segol;* collato כְּדַבֶּרְכֶם, Exod. XII, 31. Ceterum Chaldaeus, quem multi inter Hebraeos ſequuntur, haec verba ad *preces ſacerdotum* retulit: וְכַד כַהֲנַיָּא פָּרְסִין יְדֵיהוֹן לְצַלָּאָה עֲלֵיכוֹן *et cum ſacerdotes expandunt manus ſuas ad precandum pro vobis.* אַעְלִים עֵינַי מִכֶּם *Abscondam oculos meos a vobis,* ſimulabo, me non videre, oculos alio flectam (cf. Levit. XX, 4. Ezech. XXII, 26. Proverb. XXVIII, 27.), i. e. negligam, non attendam, nec erit mihi ea res curae. Chaldaeus: מְסַלְּקְנָא אַפֵּי שְׁכִנְתִּי מִנְּכוֹן *averto vultum praeſentiae meae a vobis.* Saadias: أَحْجُبُ رَحْمَتِي عَنْكُمْ *ſecludam benignitatem* ſ. *miſericordiam meam a vobis.* גַּם כִּי *Etiamſi,* ſi vel maxime, ut Hoſ. VIII, 10. IX, 16. תַּרְבּוּ תְפִלָּה *Multiplicaveritis orationem,* ut Vulgatus vertit. Cf. phraſin 1 Sam. I, 12: הִרְבְּתָה לְהִתְפַּלֵּל יְהוָה *preces prolixas fudit coram Jova.* יְדֵיכֶם דָּמִים מָלֵאוּ *Manus veſtrae plenae ſunt ſanguine,* i. e. rapinis et oppreſſionibus egenorum, viduarum, orphanorum, ut multi cum Vitringa hanc imaginem exponunt. Ita fere et Doederlein: „דָּמִים, inquit, non tantum *caedes* ſunt ex etymologia, ſed *dira quaevis crimina,* ex uſu loquendi, *flagitia* ut Pſ. LI, 16." Hezelius, qui hoc primum oraculum Ahaſi temporibus editum exiſtimat, ſub דָּמִים intelligit ἀνθρωποθυσίας, a rege illo impio in idoli cujusdam Ammonitici honorem celebratas, 2 Chron. XXVIII, 3. 2 Reg. XVI, 3. Equidem tamen cum Michaele vere *caedes* et *homicidia* intelligere mallem, nam in corrupto illo judiciorum ſtatu, qui infra Vs. 21. 23. 27. deſcribitur, multi innocui, mox ex partium ſtudio, mox ex facultatum divitiarumque cupiditate, non occidi non potuerunt. Chaldaeus דָּם זַכַּי, *ſanguinem innocentem,* poſuit. Gravis hinc erit ſententia: *manus, ſanguine innocuorum madentes, ad Deum protenditis!* Sacrificia illa etiam gentibus barbaris exſe-

exſecrabilia cenſebantur, quae pollutae manus obtuliſſent. Siç Hector apud HOMERUM *Iliad.* Z, 267. ſeq.

— — *οὐδὲ πῃ ἐστι, κελαινεφέϊ Κρονίωνι*
αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι

Et Amphyction Herculi ad preces ſe paranti, apud SENECAM *Herc. Fur. V.* 917.

— — *Nate, manantes prius*
Manus cruenta caede et hoſtili expia.

Cf. HESIODI *Opera et Dies* Vs. 724. ſeqq. 740. HORATII *Od.* III, 23, 17. ſeqq.

16. Prima hujus Verſus verba reſpiciunt ad finem proxime antecedentis. Admonentur Iſraelitae, ut *manus madentes ſanguine* lavent. Alludit vates ad ritus ablutionis corporum et veſtium in cultu Levitico praeceptos. רַחֲצוּ *Lavate*, ſcil. manus veſtras a ſanguine, quem effudiſtis, ut Aben-Eſra interpretatur. Alii: *lavate vos*, neque enim tantummodo transitive uſurpatur verbum רָחַץ, ut Exod. XXIX, 4., verum et reciproce, ut 2 Reg. V, 10., ubi Eliſae angelus jubet; הָלוֹךְ וְרָחַצְתָּ, *i, lava te ſeptem vicibus in Jordane.* In voce רַחֲצוּ literam *Reſch* ſuppoſitam habere *Patach*, quod ſit Imperativus (qui in Singulari רְחַץ), quum Praeteritum foret רָחֲצוּ, a ſingulari רָחַץ, notat Jarchi. A peccando ſordes ſibi contrahere homo ſiſtitur, quare qui ad meliorem frugem redit, omiſſis peccatis, ab iis *ſeſe lavare* dicitur. Ita Jeremias IV, 14. כַּבְּסִי מֵרָעָה לִבֵּךְ יְרוּשָׁלִַם *lava a malo cor tuum, Hieroſolyma.* Et in Actis XXII, 16. *Surgens, baptizator, καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας.* Cf. 1 Cor. VI, 11. Eodem ſenſu additur הִזַּכּוּ, *purificate vos*, Hithpael verbi זָכָה, pro הִתְזַכּוּ, vel potius הִזְדַּכּוּ, quae transpoſitio et mutatio Chaldaeis familiarior. Ita Num. XXIV, 7. וְתִנַּשֵּׂא pro וְתִתְנַשֵּׂא, *tollit ſeſe;* et מִטַּהֵר pro מִתְטַהֵר, *mundans ſe*, Levit. XIV, 4. Cf. Pſ. LXXIII, 13. אַךְ־רִיק זִכִּיתִי לְבָבִי *Nae ego fruſtra mentem meam expurgo*, וָאֶרְחַץ בְּנִקָּיוֹן כַּפָּי, *et manus innocentia perluo.*

Jam

Jam vates quod antea poetice expreſſerat, propriis dicit verbis. רֹעַ מַעַלְלֵיכֶם *Pravitas operum veſtrorum*, i. e. opera veſtra prava, Subſtantivum prius ſuſtinet Adjectivi vicem, ut ſaepe, exempla vide apud Glassium *Phil. Sacr.* L. I. Tract. I. Can. VIII. p. 23. 24. edit. Dath. Eadem phraſis Pſ. XXVIII, 4. *Pravis* vero *operibus* imprimis videtur intelligenda oppreſſio proximi et vis atque injuria, innocuis illata, cf. Vs. ſequ. חִדְלוּ הָרֵעַ, Jarchio obſervante, poſitum pro חִדְלוּ לְהָרֵעַ, *deſinite maleſacere*, nam verbum חָדַל ſequenti Infinitivo jungi ſolet non praefixo מ ſed ל, ut Num. IX, 13. וְחָדַל לַעֲשׂוֹת הַפֶּסַח, *et deſierit celebrare Paſcha*, et Geneſ. XLI, 49. עַד כִּי־חָדַל לִסְפֹּר *donec deſierit numerare.* Ceterum הָרֵעַ h. l. eſt *maleſacere proximo*, quippe quod ex ſequentibus liquet, eſtque haec gennina vocis ſignificatio, vid. Geneſ. XIX, 9.

17. לִמְדוּ הֵיטֵב *Diſcite beneſacere*, prioribus ſtudiis contraria agite. Sunt, qui haec verba de omnis virtutis ſtudio intelligant, qua ſignificatione verbum יָטַב occurrit Jerem. XIII, 23., ſicuti עֲשׂוֹת טוֹב, *facere bonum*, virtuti ſtudere, Pſ. XIV, 1. Hoc tamen noſtro loco הֵיטֵב, ob ea quae ſequuntur, reſtringendum videtur ad officia juſtitiae et humanitatis erga alios. Verbum לָמַד hic eſt *aſſueſcere*, ut Jerem. X, 2. XXXI, 18. Nunc vates alloquitur judices. דִּרְשׁוּ מִשְׁפָּט *Studete aequitati.* Propria verbi דָּרַשׁ ſignificatio eſt, *palpare*, ſive manibus id fiat, ſive pedibus, coll. Arab. درس; hinc *quaerere*, quaerentes enim aliquid ſollicite, manibus etiam locum contrectamus. Unde plurimis in locis id verbum denotat, *rei alicui ſtudere, rem aliquam curare.* Sic infra XVI, 5. Zeph. I, 6. et h. l. מִשְׁפָּט hic non tam eſt *judicium*; quam potius *jus, juſtitia*, ut ſaepe, e. c. infra IX, 6. LVI, 1. Hoſ. II, 18. vel 21. אַשְּׁרוּ אָמוֹץ *Rectiſicate*, in priſtinum felicem ſtatum reducite, *oppreſſum.* אַשַּׁר Chaldaeis eſt *beatum, felicem reddidit.* אָמוֹץ poſitum pro חָמוֹץ (ſicut viciſſim חָמַס nonnunquam a חָמַץ ſignificationem mutuatur), *vi injuſta affectus*, ut

ut Pf. LXXI, 4., a חָמֵס, *injuria adficere;* Prov. VIII, 36. Jerem. XIII, 22., cf. MICHAELIS *Supplemm.* p. 822. 823. et 826. 827. GESENIUS interpretatur: *dirigite corruptum,* impium. Qui fenfus huic loco minus congruus videtur. Alii retenta ufitata verbi חָמֵץ notione, *fermentavit,* vertunt: *rectificate fermentatum,* i. e. pravis moribus corruptum emendate, ne nocere pergat orphanis. Similiter BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. II. C. VII. T. I. p. 55. ed. Lipf. *emendate quod corruptum est,* quia quae fermentantur, acefcunt et corrumpuntur. Sed primo loco propofita interpretatio orationis nexui eft aptior, veterumque confirmatur auctoritate. Alexandrini: *ῥύσασθε ἀδικούμενον.* Vulgatus: *fubvenite oppresso.* Chaldaeus: זַכּוּ דְאַנִּיסִ *justum pronunciate qui vim patitur.* Syrus: ܘܐܘܛܒܘ ܠܡܬܛܠܡܢܐ *et benefacite injuria affectis.* Saadias: وَأَرْشِدُوا الْمَهْق *profpere dirigite male affectum.* שִׁפְטוּ יָתוֹם *Judicate,* fcil. מִשְׁפָּט, *jus, jus dicite pupillo,* id non pervertite, cf. Deut. XXIV, 17. רִיבוּ אַלְמָנָה *Litigate,* fcil. רִיב, *litem, viduae,* eam fufcipite, ne, quod forfan nullum inde lucrum facturos putetis, caufam viduae fufcipere recufate. Cf. Vs. 22. *Vidua* vero, nec minus *orphanus,* ponuntur faepe pro *omni derelicto auxilioque inope,* ut Deut. XXIV, 17.

18. לְכוּ־נָא *Venite quaeso!* Agite! voces adhortantis, feu invitantis, ut *infra LV,* 1. 3. Jerem. XVIII, 18. Ecclef. II, 1. וְנִוָּכְחָה *Disceptemus invicem,* alter alterum arguamus, i. e. mutuam demonftrationem veri inftituamus probationibus et convictionibus, ut in actione forenfi fieri folet, in qua quaefitio et accufatio, inftituta vel a judice ipfo, vel a perfona publica, reipublicae aut judicis perfonam fuftinente, et a parte reorum exceptio five defenfio cauffae locum obtinet, qui actus habet fpeciem disputationis. Eodem *arguendi, disceptandique* fignificatu Niphal verbi יָכַח ufurpatur Job. XXIII, 7., et Hithpael Mich. VI, 2. *Lis est Jovae cum populo suo.* וְעִם־יִשְׂרָאֵל יִתְוַכָּח *et cum Ifraele mutuam*

mutuam instituit disceptationem. Sistitur h. l. Deus antequam sententiam ferat tanquam peccatoris audiens defensionem, vel si culpam fateatur, Deoque fidem et poenitentiam probet, eum poena afficiens. נִוָּכְחָה LXX h. l. reddunt *διελεγχθῶμεν.* Vulgatus: *arguite me.* Chaldaeus: בְּכֵן כַּד תְּתוּבוּן לְאוֹרָיְתָא תִּבְעוּן מִן קֳדָמַי וְאַעְבֵּיד בָּעוּתְכוֹן *tunc, cum redibitis ad legem meam, deprecabimini coram me, et faciam deprecationem vestram.* Quam interpretationem probat J. A. Tingstadius in *Supplemm. ad Lexx.* p. 53. sequ., contendens, adeo late patere verbi יָכַח usum, ut et ad *preces* inferioris, superiorem implorantis, et ad *demonstrationes* superioris, inferiorem benigne excipientis, sese extendat potestas derivati הוֹכָחָה, Habac. II, 1. Proverb. I, 23. Syrus: ܢܬܡܠܟ ܚܕ ܥܡ ܚܕ *colloquamur invicem.* Saadias: ثُمَّ تَعَالَوْا حَتَّي نَتَقَابَل *tum paulatim ascendatis usque dum invicem occurramus.* Gesenius נִוָּכְחָה h. l. de Deo usurpatum existimat, qui Judaeos objurget iisque simul poenas inferat, quemadmodum verbum נִשְׁפַּט legitur Ezech. XVII, 20. 21. XX, 35—38. Quibus tamen locis omnibus verbum ponitur in prima *Singularis* persona, hoc vero loco, ubi prima *Pluralis* persona adhibetur, ad utramque partem, et Deum et populum referri patet sensu eo, quem indicavimus. Sequitur in secundo hemistichio, אִם־יִהְיוּ וגו׳, *si peccata vestra sint ut coccus, dealbabuntur ut nivis, si rubeant instar cocci, ut lana fient,* i. e. etiamsi peccata vestra vel gravissima fuerint, et in vos atrocem induxerint reatum, impetrabitis tamen eorum absolutam et perfectam condonationem, ut quasi insontes sitis. Sed Gesenius planum hunc et sese sponte quasi offerentem sensum repudians, ut hemistichium alterum congruat cum sua verbi נִוָּכְחָה interpretatione, hoc potius dici vult, fore, ut, e medio sublatis impiis a justo judice Deo, populus Judaicus expurgetur. Qui sensus quomodo e verbis hebraicis elici queat, me haud intelligere fateor. De absumendis impiis Versu demum

demum 20. loquitur. אִם initio secundi hemistichii est *etiamsi*, ut Job. XX, 6. שָׁנִים, pluralis nominis שָׁנִי (solo ם adsumto, ut a חָפְשִׁי infra LVIII, 6. חָפְשִׁים, *liberi*, a פְּנִימִי 1 Chron. XXVIII, 11. פְּנִימִים, *interiora*), *rubor splendens*, pro quo in Pentateucho mox שָׁנִי תוֹלַעַת, *vermis ruboris* (ut Exod. XXV, 4.), mox תוֹלַעַת שָׁנִי (ut Levit. XIV, 4. et saepius), *rubor vermis*, scil. cocci, mox (ut Genes. XXXVIII, 28. 30. Jos. II, 18. 21.) in singulari solum שָׁנִי legitur. A שָׁנָה, *iteravit*, Bochartus in *Hieroz.* P. II. L. IV. C. XXXII. T. III. p. 525. edit. Lips. nomen שָׁנִי proprie *iterationem* notare existimavit, hinc *δίβαφον*, ut quemadmodum Graeci δίβαφον appellarint, quod *purpura*, ita Hebraei שָׁנִי, quod *cocco* bis tinctum fuit. Sed quum non constet, *coccinea bis tingi* solita esse, quod in purpura Tyria receptum erat; praestat, nomini שָׁנִי primam *splendoris* notionem tribuere, collato Arabico سنا, *splenduit*, unde سنا *lux*, *splendor*, ut coccineus color nomen acceperit a rubore *splendente*, sicut Chaldaeis e זִיהוֹר, *splendor*, coccineum dicitur זְהוֹרִי (Syris ܙܗܘܪܐ), idemque Graecis λαμπρὸν χρῶμα, unde λαμπρὰ ἐσθής, *vestis coccinea*, apud Lucam XXIII, 11. Cf. Salmasii *Exercitatt. Plin. in Solin.* Cap. LII. p. 777. Braunii *de Vestitu Sacerdott. Hebraeor.* L. I. Cap. XV., et notam nostram ad Bocharti l. c. p. 526. seq. Idem ille color statim a nostro vocatur תּוֹלָע, *vermis*, quod paratur ex *sanie vermiculorum*, qui nascuntur in grano, sive excrescente quodam tumore, cortici et ramis *fruticis* (non *arboris*) *ilicis* adhaerescente instar lenticulae, qui *coccum* dicitur, totusque vermiculis parvis scatet, unde hodie quoque Franco-Gallis *vermeil* (*vermiculus*, Graecis σκώληξ), dicitur. Vid. Salmasii *Exercitt. in Solin.* Cap. XXIII. p. 194., et in Differtat. de *Homonymis Hyles Jatricae* Cap. LXX., ubi de *Cocco tinctorio*, et quos laudavimus ad Bocharti l. l. p. 527. not. 6. et 7., nec non quae ad Exod. XXV, 4. attulimus. Recte

LXX

LXX כַּשָּׁנִים ὡς Φοινικοῦν, Vulgatus *ut coccinum*, כַּתּוֹלָע vero ὡς κόκκινον, et Vulgatus *quaſi vermiculus* reddiderunt. Chaldaeus pro priore dictione poſuit כְּחֵימִין כִּצְבְעוֹנִין *maculata ut tincta*, pro poſteriore, כְּזְהוֹרִיתָא, *ſicut coccineum.* Verba יַלְבִּינוּ et יַאְדִּימוּ Storr in *Obſervatt. ad Analog. et Syntax.* p. 191., *intenſi albebunt*, et *valde rubeant* interpretanda eſſe docet, quod verba a nominibus aucta majorem ſaepe vim habent, quam quae in prima conjugatione obtinebat. כַּצֶּמֶר יִהְיוּ *Sicut lana* ſcil. alba, *fient.* Subaudiendum adjectivum ex indole comparationis et parallelo כַּשֶּׁלֶג, *nivis inſtar*, ut 1 Reg. XXII, 10. 2 Chron. XVIII, 9. מְלֻבָּשִׁים בְּגָדִים, *induti veſtibus*, ſcil. pretioſis. Exempla plura adjectivi omiſſi et hoc modo ſubaudiendi reperies in H. B. Starkii *Luce Grammatices Ebraeae* p. 480. ſequ. edit. Boſſeck. Hinc Chaldaeus: כַּעֲמַר נְקִי, et Saadias: كَالصُّوف نَقَاء, *inſtar lanae mundae.* Lana non ſolebat artificiali colore tingi, qui rarus et pretioſus, et longe maximam partem incognitus erat apud veteres; ſed laus pannorum lotio et albedo erat. Erant interpretes, qui hoc Verſu reſpici exiſtimarent ad certum ritum, qui tunc temporis obtinuiſſet, ex quo particula coccinea, longa et lata inſtar linguae (unde לָשׁוֹן vocata) poni ſoleret inter cornua ad frontem hirci emiſſi (עֲזָאזֵל, de quo Levit. XVI, 8.), et ad januam porticus templi; ea ſi albeſceret poſt hircum emiſſum, laetatos eſſe admodum, et ſignum illis hominibus fuiſſe remiſſorum peccatorum; id vero deſiiſſe quadraginta annis ante templi deſolationem. Vid. Tractat. Talmud. *Joma* Cap. VII. §. 8. *Miſchnae* edit. Surenhus. T. II. p. 244. Sed commentum illud eſſe, cui ipſe noſter locus anſam praebuerit, pluribus demonſtrarunt J. G. Abicht (Reſpond. Chriſt. Ziegra) in *Diſſertat. de peccatorum coccineorum albedine*, Lipſ. 1705. (repetita in *Theſauro Novo Theolog. Philolog.* ſ. *Sylloge Diſſertatt. exegeticar. in V. et N. T. ex muſeo Theod. Haſaei et Conr. Ikenii*, Lugd. Batav. 1732. fol. T. I. p. 840. ſeqq.), et

et Salom. Deyling in *Obfervatt.* SS. P. I. Obf. XXXII. p. 163. feqq.

19. אִם־תֹּאבוּ וּשְׁמַעְתֶּם *Si volueritis et aufcultaveritis,* i. e. fi volueritis aufcultare (nam duo verba per copulam conjuncta, faepe fic fumuntur Hebraeis, ut apud Latinos verbum cum Infinitivo, vid. Glassii *Philol. Sacr.* L. I. Tract. III. Can. XXVII. p. 271. ed. Dath.) fcil. mea monita, quodfi meis monitis obtemperare volueritis. טוּב הָאָרֶץ תֹּאכֵלוּ *Bona,* h. e. fructus, *terrae comedetis,* recuperabitis ufum fecurum agrorum veftrorum, quorum proventum hoftes abfumferunt. Oppofita iis, quae Vs. 7. de praefenti terrae Judaicae ftatu dicta erant.

20. Sin contra, ait Deus, meliora moniti, confilia haec mea falutaria fpernatis, et in perverfa mente veftra obftinato haereatis, hoftium gladio vos tradam, mifereque omnes peribitis. Dictionem וּמְרִיתֶם Hieronymus dicit fonare *et me ad iracundiam provocaveritis,* quod ipfum et nunc in Vulgata latina comparet. Male; nam in Hiphil tantummodo, הַמְרוֹת (ut infra III, 8.), verbum מָרָה valet *exacerbare, ad iram provocare,* fed in Cal מָרָה femper *rebellis, contumax fuit,* denotat; vid. e. c. infra LXIII, 10. XX, 24. Pf. LXXVIII, 8. Quod Alexandrini verba חֶרֶב תְּאֻכְּלוּ verterunt: *μάχαιρα ὑμᾶς κατέδεται,* movit Lowthum, ut fufpicaretur eos legiffe תֹּאכַלְכֶם (ut infra XXXIII, 11.), pro תְּאֻכְּלוּ, quod praefert illi, quod nunc legitur. Verum recte monuit Kocherus, Alexandrinos, et, qui eos fequuntur, Vulgatum et Arabem, active transtuliffe commodioris loquutionis gratia. Qua eadem de cauffa Saadias vertit: أُفْنِيكُمْ بِالسَّيْف, *perdam vos enfe.* Nec cogit neceffitas quicquam mutare; nam חֶרֶב vel pofitum eft pro בְּחֶרֶב, ex ellipfi praepofitionis, fatis frequenti, ut Jof. VII, 25. אֶבֶן pro בְּאֶבֶן, Pf. XVII, 10. פִּימוֹ pro בְּפִימוֹ, vid. Waltheri *Ellipfes Hebrr.* p. 133. ed. Schulz.; vel funt cum Gesenio verba חֶרֶב תְּאֻכְּלוּ folvenda in haec: אֲכַלְתִּי אֶתְכֶם חֶרֶב *faciam enfem*

enſem vorare vos, efficiam, ut enſis vos devoret. Minus probandum, quod Storrius in *Obſervatt.* p. 274. hanc phraſin ad illum Hebraeorum idiotismum referendum putat, ex quo Nominativus forma nonnunquam cum *Dativo* commutatur, ut Geneſ. X, 21. *Semo natum eſt, etiam illi* (הוּא) h. e. etiam Semo ſtirps edita eſt, *parenti* (אֲבִי) — *fratri* (אֲחִי), cf. Geneſ. IV, 26. Adde Job. XXXI, 18. (כְּאָב ſicut *patri*); Jud. VIII, 18. (אֶחָד *uni*). *Dativus* vero Hebraeis non minus quam Latinis, cum *paſſivis* conjunctus, valet *a*; ut Exod. XII, 16. Levit. XIX, 20. Deut. XVI, 16.; ut vertendum ſit: *gladio*, pugnae, *abſumemini*, bellum vos abſumet, cf. Geneſ. XXXI, 26. Ceterum obſerva luſum *παρηχήσεως* in vocibus תֹּאכֵלוּ (Vs. 19.), et תְּאֻכְּלוּ. Si morigeros ſe darent Deo, *comederent bonum terrae*, ſecus, *ipſi comederentur a gladio*, cui *os* tribuitur (פִּי־חֶרֶב Jerem. XXI, 7. Job. I, 15. 17.), quod eſt acumen ejus, vitae mortalium infeſtum. Jarchi hisce verbis reſpici exiſtimat ſententiam divini decreti vulgatam in interminationibus Moſaicis. Levit. XXVI, 25. וְהֵבֵאתִי עֲלֵיכֶם חֶרֶב, *adducam in vos gladium.* כִּי פִּי יְהוָֹה דִּבֵּר *Nam loquutus* eſt Jehova, qui minas implet aeque ac promiſſiones, nec temere revocat quae dixit.

21. Etiamſi vates ſuperiore oratione conſilium ſuggeſſiſſet improbis vitae in melius convertendae, praevidebat tamen, fore, ut non facile illi pedem retraherent a vitiis, et conſiliis ſuis obſequerentur. In novas igitur erumpit quereſas de perditiſſimis eorum moribus, docetque, quid populo huic corrupto in poſterum ex divini conſilii ſtatuto ſit exſpectandum. אֵיכָה *Quomodo!* plorantis et admirantis, ut 2 Sam. I, 25. 27. Thren. I, 1. IV, 1. Olim Hieroſolyma erat קִרְיָה נֶאֱמָנָה, *urbs fidelis*, quae inſtar caſtae uxoris fidem Deo, ut marito ſuo, praeſtiterat, nunc facta לְזוֹנָה *meretrix*, quippe pacti fidem violaverat, quum idololatriam ſequendo, a Deo deſciviſſet, id quod verbum זָנָה ſaepe indicat apud Moſem, ut Levit. XIX, 29. Num. XXV, 1.

Conſ.

Conſ. Ezech. XVI, 15. ſeq. Hoſ. I, 2. et nott. ad ea loca. מְלֵאֲתִי *Plena*, pro מְלֵאָה, cum Jod paragogico, ut in רַבָּתִי Thren. I, 1. צֶדֶק יָלִין בָּהּ *Juſtitia pernoctabat in ea*, ſedem in ea fixerat (ut Job. XIX, 4.); aſſidue in ea colebatur. Reſpicere videtur vates ſtatum urbis illius qualis fuerat ſub Davide, Salomone, Aſa, et inprimis Joſaphato, cujus hic laus eximia eſt, vid. 2 Chron. XIX, 6. 7. 8. Per מְרַצְּחִים, *homicidas*, indicantur, ut ex orationis nexu apparet, judices injuſti, eorumque ſocii et miniſtri, qui pauperes, viduas et pupillos neceſſariis vitae ſubſidiis fraudabant.

22. Principes adeo et proceres populi quam maxime corrupti ſunt. Ita hic Verſus explicatur per eum, qui ſequitur. Quare non ſunt audiendi, qui haec verba proprie accipiunt, de fraude, quae ab argentariis et cauponibus committebatur in argenti et vini corruptione. *Proceres populi* ſignificantur per *argentum*, quod inter metalla, et per *vinum*, quod inter potus eſt nobiliſſimum. סִיגִים *Scoriae*, et quidem *tales*, *in quas ignobilius metallum auro argentoque admixtum*, *conflatur*, *atque ab auro et argento puro igne ſecernitur.* Ex plumbo argentum admixtum extracturus, plumbum igne in vitrum (ſcoriam) redigit, quam ſcoriam deinde iterum, chemica et metallurgica arte, id fieri cogit, quod fuerat, plumbum ex ea reſtituit. Sic quidem, dum auro argentoque admixtum, eſt *adulterinum metallum*, *ἀδόκιμον*, fornacis ope in ſcorias redigendum. Id per vocem סִיג indicari, apparet ex Ezech. XXII, 18., cf. ibi not. et Michaelis *Supplemm.* p. 1724. Hieronymus: „*Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam*, quod hebraice dicitur סִיגִים, rubigo videlicet metallorum, ſive purgamenta et ſordes, quae igne excoquuntur, ut, quia argentum nominaverat, ſervet metaphoram.“ Chaldaeus pro לְסִיגִים poſuit לִפְסוֹלָא, quod convenit cum Arabico فُسَالَةٌ, *quod decidit detrahiturque de ferro aliove metallo cudendo.* Saadias: منّا قد صار ورقك زيفا *propterea*

quod pecunia signata tua facta est numus improbus. סֹבֶא poetice positum pro consueto יַיִן, et conferendum cum Arab. سبا *emit vinum bibendum*, سِبَاءٌ, *vinum*, et سِبَاءٌ, *ingurgitatio vini*, Cf. Hos. IV, 18., ubi eadem imago. מוּל *Mixtum*, proprie *secatum*. Est enim מָהַל idem quod מוּל (pro quo in Chaldaicis versionibus saepissime ponitur), proprie *secare*, hinc *circumcidere*, quae posterior significatio frequentior est in V. T. (Litterae ו et ה haud raro in dialectis orientis inter se commutantur, veluti pro פּוּר Arabes ponunt פהר, et אול saepe pro אהל). Solent vero Arabes dicere, *scindere*, *secare*, *vulnerare*, *jugulare vinum*, pro *miscere et aqua diluere*. Sic verbum قَطَبَ *excidere*, *exscindere* notat, unde Hebr. קֶטֶב; inde est شَرَاب مَقْطُوب, *vinum mixtum*. Item قَطَعَ; unde est in *Camus*, قَطَعَ بالشَّرَاب مَزَجَهُ, *caedit vinum*, i. e. miscuit illud. Plura exempla hujus loquendi usus collegit Schultensius in *Animadverss. Philologg. ad Genes. XL*, 11., quibus alia addidit Gesenius ad h. l., ita ut res extra dubium posita sit. Solent quoque Germani dicere *den Wein verschneiden*, cum nobiliori vini generi ignobilius admiscetur. Non est igitur, cur cum Scheidio (*Animadverss.* ad h. l.) מָהוּל *lenum s. lentatum* vertamus, coll. Arab. مَهْل, *incessus lentus*, aut cum Paulo in *Memorabill.* P. V. p. 94. מָהוּל efferamus et deducamus ab הִיל, هال, *fudit*, *effudit circa mensuram*, ut significetur *vinum aqua perfusum*.

23. Hoc Versu propriis verbis dicitur, quod in praecedente more poetico expressum erat. שָׂרַיִךְ סוֹרְרִים *Principes tui*, o civitas; sunt *malefici* (coll. Arab. شَرّ, *malus*, *maleficus fuit*). Ita Hoseas IX, 15. כָּל־שָׂרֵיהֶם סוֹרְרִים, *omnes eorum principes malefactores*. Cf. Jerem. VI, 28.

חַבְרֵי

חַבְרֵי גַּנָּבִים *Socii furum*, ad eos connivebant, furta approbabant et participabant. כֻּלּוֹ אֹהֵב שֹׁחַד *Omnes largitionum cupidi.* שֹׁחַד est *munus*, inprimis, *quo corrumpitur judex*, ut Deut. X, 17. Cf. infra V, 23. Ezech. XXII, 12. Mich. III, 11. רֹדֵף שַׁלְמֹנִים *Sectans* (unusquisque) *retributiones*, mercedibus inhiant; nihil gratis faciunt, omnia muneris ergo, cf. Mich. VII, 3. Chaldaeus: אָמְרִין גְּבַר לְחַבְרֵיהּ עֲבֵיד לִי טַב בְּדִינִי וַאֲשַׁלֵּם לָךְ בְּדִינָךְ *dicunt nunc alteri: fac mihi bonum in judicio, et retribuam tibi in judicio tuo.* יָתוֹם לֹא יִשְׁפֹּטוּ, cf. Vs. 17. לֹא יָבוֹא אֲלֵיהֶם *Non ingreditur*, f. *pervenit ad illos*, non admittitur ad illos; audire illos renuunt, cf. Jerem. V, 28.

24. Querelam de inemendabili populi corrupti statu excipit praedictio rerum futurarum. Sublatis illis injustis populi principibus, eorum locos boni et justi judices occupabunt, totaque respublica in pristinum statum felicem restituetur. Populus relinquet idololatriam, et mores emendabit. Inducitur vero hoc Versu Deus persona herois generosi, se ipsum excitantis ad vindictam, postquam injurias sibi illatas aliquandiu patienter pertulisset, et adversarios ad officium frustra verbis revocasset. לָכֵן *Propterea*, ob tantam illam reipublicae corruptionem. נְאֻם *Dictum, effatum*, Participium passivum verbi נָאַם, quod, uti Arab. نأم, proprie videtur dictum esse de *anhela, stridula, submissa voce*, hinc translatum ad *oracula*, ut Num. XXIV, 3., quod ea ejusmodi voce edi solerent, ut homines eo majore timore et reverentia afficerentur; unde verbum illud a poetis apte usurpari potuit de ipsius *Dei sermone*, ut hic, et infra III, 15. Cf. 2 Sam. XXIII, 1. הָאָדוֹן *Domini illius*, in emphasi sic dicti, omnium *dominorum domini*, אֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים, ut Deuter. X, 17., vel *totius terrae domini*, אֲדוֹן כָּל־הָאָרֶץ, ut Zach. IV, 14. vocatur. יְהוָה צְבָאוֹת pro יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת, ut supra Vs. 8. אֲבִיר יִשְׂרָאֵל *Potentis*, domini, *Israelis*, a cujus voluntate totius reipublicae status pendet. Ut infra XLIX, 26. אֲבִיר יַעֲקֹב, *potens Jacobi*, dicitur.

dicitur. הוי hic non eſt vertendum: *heu, vae;* ſed eſt vox ἑτοιμάσαντος τιμωρίαν, et minantis. Obſervat JARCHI, הוי h. l. eſſe vocantis et proclamantis, ut Zach. II, 10. (al. 6.), q. d. omnibus innoteſcat, me vindictam capturum de hoſtibus meis, qui me ſuis facinoribus ad iram provocarunt. אֶנָּחֵם מִצָּרַי *Conſolationem capiam de hoſtibus meis,* ſcilicet *ultionem ſumendo* ab iis, ſicut Ezech. V, 13. וַהֲנִיחוֹתִי חֲמָתִי בָּם וְהִנֶּחָמְתִּי *faciam in illis, ut requieſcat aeſtus meus, et conſolabor me.* Metaphora deſumta ab homine, qui ſe ſolari dolorem, quem inimici creaverant, ait, cum injurias ſibi illatas acriter ulciſcitur. Senſu non diverſum eſt quod ſubjicitur, וְאִנָּקְמָה מֵאוֹיְבָי, *et vindicabor de inimicis meis,* ut recte Vulgatus, cf. quoad phraſin Jud. XVI, 28. Jerem. XLVI, 10. *Hoſtes* et *adverſarii* Dei ſunt Judaei, idolorum cultum ſectantes et peſſimis moribus corrupti. Chaldaeus poſterius hujus Verſus hemiſtichium ita exponit: קַרְתָּא יְרוּשְׁלֶם אֲנָא עָתִיד לְנַחָמוּתָהּ בְּרַם וַי רַשִׁיעַיָּא כַּד אִתְגְּלֵי לְמֶעְבַּד פּוּרְעָנוּת דִּין מִסַּנְאֵי עַמִּי וְאָתִיב נִקְמָא לְבַעֲלֵי דְבָבִי *urbem Jeruſalem ego conſolabor; ſed vae improbis, cum apparebo facere ultionem judicii,* i. e. per judicium inſtitutum, *de oſoribus populi mei, et retribuam ultionem hoſtibus meis.*

25. Judices tibi reddam juſtos, ab omni avaritia et munerum cupiditate alienos. Ita hic Verſus explicatur Verſu ſequ. Mos eſt noſtro vati, ut, quae primum figurate expreſſerat, ſtatim propriis verbis ſubjiciat. Cf. ſupra Vs. 5. 6. 7. 22. 23. וְאָשִׁיבָה יָדִי עָלַיִךְ *Reducam manum meam ſuper te,* i. e. admovebo tibi manum meam, ſcil. emendatricem, ut apparet ex iis, quae ſequuntur. Per ſe enim illa loquutio in utramque partem accipi poteſt, quod ſemper ex contextu eſt judicandum. In malum ſenſum accipienda eſt Amos I, 8. Ita Chaldaeus h. l. וְאָתִיב מְחַת גְּבוּרְתִּי עֲלַךְ *reducam plagam fortitudinis meae ſuper te.* Verba וְאֶצְרֹף כַּבֹּר סִגָיִךְ non ſunt vertenda: *expurgabo ad puritatem,* i. e. puriſſime, *ſcorias tuas,* quod contra linguae hebraicae uſum, quamvis ita reddiderint LXX (εἰς καθαρόν),

θαρὸν), et Hieronymus (*ad purum*), sed hoc modo: *igne excoquam* (ita de excoquendis sive purgandis metallis verbum צָרַף dicitur Jerem. VI, 29. Ps. XII, 7. LXVI, 10.) *tanquam solida* s. *sale lixivii scorias tuas*, nec aliter cepit haec verba Chaldaeus, qui ea sic reddidit: וְאֶבְחַר כְּמָא דְמִזְקַן בְּבוֹרִיתָא כָּל רִשְׁעָא, *et expurgabo tanquam per alcali omnem improbum*. Etenim כַּבֹּר contracte pro כְּבַבֹּר est positum; בֹּר vero idem, quod alias (ut Mal. III, 2.) בֹּרִית, *sal lixivii*, *sal alcali*, *Potasche*, qui fundendis et purificandis metallis adhibetur, facit enim, ut citius liquescant, et, ubi mixta sibi invicem metalla sunt, ut plumbum argento, vilius in scoriam vitrescat, argentum purum eniteat. Cf. J. D. Michaëlis *Commentat. de Nitro Hebraeorum* (quae in ejus *Commentatt. in Societ. Reg. Gotting. per annos* 1758—1762. *praelecct*. Brem. 1774. in quat. est *septima*), §. IV. et *Supplemm. ad Lexx. Hebrr*. P. I. p. 231. Hieronymus: „Pro *scoria* [סִגַיִךְ], quod interpretatus est Symmachus et Aquila στέμφυλα, id est, *vinacia*, Theodotio τὸ γιγαρτῶδες, id est, *acinum uvae*, interpretatus est, soli LXX *incredulos* vel *inobedientes* [τοὺς ἀπειθοῦντας ἀπολέσω], sensum magis, quam verba vertentes. Quia enim supra [Vs. 22.] dixerat: *argentum tuum versum est in scoriam*, nunc servat metaphoram, ut *convertat super eam*, id est, extendat, *manum suam*, ad puniendum atque purgandum, et excoquat omnes sordes ac vitia peccatorum, ut separato stanno argentum remaneat, quod absque igne fieri non potest. Legimus et in Malachia [III, 2.] de Domino: *Ipse egredietur quasi ignis conflatorii, et quasi herba fullonum* [וּכְבֹרִית מְכַבְּסִים], *et sedebit conflans et emundant sicut argentum et aurum, et emundabit filios Levi*. Ezechiel quoque [XXII, 18.] omnem domum Israel aere et ferro et plumbo et stanno dicit esse commistam, et postea purgandam, ut postquam purgata fuerit, cognoscat, quia ipse sit Dominus." וְאָסִירָה כָּל־בְּדִילָיִךְ *Et semovebo omne stannum tuum*, i. e., Chaldaeo explicante, אַעְדֵּי כָּל חוֹבַךְ *auferam omnia peccata tua*. בְּדִיל *Stannium*, ut Num. XXXI,

XXXI, 22. Ezech. XXVII, 12. (cf. Aurivillii *Diſſertatt.* p. 164. 165. edit. Michaelis), h. l. contra morem pluraliter ponitur. At receditur hic a conſuetudine, quia ſtannum non ſpectatur ut materia, ex qua aliquid fieri debeat, ſed ut cujus particulae, auro et argento intermiſtae, ſunt horum metallorum ſcoriae ac ſordes, purgando rejiciendae.

26. Tales juſtitiae adminiſtratores jurisque arbitros conſtituam, quales olim habuiſtis, priſtinis ſimiles, ſub Moſe, Joſua, judicibus; nec non Davide et Salomone regnantibus. שֹׁפְטַיִךְ et יֹעֲצַיִךְ pro שֹׁפְטִים לָךְ et יֹעֲצִים לָךְ. Sub יֹעֲצִים intelligendi videntur *conſiliarii regum,* ut 2 Sam. XV, 12., et *adſeſſores judiciorum.* Sperat vates, fore, ut, quae formata eſſet a Moſe republica, et prudentibus ac aequis judicibus inſtructa, eundem in modum reformaretur, et inſtauraretur in priſtinum. Recte vero Kimchi monet, haec et quae ſequuntur temporibus Meſſiae exſpectanda eſſe. Cf. Zeph. III, 13. אַחֲרֵי־כֵן *Ita ut, ut poſthaec.* יִקָּרֵא לָךְ: *Clamabitur ad te,* ſ. *acclamabitur tibi: urbs pia!* h. e. appellaberis urbs pia, ſcil. jure meritoque, eris urbs pia, ut ſaepe apud Noſtrum veluti IV, 3. IX, 5. XIX, 18. XXX, 7. Idem loquendi genus eſt Geneſ. II, 23. לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה, *ad hanc clamabitur: vira!* i. e. vira vocabitur. Vide Storrii *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 285. not. Alii ſupplent שֵׁם, *vocabitur tibi,* ſcil. *nomen,* ut Geneſ. I, 5. coll. II, 20. קִרְיָה נֶאֱמָנָה *Urbs fida,* Jehovae, ejus cultui ac legibus; cf. Vs. 21. et Jerem. XXIII, 5. XXXIII, 15.

27. Hic Verſus arcte cohaeret cum praecedente: juſtitiae et probitatis ſtudio respublica tam ab internis, quam ab externis malis liberabitur. צִיּוֹן *Zion,* i. e. populus Iſraeliticus, ut infra XLIX, 14. בְּמִשְׁפָּט תִּפָּדֶה *Judicio redimetur,* liberabitur, quod recte Chaldaeus ita exponit: צִיּוֹן כַּד יִתְעֲבֵד בַּהּ דִּינָא תִּתְפְּרוֹק *Zion, cum in ea judicium juſtum exercebitur, liberabitur,* ſ. *ſe ſervabit.* Hinc Jarchii: „Propterea quod in ea futuri ſint, qui juſtitiam

exer-

exercent, redimetur ab iniquitatibus ſuis.“ Et Kimchi: „Per juſtitiam, quam fecerint, revertentur ad eam, qui exulaverant.“ וְשָׁבֶיהָ *Reduces ejus*, quibus aliqui intelligunt Zionem reverſuros ex captivitate, et eo referunt, quod rex Iſraelis ducenta millia hominum captivos abduxiſſe narratur, 2 Chron. XXVIII, 8. Ita Alexandrini, qui *ἡ αἰχμαλωσία αὐτῆς* poſuerunt. Aliis שָׁבִים ſunt generatim *miſeri*, coll. Pſ. XIV, 7., ubi שְׁבוּת eſt communis miſeriae imago. Sed intelligendos potius eſſe ſenſu morali *qui revertuntur a via*, quam ingreſſi ſunt, *mala*, docet locus parallelus infra LIX, 20. *Veniet Zioni vindex*, וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב *et qui ſe a peccato retraxerint inter Jacobitas.* Recte igitur Jarchi noſtrum שָׁבֶיהָ exponit עוֹשֵׂי תְשׁוּבָה שֶׁבְתוֹכָהּ *reſipiſcentes in ea.* Verbum שׁוּב de *reditu ad meliorem frugem* ſ. de *reſipiſcendo* dicitur Deut. XXX, 2. 8. 10. Poſt וְשָׁבֶיהָ repetendum, יִפָּדוּ, *redimentur*, e תִּפָּדֶה in priori hemiſtichio. Chaldaeus: וְדַעֲבְדוּ אוֹרַיְתָא יְתוּבוּן לַהּ בְּזָכוּ *et qui legem obſervant, revertentur ad eam in puritate*, ſ. puri, probi.

28. Qui Jovae cultum et leges contemnunt, interibunt, nimis ſero ipſorum dementiam intelligentes. וְשֶׁבֶר פֹּשְׁעִים וְחַטָּאִים יַחְדָּו *Confractio*, ruina, *praevaricatorum et peccatorum ſimul fiet*, communis erit calamitas. פֹּשְׁעִים *Deficientes*, ſcil. a Deo, ſimulacrorum cultores, cf. Jerem. III, 13. infra XLIII, 27. חַטָּאִים vero quilibet *alii ſceleſti* ſignificantur, ut Jarchi obſervat. E nomine שֶׁבֶר, *confractio*, ruina (i. q. שֹׁד, quod utrumque nomen jungitur infra LIX, 7.), erue ipſum verbum יִשָּׁבְרוּ, *confractione confringentur*, ut ſaepius verbum finitum e ſenſu et univerſo orationis tenore eſt ſupplendum. Chaldaeus: וְיִתַּבְּרוּן מָרוֹדִין *confringentur rebelles.* יַחְדָּו *Una*, ad unum omnes, i. q. כֻּלָּם, ut infra XLV, 16. LII, 8. Pſ. XIV, 3., et locis pluribus aliis, allatis ab Arnoldio in *Obſervatt.* ſupra ad Vs. 8. laudatis, p. 17., qui pluribus demonſtravit inanitatem conjecturae a Michaele propoſitae, pro יַחְדָּו reponendum

eſſe

esse יֶחֱדוּ, a חָדָה, *laetari* (Exod. XVIII, 9. Pf. XXI, 7.), ut haec prodeat sententia: *de interitu perfidorum et peccatorum laetabuntur*, laetitia erit. Id vero si exprimere voluisset vates, ei עַל שֹׁבֵר scribendum fuisse (coll. Exod. XVIII, 9. וַיִּחַדְּ יִתְרוֹ עַל כָּל־הַטּוֹבָה, *laetatus est Jethro de omnibus beneficiis* etc.), et turbari illa adscita sententia hemistichiorum parallelismum, verissime monuit Arnoldi. In altero hemistichio *illis, qui Jovam derelinquunt*, עֹזְבֵי יְהוָה, utrumque, quod membro priori commemoratur, hominum genus, פֹּשְׁעִים וְחַטָּאִים, comprehenditur, cf. infra LXV, 11. יִכְלוּ *Consumentur*, peribunt, ut infra XXXI, 3.

29. Tum, cum Jehova exitiò eos dabit, intelligent, deos istos, in quibus fiduciam posuerunt, frustra ab iis invocatos esse; et ob spem frustratam pudore afficientur. כִּי יֵבֹשׁוּ מֵאֵילִים אֲשֶׁר חֲמַדְתֶּם *Quippe pudebit eos terebinthorum, quibus vos delectati estis*; oratione a persona tertia ad secundam transeunte, ut saepius poetae Hebraeorum solent, cf. infra XLIX, 25. 26. Deut. XXXII, 15. 17. 18. Mich. II, 3.; quare non est necesse, pro יֵבֹשׁוּ legere תֵבֹשׁוּ, ut Lowthus vult. Legitur quidem ita in duobus codicibus Kennicotti, et uno De-Rossii; nec non in Munsteri bibliis anno 1536. editis. Sed vix dubium, a manu id profectum esse emendatrice. In secunda persona vertit quoque Chaldaeus, qui tamen testis excitari nequit, quum interpretes illam personarum mutationem, poetis Hebraeis solennem, ad suarum linguarum indolem flectere soleant. Idem valet h. l. de Alexandrinis, Syro et Arabe in Polyglottis, qui omnes tertiam pluralis personam posuerunt, nec non de Vulgato, qui in membro priori in tertia, in posteriori vero in secunda persona vertit. כִּי hic vel est vertendum *certe, sane*, ut Num. XXII, 33. Jos. II, 24., vel plane redundat, ut 2 Sam. XIX, 23. Zach. III, 8. מֵאֵילִים LXX verterunt ἀπὸ τῶν εἰδώλων, Hieronymus *ab idolis*, quasi אֵילִים esset pluralis nominis אֵל, *Deus*. Sed longe commodius de *arboribus* sumitur, sive *quercubus*, sive *ulmis* (quod volunt He-

Hebraei), sive *terebinthis* (vid. not. ad Vs. seq.), quia hic junguntur *hortis*, et Versu proximo exerte alluditur ad arborem אֵלָה, cujus pluralis perinde אֵלִים, vid. infra LVII, 5. LXI, 3. Recte Chaldaeus: אֲרֵי תִתְבַּהֲתוּן מֵאִילָנֵי טַעֲוָתָא דַחֲמַדְתּוּן *nam pudore afficiemini propter arbores idolorum, quas desiderastis.* Significantur enim *luci sacri*, aris, simulacris et fanis instructi, quorum fit mentio Deut. XVI, 21. 1 Reg. XIV, 21. 2 Reg. XVI, 4. 2 Chron. XXVIII, 4. Ezech. VI, 13. Pluribus de iis disseruit Spencerus *de Legib. Hebraeor. ritualib.* L. II. Cap. XVI., et Jo. Rud. Kiesling in *Dissertat. de superstitioso Israelitarum sub quercubus cultu ad oracula sacra Jesaj. I, 29. Ezech. VI, 13. Hos. IV, 13. curatius enucleanda.* Lips. 1748. in quat. מ ante אֵילִים et הַגַּנּוֹת significat *propter*, ut infra XXI, 3. LIII, 5. 8. Jerem. XXII, 22. Verbum חָפֵר, quod hic occurrit, bene est discernendum ab alio, quod Hebraice iisdem litteris scribitur et *fodere* significat. Nostrum, quod et infra XXIV, 23. Ps. XXXV, 4. 26. XX, 15. al. occurrit, est Arab. خَفِرَ (cum *Cha*) *pudore suffundi*; alterum vero Arab. حَفَرَ (cum *Hha*) *fodit.* גַּנּוֹת *Hortis* hic intelligendi sunt *luci*, idolis sacri, in quibus cultus illorum peragi solebat. Horti in Oriente etiamnum non sunt nostris similes, in areas divisis, et floribus oleribusque plantatis; sed arboribus tantummodo umbrosis obsiti sunt, instar locorum (vid. Kaempferi *Amoenitt. Exott.* p. 193. Maundrell *Itinerar.* p. 179. vers. germ. Chardin *Voyages III.* p. 28.); unde a poeta apte unum pro altero poni potuit. Vitringa hic alludi existimat ad ritum aliquem superstitiosum illorum temporum, quo epula sacra in honorem idolorum (Solis et Lunae) instruebant in hortis sacris, iisque sacra faciebant panum dapiumque oblatione; cf. infra LXV, 3. LXVI, 17.

30. Apta imagine ostendit, qualis futura sit eorum species, qui lucos religionis et voluptatis ergo obibant; talis

talis nempe, qualis est arboris, a qua foliorum luxuries et amoenitas defluxit. Jarchi: „Qua in re illi peccabant, eadem in re comparat vates eorum poenam.“ Kimchi: „Ait: vos exacerbastis me in quercetis, idcirco eritis, ut quercus, cujus decidunt folia; item vos elegistis hortos, ideo similes eritis horto, cui desint aquae.“ אֵלָה non significare *quercum*, ut vulgo vertunt, sed *terebinthum pistaciam*, ostendit Celsius in *Hierobot.* P. I. p. 34. seqq., quocum confer Michaelis *Supplemm.* p. 72. et Curt Sprengel *Antiquitt. botanicar. Specim.* I. (Lips. 1798. 4.) p. 17. Recte Chaldaeus et Saadias pro אֵלָה posuere בִּטְמָא. بُطْمَة *terebinthus.* נֹבֶלֶת Jarchi explicat chaldaico כָּמוּשׁ, *marcidum, flaccidum*, et franco-gallico *flétri;* verbumque נָבַל dici observat de omni re, *quae desitiscit, et cujus vigor consumitur*, coll. Exod. XVIII, 18. „Cum folium,“ addit, „tangitur aestu aut frigore, fit marcidum, atque humor ejus perit et consumitur.“ De flore deciduo nostrum verbum et infra XXVIII, 1. 4. dicitur; de *foliis marcidis*, ut h. l., infra LXIV, 5. Jerem. VIII, 13. עָלֶהָ defective scriptum est pro עָלֶיהָ, *foliis suis*, notantibus Masorethis Grammaticisque Hebraeis. Sunt tamen plures codices a Kennicotto et De-Rossio recensiti, in quibus plene scriptum legitur. נֹבֶלֶת עָלֶהָ *Marcida foliis* Kimchi observat eodem modo dici, quo Jerem. XLI, 5. מְגֻלְּחֵי זָקָן, *rasi barba.* Si verum est, quod nonnulli affirmant, terebinthum esse arborem semper virentem, eo gravior erit similitudo, quod ejusmodi arbor, foliis destituta, mortua sit. Sin minus, similitudo quidem stabit, sed intelligenda erit de tempestate, qua frondosa est arbor. Kimchi: „Comparat eos terebintho magis, quam aliae arbori, quod ea, postquam folia ejus defluxerunt, videtur prorsus arida, magis ceteris arboribus, quarum commemorat unam ad similitudinem.“ וּכְגַנָּה אֲשֶׁר מַיִם אֵין לָהּ *Et instar horti, cui nulla inest aqua.* Illis enim regionibus sine aquae copia nonnulla, nullus est viror; hinc omnes Orientalium horti divisi sunt rivulis et canalibus (cf.

(cf. auctores supra excitatos), quibus exsiccatis arbores et ceterae plantae in iis marcescunt.

31. Principes et proceres populi, quorum pessimos mores vates saepius in hoc carmine castigat, per mala ipsorum facta sibi ipsis interitum parabunt. Hanc sententiam imagine eleganti exprimit. Erunt illi veluti materia incendii, quae facile flammas concipit, stupa; causa incendii, scintilla, opera ipsorum. חָסֹן *Robusti, pollentis* nomine comprehenduntur ii, qui inter populares potentissimi fuerunt, civesque suos oppresserunt. Ita de Amoraeis ait Amos II, 9. וְחָסֹן הוּא כָּאַלּוֹנִים, *robustos eos esse instar terebinthorum.* לִנְעֹרֶת Quasi *in stupam;* eo enim nomine, quod e lino excutitur, denotari, notant Hebraei, convenitque ea notio loco alteri, quo solo praeter hunc nostrum in V. T. occurrit, Jud. XVI, 9. Hieronymus: „*Ut favilla stupae.* Pro *favilla* ἀποτίναγμα interpretatus est Symmachus, quando stupa pectitur et quicquid sordidum projicitur.“ וּפֹעֲלוֹ *Opus* s. *opera eorum*, ut Jerem. XXII, 13. נִיצוֹץ veteres omnes *scintillam* interpretantur, consentientibus Hebraeis, quibus accedit, quod Chaldaei idem nomen eodem significatu usurpare solent. Est autem illud formae בִּיתוֹן; Genes. VIII, 11., a verbo נָצַץ, *scintillavit, micavit,* unde Ezech. I, 7. נֹצְצִים, *scintillantes, micantes.* N. G. Schroeder in *Observatt. selectt. ad Origg. Hebrr.* Cap. VII, ubi verba נָצַץ, נוּץ, נִיץ, aliaque cognata linguae Arabicae ope illustravit, §. XII. p. 131., nomen נִיצוֹץ proprie *micationem*, nostro vero loco *micantem flammam* notare arbitratur, ut idem sit quod לֶהָבָה, infra X, 17., ubi imago hoc loco adhibitae haud dissimilis. Alii חָסֹן, *robusto*, intelligi volunt idolum, quod ita dictum vel quod a duro et denso ligno factum esset, vel quod cultores ejus in ejus fortitudine fiduciam ponerent, וּפֹעֲלוֹ vero, quod pro Participio verbi פֹּעֵל habent, vertunt *operator*, fabricator, *ejus*, idoli. Qua interpretatione adscita, haec prodibit, parum profecto concinna, sententia, fabros, qui sculptilia parassent,

rassent, ea, stupae instar, incensuros esse, tanquam scintillas, et una cum illis perituros. Sed verum sensum expressit Chaldaeus: ויהי תוקפהון דרשיעיא בנערת כתנא ועובד ידהון כניצוץ נורא כמא דמקרבין דין לסטר דין ודלקין תרויהון כחדא כן יסופון רשיעיא אנון ועובדיהון בישיא ולא יהי עליהון חיס *et erit fortitudo impiorum sicut stupa lini, et opus manuum eorum sicut scintilla ignis, quae cum invicem applicantur, ardent ambo simul; sic consumentur impii et opera eorum prava, nec erit super eis misericordia.*

Cap. I, 1. *Oraculum Jesaja, Amozi filii, quod edidit de Judaea et Hierosolyma, temporibus Usiae, Jothami, Achasi, Hiskiae, regum Judaeae.*

2. *Audite, o coeli, attende, o terra, nam Jova loquitur. Filios alui et educavi, qui a me defecerunt.*

3. *Novit bos herum suum, et asinus domini praesepe; Israel non novit, populus meus non sapit.*

4. *Heu! gentem improbam, populum vitiis onustum, stirpem maleficam, natos perditos, qui Jovam deseruerunt, Sanctum Israelis despicati sunt, retrocesserunt.*

5. *Qua jam in parte feriemini, si delinquere perrexeritis? Totum caput aegrum est, totum cor languidum.*

6. *A pedis vestigio ad caput nihil est in eo sanum: vulnera, vomicae, ulceraque purulenta, non malagmate curata, non obligata, non unguine mitigata.*

7. *Terra vestra vasta est, urbes igni crematae, agrum vestrum in conspectu vestro comedunt alieni. Vastatio ut ab hostili depopulatione!*

8. *Restat filia Zion ut casa in vinea, ut tugurium in cucumerario, ut urbs reliqua facta.*

9. *Nisi Jova, agminum Deus, parum residui nobis reliquisset, essemus ut Sodoma, essemus Gomorrhae similes.*

10. *Audite Jovae dicta, principes Sodomitani! attendite Dei nostri disciplinam, populus Gomorrhane!*

11. *Quid*

11. *Quid mihi cum vestris tot sacrificiis? inquit Jova. Satur sum arietum victimas, et opimarum hostiarum adipe: taurorum, agnorum et hircorum sanguine non delector.*

12. *Cum venitis ad comparendum apud me, quis istud a vobis exigit, ut atria mea teratis?*

13. *Ne deinceps inane fertum obmovete; a suffitu abhorreo; novilunia, sabbata, conventuum actiones non fero, ferias et impietatem.*

14. *Novilunia solemniaque vestra animo odi, mihi onerosa sunt; defessus sum ferendo.*

15. *Vobisque manus pandentibus oculos meos subtraho, ac quamvis multas faciatis precationes, non audio, quum sint vestrae manus plenae sanguine.*

16. *Lavamini, mundamini, removete vestra prava opera a meo conspectu.*

17. *Desinite malefacere, discite benefacere, aequitati studete, oppressos restituite, patrocinamini pupillis, causas agite viduarum.*

18. *Agite, disceptemus invicem! inquit Jova; etiamsi vel coccinea fuerint vestra peccata, fient alba instar nivis; etiamsi fuerint cocco similia, lanae instar fient.*

19. *Si obedire voletis, terrae bonis fruemini;*

20. *Sin autem renueritis et contumaces fueritis, ferro conficiemini, quoniam Jovae os loquitur.*

21. *Quam est meretrix facta urbs fidelis, ut quae aequitatis erat plena, et in qua justitia degebat, in ea nunc sint homicidae.*

22. *Argentum tuum in scoriam mutatum est; meracum tuum aqua mixtum.*

23. *Principes tui malefici et furum socii, omnes donorum cupidi, et mercedibes inhiantes; pupillis jus non reddunt, viduarum causas non admittunt.*

24. *Itaque sic dicit Dominus, Jova, agminum Deus:*

25. *Heu!*

25. *Heu! ut in meos adversarios vindicabo, ut hostes ulciscar, et conversa in te mea manu scoriam tuam quam purissime expurgabo, omne stannum tuum auferam;*

26. *Et tibi judices reddam, quales olim habuisti, et consiliarios, qualis principio, ac postea vocaberis urbs justitiae, civitas fidelis.*

27. *Zion aequitate, ejusque resipiscentes justitia redimentur.*

28. *Sontes vero et improbi simul profligabuntur; Jovae defectores conficientur.*

29. *Eos enim pudebit divorum, quos appetitis, et vos hortorum poenitebit, quos eligitis.*

30. *Eritis enim sicut quercus, cujus folia deciderunt, et velut hortus aqua carens;*

31. *Et numen istud fiet stupa, et ejus fabricator scintilla, atque ita ambo simul, nullo exstinguente, deflagrabunt.*

II.

Cap. II. III. IV.

ARGUMENTUM.

Orditur ab aureae aetatis, qua pietas et pax universa inter omnes gentes regnaturae sint, descriptione (II, 2. 3. 4.). In qua quum inducerentur gentes exterae sese ad cultum Jovae excitantes; vates eam adhortationem ad suum populum convertit (II, 5.), quem profanae superstitioni, avaritiae, deastrorum cultui deditum, verbo, adeo corruptum describit (II, 6. 7. 8.), ut Jovam tot et tantis sceleribus poenas severissimas irrogare et cultui idolorum finem facere oporteat. In earum poenarum comminatione maxima concionis pars versatur (II, 9. — IV, 1.), intermistis querimoniis de procerum rectorumque populi impietate et mulierum luxu atque mollitie. Exstincta vero mala progenie, aetas succedet felicissima, ad cujus descriptionem redit IV, 2. usque ad fin.

Quo tempore hanc concionem vates habuit res Judaicas pacatas florentesque fuisse, quales Usiae vel Jothami temporibus fuerint, arguunt quae de auri et argenti copia, atque de equorum curruumque multitudine, II, 7., nec non de mulierum fastu et ornamentis III, 16 — 24. legimus. Verum et idolorum cultum tunc viguisse, docent II, 8. 20. Quae omnia primis Ahasi regnantis annis congruunt, cui tempori et Gesenius hanc concionem assignat.

Super

Super ratione interpretationis Capitis II. Jesajae Tentamen, quod Praes. Georg. Ludov. Vogel *ad disputandum proponit* Joa. Müller, Hal. 1766. in quat. Parum felici studio auctor evincere conatur, priore Capitis II. parte describi tempora feliciora, exsilium Babylonicum sequutura.

Joa. Frischmuthi *Dissertatio de Evangelio in Sione egressuro ad Esaj. II, 1. seqq.* in *Thesauro Theolog. Philolog. sive Sylloge Dissertatt. ad selectiora V. et N. T. loca* (Amstel. 1701.) T. I. p. 683. seqq.

Locum Jesaj. II. Vs. 2. 3. 4. grammatice interpretari atque in fontem ejus inquirere conatur M. S. Friedrich. Zwiccaviae, 1793. in quat.

Cap. II. inde a Vs. 5. teutonice redditum, atque ex ultimorum regni Jothami annorum historia illustratum a J. G. Eichhorn legitur in Anthologia veterum poetarum Hebraicorum edita a Car. Guil. Justi hac epigraphe: *Blumen alt-hebräischer Dichtkunst* (Giss. 1809.) p. 295. seqq. Cf. *die Hebräischen Propheten von* J. G. Eichhorn P. I. p. 159. seqq.

---

2. Quae quatuor prioribus hujus Capitis Versibus continetur seculi aurei descriptio, totidem verbis legitur apud Micham, Jesajae aequalem, IV, 1—4. Celebre illis temporibus vaticinium fuisse apparet, utroque vate, uti credibile, antiquius: vanum igitur, disquirere, ab eorum utro illud prius sit prolatum. J. D. Michaelis tamen et Gesenius a Micha primum illud prolatum existimant, quod in ejus vaticiniis post Vs. 3. eodem tenore continuatur. Eichhornii conjecturam, esse Versus 2. 3. 4. ab aliena manu vaticinio, quod Versu demum quinto incipiat, praemissos, pluribus argumentis refutavit Gesenius. וְהָיָה *Futurum est, fiet,* ut Deut. XII, 11. infra III, 24. IV, 3. locisque innumeris aliis. בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *In posteritate dierum,* i. e. futuro aliquo tempore, ut Genes. XLIX, 1., ad quem loc. cf.

cf. not. Deut. IV, 30. Jerem. XLVIII, 47. Dan. II, 28. LXX: Ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις. Chaldaeus: בְּסוֹף יוֹמַיָּא in fine dierum. Nam aureum feculum, cujus h. l. fequitur defcriptio, ultima mundi aetate rediturum fperabant; unde Hebraei tradunt, formula אַחֲרִית הַיָּמִים defignari יְמוֹת הַמָּשִׁיחַ, dies Meffiae. Cf. ἐσχάτα τῶν ἡμέρων Hebr. I, 2., et ἐσχάται ἡμέραι 1 Petr. I, 20. נָכוֹן יִהְיֶה Stabilitus, firmiter conftitutus erit, ita ea vox 2 Sam. VII, 26. de domo f. familia, et 1 Reg. II, 45. de throno firmiter fundato dicitur. Abarbenel indicari putat, ftructuram aedis fanctae futuram effe firmam et ftabilem, ut femper fit duratura in omne aevum, neque ullam expertura vaftitatem; nam vox נָכוֹן, inquit, adhibetur de re durante et firmiter confiftente, bafique fuae innitente." הַר בֵּית יְהוָֹה Mons domus, templi, aedis, Jovae, montanum illud, quod urbs Hierofolymitana fuo complexa eft ambitu, praecipue Zion, potior et altior urbis pars ejusque λόφος, collis, ut eum vocat Jofephus (de Bello Jud. VI, 6.), Moria mons; vid. 2 Chron. III, 1. coll. XXXIII, 15.; fedes cultus Jovani. De montano tamen integro, cujus partem faciebat mons templi, hic cogitandum effe, fuadet Vs. 3., ubi diferte idem illud per Zionem et Hierofolymam, id eft τὴν κάτω πόλιν, urbem inferiorem, fitam in colle, Zioni ad feptentrionem oppofito, poft Syrorum tempora, Acra dicto, Jofepho τὸ βόρειον κλίμα (Pf. XLVIII, 3.), declaratur. Etiamfi enim hi colles ab invicem divifi effent; folent tamen V. T. fcriptores promifcue illos vel inter fe conjungere, vel de iis divifim loqui, uti fert orationis fuae argumentum; quae ratio eft, cur paffim, ut Pf. LXXVI, 3. LXXVIII, 68., templum vindicetur Zioni. Pf. LXXXVII, 1. vocantur הַרְרֵי קֹדֶשׁ, montes facri. בְּרֹאשׁ הֶהָרִים In vertice montium, Pf. LXXII, 16. Jarchi: „In illo monte, qui cenferi debet princeps montium, fi pro dignitate fua inter fe comparentur." Omnibus aliis montibus majoribus, et fanctitatis fama celebribus, ille fuperior et celebrior habebitur. וְנִשָּׂא מִגְּבָעוֹת Et elatior collibus reliquis, fuper omnes colles eminebit, ratione digni-

 tatis.

tatis. Recte Kimchi: „Commemorat *montes*, quod gentes Deos ſuos in montibus excelſis colere ſolebant." Jarchi: „Majus erit ſignum, quod fiet in iſto monte, quam ſigna, quae facta ſunt in montibus Sinai, Carmel, et Thabor." וְנָהֲרוּ אֵלָיו כָּל־הַגּוֹיִם *Et confluent ad eum* (montem) *omnes gentes*, i. e., ut bene Jarchi explicat; congregabunt ſeſe, concurrent ad eum tanquam flumina. נָהַר Hebraeis idem plane eſt, quod Latinis *confluere*, ubi de multorum hominum ad locum aliquem conventu eſt ſermo; eodem ſignificatu verbum occurrit Jerem. XXXI, 12. et LI, 44. Michaelis in *Supplemm.* p. 1607., cui adſentitur Koppius, vertit: *eminus videbunt et proſpicient illum omnes populi*, conferens Arabicum نَهَرَ *lucere, ſplendere.* Diſplicet ei metaphora, „fluere ad *montem*." Verum non eſt nimis urgenda haec comparatio; multitudo tantummodo hominum ad montem catervatim migrantium illa exprimitur. Sic Virgilius quoque *Georg. IV*, 558. *apes confluere arbore ſumma* dicit. Eandem tamen, quam Michaelis propoſuit, interpretationem exhibet Syrus: ܘܢܣܟܘܢ ܠܗ ܟܠܗܘܢ ܥܡ̈ܡܐ *ſpectabunt ad eum omnes gentes.* Senſus, qui ſub his imaginibus latet, eſt: cultum Jovae, vatis tempore in Palaeſtina tantummodo notum, in poſterum per totum orbem propagatum iri. Chaldaeus: וְיִתְפַּנּוּן לְמִפְלַח עֲלוֹהִי כָּל מַלְכְוָתָא *et convertent ſe, ut cultum* (religioſum) *peragant ſuper eum omnes gentes.* Idem praedicitur infra LX, 5. Jerem. III, 17.

3. עַמִּים רַבִּים quidam reddunt *amplos*, potentes, *populos*, qua ſignificatione Pſ. LXXXIX, 51. ſumendum eſt, ubi Ethan dicit, ſe *in ſinu ſuo portare* כָּל־רַבִּים עַמִּים, *omnes potentes populos*; vid. quoque infra XIII, 4. Jerem. XXV, 14. Rectius vero alii רַבִּים ſignificatione frequentiore, pro *multis*, capiunt; cf. Vs. 2. ultima verba. לְכוּ *Venite*, vox hortantis et excitantis, ut Graecorum δεῦτε, Latinorum *agite!* ut infra Vs. 5. Hoſ. VI, 1. In אֶל־הַר־יְהוָה omiſſum

omissum est בֵּית, ut saepius in hac phrasi, veluti Ps. XXIV, 3. Mich. IV, 2. coll. Vs. 1., Mich. III, 1.; suppletur infra III, 2. Vid. Glassii *Philol. S.* L. I. Tract. I. Can. XXXIX. p. 119. edit. Dath. - Waltheri *Ellipses*, p. 30. edit. Schulz. Nostrum locum imitantur Jeremias XXXI, 6. et Zacharias VIII, 21. 22. וְיֹרֵנוּ מִדְּרָכָיו *Ut doceat nos de viis suis*, s. vias suas (idem loquendi modus infra XXV, 2. Num. V, 6. Ezech. XVIII, 10.), i. e. rationem ipsum colendi et per eum cultum felicitatem consequendi; ita דֶּרֶךְ sumitur quoque infra XLVIII, 17. Chaldaeus: וְיַלְּפִנָּנָא מֵאוֹרְחָן דְּתַקְנָן קֳדָמוֹהִי *et doceat nos de viis, quae rectae sunt coram eo.* וְנֵלְכָה בְּאֹרְחֹתָיו *Ut ambulemus in semitis ejus*, ut sequamur ejus institutionem et disciplinam, cf. infra XXVI, 7. 8. Ps. XXV, 4. 10. Chaldaeus: וּנְהָךְ בְּאוּלְפַן אוֹרַיְתֵיהּ *ut ambulemus in doctrina legis ejus.* כִּי מִצִּיּוֹן *Nam e Zione*, sede cultus Jovani, et coelestis sapientiae, cf. Vs. 2. תֵּצֵא תוֹרָה *Exit institutio*, cf. infra LI, 4. Kimchi: „Haec sunt verba prophetae, non populorum, quasi dicat: cur dicent gentes: *agite, ascendamus?* quia de Zione exibit lex et praeceptum omnibus populis; docens vero erit rex Messias, de quo Vs. sequ.“ Eundem, qui hic, *Hierosolymae* et *montis Zion* parallelismum vid. infra XXXVII, 32.

4. וְשָׁפַט בֵּין הַגּוֹיִם *Judicabit inter gentes*, i. e. dissidia earum componet, easque ad pacem adducet scilicet judex. Eum Kimchi regem Messiam futurum exstimat. Alii Jovam, quibus favet locus infra LI, 5., ubi Jova se suis brachiis populos judicaturum promittit. וְהוֹכִיחַ לְעַמִּים רַבִּים *Et arguet*, i. e. arbiter pacis erit *multis populis*, sive *inter multos populos*, ut לְ ante עַמִּים hic sit idem quod בֵּין. (Genes. XXXI, 37. וְיוֹכִיחוּ בֵּין שְׁנֵינוּ, *sint judices inter nos ambo*, et Job. IX, 33.), nec aliter לְ vertendum est Num. III, 40. Ezech. XXXIV, 17. Verbum יָכַח propr. *demonstravit*, haud raro dicitur de judice, qui interloquitur, et *demonstrationem facit nunc huic nunc illi parti*; vid. Genes. XXX, 38. Jesaj. XI, 4. Job. IX, 38.; parallelum

 igitur

igitur *τῷ* שָׁפַט. Kimchi: „Quodſi inter duos populos lis inciderit, rem deferent ad regem Meſſiam, qui erit omnium populorum dominus, isque litem inter utrumque dirimet; quare bella ſtudiaque militaria plane ceſſabunt.“ Id quod vates altero hemiſtichio eleganter ſic expreſſit: וְכִתְּתוּ חַרְבוֹתָם לְאִתִּים וַחֲנִיתוֹתֵיהֶם לְמַזְמֵרוֹת, *et conflabunt gladios ſuos in vomeres, et lanceas ſuas in falces*, ut recte Vulgatus vertit, quod Hieronymus ita enarrat: „Omne bellandi ſtudium vertetur ad pacem, et pro discordia erit in toto orbe concordia. Gladii mutabuntur in vomeres, et lanceae in falces, ut omiſſo furore bellandi agriculturae ſerviant, et uberrimas falcibus meſſes ſecent.“ Quemadmodum apud Virgilium *Georg. I*, 507. de praeparatione ad bellum dicitur:

— — *ſqualent abductis arva colonis,*
Et curvae rigidum falces conflantur in enſem:

et *Aeneid. VII*, 635.

Vomeris huc, et falcis honos, huc omnis aratri
Ceſſit amor; recoquunt patrios fornacibus enſis:

nec non apud Ovidium *Faſt. I*, 699.

Sarcula ceſſabant, verſique in pila ligones,

(cf. Joel. IV, 10.); ita, cum pacis ſtudium depingit noſter, contraria iſtis imaginibus dicit. De militaribus armis in ruſtica translatis Martialis Lib. XIV. *Epigr.* 34., cui inſcriptio: *Falx ex enſe*:

Pax me certa ducis placidos conflavit in uſus,
Agricolae nunc ſunt, militis ante fui.

Talia pertinent ad aurei ſeculi deſcriptionem, cf. infra XI, 9. Hoſ. II, 20. Zachar. IX, 10. כִּתְּתוּ *Cudent*, i. e. conflabunt, inſtrumenta bellica liquefacta recudent. אֵת *ligonem* verterunt non pauci interpretes, Judaeos ſequuti; verum ſine veterum auctoritate, praeter Symmachum, qui 1 Sam. XIII, 10. σκαφεῖον vertit. Plerique reddunt *vomer*, praeeuntibus veteribus omnibus. At ex 1 Sam. XIII, 20. 21. appa-

apparet, מַחֲרֵשָׁה eſſe *vomerem*, a חָרַשׁ, *arare*, אֵת vero ab eo diverſum inſtrumentum: fortaſſe *culter aratri* (*das Pflugmeſſer*), de quo Plinius *Hiſt. Nat.* Lib. XVIII. §. 48. *Vomerum plura genera: Culter vocatur, praedenſam, priusquam proſcindatur, terram ſecans, futurisque ſulcis veſtigia praeſcribens inciſuris, quas reſupinus in arando mordeat vomer.* מַזְמֵרוֹת *Falces*, quales ſunt, quibus utuntur in putandis vitibus et arboribus. Verbum זָמַר enim de *vitium* amputatione uſurpatur infra V, 6. Levit. XXV, 3. 4. לֹא יִשָּׂא גוֹי אֶל־גּוֹי חֶרֶב *Nec tollet*, i. ſtringet (una) *gens contra alteram enſem*, gentes non amplius armis inter ſe pugnabunt. Voci לֹא ex emendatione ו praemittitur in Codicibus et libris editis, ut habent Alexandrini, Syrus, Theodotion, Chaldaeus, et Michas, Cap. IV, 1. Sed omittendum potius eſt; nam in oratione poetica particulae copulativae languent. אֶל *Ad*, h. l. *contra* vertendum, ut Geneſ. IV, 8. Exod. XIV, 5. Num. XXXII, 14. וְלֹא יִלְמְדוּ עוֹד מִלְחָמָה *Nec ultra bello adſueſcent*, non amplius artes bellicas exercebunt.

5. בֵּית יַעֲקֹב לְכוּ *Domus Jacobi agite!* Haec verba quidam tribuunt gentibus, quae quum divinae legis aequitatem et ſuavitatem eſſent expertae, Judaeos hortentur, ut ipſi quoque inventae pacis commoditatem capiant. Ita Jarchi: האומות יאמרו להם, *gentes dicent eis*, Judaeis. Diſtant tamen haec verba longius a ſuperiore gentium oratione (Vs. 3.), quam ut connecti cum ea commode queant. Alii hanc orationem faciunt Judaeorum ſe mutuo exhortantium. Ita Chaldaeus: וְיֵימְרוּן דְּבֵית יַעֲקֹב, *dicent qui domus Jacobi*, ſ. *qui de domo Jacobi* ſunt. Verum illud *dicent* de ſuo addidiſſe interpretem patet. Quae ſequuntur, ſatis diſerte docent, inde ab hoc Verſu prophetam loqui, atque popularibus ſuis demonſtrare, indignum eſſe, ut ab ipſis contemnatur et negligatur ille Deus, ad quem colendum aliae gentes, dummodo ejus notitiam conſequutae eſſent, ſummo cum ſtudio confluxurae ſint. Ita Hierony-

mus:

mus: „Poſt vocationem gentium et oſtenſionem montis Domini ſuper verticem montium, ad populum ſuum, id eſt, populum Judaeorum, qui appellatur *domus Jacob,* propheta convertitur, et hortatur eos, ut, qui in tenebris verſantur erroris, lumen ſuſcipiant veritatis et ambulent in lumine Domini.“ Kimchi: „Haec ſunt verba prophetae ad ſuos aequales. Quia ſupra (Vs. 3.) dixerat, gentes ſeſe mutuo exhortaturas, ut ad montem domus Domini aſcendant, nunc ait: vos, quibus id incumbit, et praeceptum eſt, *agite! ambulemus in lumine Domini.* לְכוּ adhortantis eſt vox, ut ſupra I, 18. Dum ait prima pluralis perſona וְנֵלְכָה, *ambulemus,* ſociat ſe illis, ut ſupra I, 9.“ בֵּית יַעֲקֹב *Domus,* i. e. familia, *Jacobaea.* Hebraeorum בַּיִת, plane ut Arabum أَهْل, ſimul *tentorium,* ſ. domum et *familiam,* ſ. tribum, in tentoriis habitantem, indicat. Utitur vates hac appellatione inſolentiore, poetarum more, pro uſitatiore בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, ſive עַם בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, ut infra XLVIII, 1. אוֹר יְהוָה *Luce Jehovae,* ſignificantur *leges ejus,* quae in tenebris erroris et inſcientiae clariſſimum lumen praeferunt menti, cf. Prov. VI, 3. Pſ. CXIX, 105., ut adeo ſenſus ſit, *ſequamur cultum, leges Jehovae.* Ita Chaldaeus: בְּאוּלְפַן אוֹרַיְתָא דַיְיָ *in doctrina legis Domini.* Koppius cum Clerico vertit: *ambulabimus in luce* faciei *Jehovae,* i. e. Deum propitium nobis reddamus per mores, favore ejus non indignos. Nam *lux faciei* alicujus, ſ. frons ſerena, eſt gratia, benevolentia, vid. Proverb. XVI, 15. (בְּאוֹר־פְּנֵי־מֶלֶךְ חַיִּים quod ſtatim explicatur רְצוֹנוֹ). Similis phraſis eſt: *fronte ſerena adſpicere,* apud poetas Romanos ſaepe obvia. Ex qua interpretatione haec verba arctius quidem cohaerent cum iis, quae ſequuntur, hoc ſenſu: ita vivamus, ut Jehova nos iterum fronte ſerena adſpiciat, nobis faveat, nam quia leges ejus neglevimus, ille nos quoque neglexit (faciem ſuam a nobis avertit). Sed obſtat, quod vox פָּנִים in aliis quidem loqutionibus, ubi poni debuit, ſaepe omiſſa, in hac אוֹר פְּנֵי פְלוֹנִי, nusquam omiſſa reperitur. Phraſi

ambu-

ambulemus in luce Domini alludi ad ritum celebrandi solennia festi tabernaculorum, quum transacto primo festi die, appropinquante nocte, accingere se solerent ad laetitiam נִיסּוּךְ הַמַּיִם, *effusionis aquae*, in qua solennitate tot accendebantur lampades, in eo loco, unde hauriebantur aquae, ut non esset totis Hierosolymis platea ulla, quae non coruscaret ex ista illustratione, adeo ut omnes urbis incolae *in ea luce ambulare*, festique gaudio frui possent, conjectura est Deylingii *Observatt. Sacr.* P. II. p. 290. (cf. Petr. Zornii *Biblioth. antiquar. et exeget.* p. 969. seqq. not.), docta quidem, sed quam dubito veram esse.

6. Causam adfert proxime antecedentis adhortationis, populi scelera, ob quae Jova eum reprobavit. כִּי נָטַשְׁתָּה עַמְּךָ בֵּית יַעֲקוֹב *Nam tu*, Jova! *repudiasti populum tuum, familiam Jacobi* (Vs. 5.). Oratio convertitur ad Deum, de quo antea semper in persona tertia dicebatur; ex more poetico, vid. supra ad I, 29. Hieronymus: „Quumque quod (hoc Vs. 5. legitur) loquutus fuisset ad populum Judaeorum, cernens impoenitens cor eorum, et animam in crudelitate durissimam; facit apostrophen ad Dominum et dicit: ideo eos hortor, ut ad te veniant, et mecum tuo lumine perfruantur, quia pro merito peccatorum suorum reliquisti populum tuum, domum quondam Jacob." Ita Jarchi quoque et Kimchi. At Chaldaeus: אֲרֵי שְׁבַקְתּוּן דַּחֲלָא תַּקִּיפָא דְּחָוֵה פָּרֵק לְכוֹן דְּבֵית יַעֲקֹב *nam dereliquistis venerandum et fortem, qui salvabit vos, qui domus Jacobi estis!* Videtur verba hebraica eodem modo, quo recentiorum quidam, accepisse, inter quos Michaelis, qui non improbat quidem interpretationem vulgarem; sed mavult tamen, accentus Masorethicos relinquens, vertere: *nam tu, familia Jacobaea, deseruisti populum tuum*, i. e. religionem et mores, populo tuo proprio; deseris religionem patrum tuorum, et sequeris superstitionem et scelera peregrinorum. Ita Saadias: وَإِنَّكَ تَرَكْتَ مَذْهَبَ قَوْمِكَ يَا آلَ يَعْقُوب *nam dese-*

deseruisti religionem gentis tuae, o familia Jacobaea! Sed praestat, nostro judicio, interpretatio prior. Hubigantius: „Istud ה in נָטַשְׁתָּה, quod superfluit, reliquum videtur esse antiquae scriptionis, נָטַשְׁתָּ יָהּ, *reliquisti, Domine.* Jesajas non converteret ad Deum sermonem, Deo non nominato. Atque hoc forsan erat tacitum judicium graecorum interpretum, qui quidem abiere ad personam tertiam, *reliquit populum suum* [ἀνῆκε γὰρ τὸν λαὸν αὐτοῦ τὸν οἶκον τοῦ Ἰσραήλ]. Haec plane significant, gentem Judaeorum a Deo relictum iri rempublicamque eorum delendam tempore eodem, quo gentes omnes legi, quae de Sion exibit, obsequentur." Sed ה in נָטַשְׁתָּה est paragogicum, ut in בָּגַדְתָּה, *praevaricatus es*, Malach. II, 14. נָתַתָּה, *dedisti*, Genes. III, 12. Personae, ad quam oratio convertitur, nomen non diserte exprimi, poetis minime insolens. Ceterum נָטַשׁ proprium est verbum, quod adhiberi solet de Deo, populum aliquem ob ejus scelera repudiante quasi, adeoque omnimoda miseria eum cumulante, vid. Jud. VI, 13. 2 Reg. XXI, 14. Jerem. VII, 29. XXIII, 33. oppos. *Jovam esse cum aliquo*, 1 Reg. VIII, 57. Non igitur erat, cur H. E. G. Paulus in *Memorabill.* Fasc. V. p. 95. verbo נָטַשׁ Arabici نَطَسَ, *contemplatus est*, tribuens significationem, nostra verba interpretaretur: *quando tu, Deus, populum tuum contemplaris;* sententia jejuna et parum concinna. Pluribus illam interpretationem refellit, illustratis simul aliis locis, quibus verbum נָטַשׁ occurrit, A. J. Arnoldi in *Observatt.* supra ad I, 8. laudatt. p. 19. seqq. Neque quae Arnoldio reposuit Paulus ad suam interpretationem vindicandam in *dem Neuen theolog. Journal* anni 1796. p. 262. seqq., nos ut ei assentiamur, persuadent. In eandem, quam Paulus protulit, opinionem incidit C. Guil. Moessler, qui in Dissertat. cui epigraphe: *Novae locorum nonnullorum Jesajae explicatu difficiliorum interpretationis periculum*, Viteberg. 1808. 4. eodem illo Arabico نطس collato nostrum locum sic vertit: *Tu, Jova, observasti populum tuum, fami-*

familiam Jacobi, ſcatere tam hariolis orientalibus, Philiſthaeorum inſtar, quam cum liberis nothis ſ. peregrinis ſocietatem inire. Sed *relinquendi, deſerendi* notionem, qua h. l. verbum נָטַשׁ veteres omnes capiunt, extra omnem dubitationem ponunt loca a nobis antea laudata. In verborum כִּי מָלְאוּ מִקֶּדֶם interpretatione diſſentiunt. Nomen קֶדֶם, quod de *loco* pariter, ſive de terris ad ſolis ortum, ac de *tempore* uſurpatur, veteres raro conſenſu de *tempore antiquo* ceperunt (LXX: *ὅτι ἐνεπλήσθη ὡς τὸ ἀπ᾽ ἀρχῆς*. Syrus: ܡܛܠ ܕܐܬܡܠܝܘ ܐܝܟ ܕܡܢ ܩܕܝܡ, *quoniam repleti ſunt ut antea;* Vulgatus: *quia repleti ſunt ut olim;* Chaldaeus: אֲרֵי אִתְמְלִיאַת אַרְעֲכוֹן טַעֲוָן כְּמִלְקַדְמִין *quia repleta eſt terra veſtra idolis ut ab initio*; Saadias: أتبع قومكم سبل القدم, *populus veſter indeſinenter quaerit viam temporis prioris*). Videntur de illo tempore cogitaſſe, quo priſci Palaeſtinae incolae, Cananaei, idolorum cultores, terram tenuerunt. Eandem non dubito Hieronymi ſententiam fuiſſe, cujus haec ſunt verba: „Redditque cauſſas, quare projecerit Deus populum ſuum, domum Jacob, *quia repleti ſunt*, inquit, *ut fuerunt in principio*, auguribus, et ſomniis, cunctisque ſordibus idololatriae.“ Verum recte monuit Vitringa, קֶדֶם aperte oppoſitum eſſe *τοῖς* פְּלִשְׁתִּים, qui Iſraelitis ad *occidentem* habitarunt, hinc parallelismum flagitare, קֶדֶם de *regionibus orientalibus* intelligere. Vitringa ipſe vertit: *repleti ſunt ſpiritu divinatorio magis quam orientales.* Scilicet qui inter gentes exercebant divinationem, prae ſe ferebant, ſe obſideri a Daemone, eoque repletos eſſe; id vero indicari exiſtimat verbo מָלֵא, quaſi voce technica, qua prophetae etiam Iſraelitici uterentur, cum dicerent, ſe Jovae ſpiritu impleri (הִמָּלֵא) e. c. Mich. III, 8.; cf. Job. XXXII, 18. Quam interpretationem ſequitur et Dathius, qui vertit: *artem divinandi magis jactant, quam Syri.* Verum nullo alio loco מָלֵא, ſimpliciter poſitum, eam, quam ei Vitringa adſcribit, ſignificationem,

nem, obtinet. Michae enim loco, quem ille adfert, res, qua propheta impletus dicitur, eſt appoſita (מָלֵאתִי כֹחַ אֶת־רוּחַ יְהוָה). Ludov. de Dieu verbum מָלֵא hic ſumendum cenſet *hauriendi* notione, qua in N. T. verſione Syriaca et in Targumin ſaepe occurrit, pro Hebr. שָׁאַב; hinc vertit: *quia hauſerunt ex Oriente*, ſcil. praeſtigias, artes magicas etc. Minime tamen credibile, verbum מָלֵא hoc ſolo loco alia ſignificatione uſurpari quam ea, qua centies in V. T. occurrit. Doederlein קֶדֶם eodem, quo veteres interpretes, ſenſu accipit (vid. ſupra), et verba noſtra ſic vertit: *dum a longo inde tempore tanto hariolorum numero, quanto antiqui Palaeſtinae populi, utuntur.* „Verbum מָלֵא," addit in nota ſubjecta, „non *implendi* tantum poteſtatem habet, ſed *multitudinis**quoque, vid. infra Cap. XXXI, 4. Jam בֵּיתוֹ, i. e. *familiam ſuam*, *impleviſſe*, i. e. *auxiſſe*, adſcitis multis Orientalibus, primum eſt, quod exprobratur Judaeis." Senſus non ſatis concinnus. Clericus verba מָלְאוּ מִקֶּדֶם elliptice poſita exiſtimat pro: מָלְאוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל גֵּרִים אֲשֶׁר בָּאוּ מִקֶּדֶם, *pleni ſunt Iſraelitae advenis ex Oriente.* In quo tamen nihil erat, cur a Deo repudiari meruiſſent. J. D. Michaelis vertit: *pleni ſunt vento orientali*, quo ſignificari exiſtimat populorum orientalium ſuperſtitionem, quae ob inanitatem et noxam apte cum vento illo orientali pernicioſo poſſit comparari: conferre jubet Job. XV, 2. *num ſapiens vana reſpondebit: num euro ſeſe implebit?* ubi *eurus* indicat doctrinas vanas et noxias. Verum ubi de *vento orientali*, *euro*, eſt ſermo, ſemper קָדִים, *orientalis* (ſcil. רוּחַ, ventus, vid. Ezech. XVII, 10. XIX, 12. Hoſ. XIII, 15. Jon. IV, 8.) uſurpatur; nusquam קֶדֶם. Verte: *repleti ſunt oriente*, i. e. ſuperſtitionibus, artibusque malis orientis, ſ. Orientalium; ſubjecti, ut loqui ſolent, metonymia, qua *locus* pro *re in loco contenta* dicitur, e. c. *Ophir* pro *auro Ophirino*, Job. XXII, 24., *coelum* pro *Deo*, Dan. IV, 23. Verbum מָלֵא et conſtructionem per מִן admittere, patet ex loco Ezech. XXXII, 6., ubi legitur וַאֲפִקִים יִמָּלְאוּן מִמֶּךָּ, *et alvei implebuntur de te*,

tuo

tuo videlicet ſanguine; et Jerem. LI, 34. מִלָּא בְרֵשׁוֹ מֵעֲדָנַי, *implebit ventrem ſuum de meis deliciis.* Kimchi: מלאו כשפים יותר מבני קדם, *pleni ſunt praeſtigiis magis quam orientales;* עֹנְנִים et כְּשָׁפִים junguntur et Jerem. XXVII, 9. Mich. V, 11. *Syrorum* et *Chaldaeorum* potiſſimum ſuperſtitiones nomine קֶדֶם ſpectari, ſuadet locus infra IX, 11., ubi *Philiſthaeis* plane ut hic opponitur *Oriens,* hoc modo: אֲרָם מִקֶּדֶם וּפְלִשְׁתִּים מֵאָחוֹר, *Syri ab ortu, et Philiſthaei ab occidente.* Supervacanea Brentii conjectura, in quam ipſam deinceps Hubigantius et Waltherus inciderunt, pro מִקֶּדֶם legendum eſſe מְקֹסֵם, coll. Deut. XVIII, 14. Multo minus probandus Koppius, qui conjicit, reponendum eſſe, vel, מְקֹסְמִים מִקֶּדֶם, vel מְקֹסְמִים כְּמִקֶּדֶם. עוֹנְנִים, non diverſi, uti videtur, a מְעוֹנְנִים Deut. XVIII, 10. 14., proprie videntur eſſe ii, *qui ex nubibus omina captant,* ab עָנָן, *nubes,* ut recte Aben-Esra ad Levit. XIX, 26., quia talis praeſtigiator יסתכל בעננים ובדמותם ובתנועתם, *aſpicit nubes earumque figuram et motum,* indeque de rebus futuris vaticinari geſtit. Hic tamen per ſynecdochen univerſim *hariolationes* ea voce videntur indicari. Alii vocabulum noſtrum referunt ad עוֹן, עוֹנָה, cui nomini *ſtati temporis* notionem tribuunt, ut עוֹנֵן ſit is, *qui obſervat tempora cuilibet negotio apta, Tagewähler,* ut Lutherus reddit. Plura de hac voce disputavit Carpzovius in *Apparatu Antiqq. Hebrr. ad Goodwinum,* L. IV. C. X. p. 540. 541. כַּפְּלִשְׁתִּים *Sicut Philiſthaei,* qui auguriis dediti erant (1 Sam. VI, 2.), et Judaeae ab occidente erant, ſicuti Syri ab oriente. Hieronymus: „Pro *Philiſthiim* ſemper LXX *alienigenas* interpretati ſunt, id eſt, τοὺς ἀλλοφύλους, nomen commune pro proprio, quae eſt hodie gens Palaeſtinorum, quaſi *Philiſthinos,* quia *P* literam ſermo Hebraicus non habet, ſed pro ea Φ Graecorum utitur. Unde et illud, quod in Pſalmis dicitur cum enumeratione gentium ceterarum (LIX, 10.): *Mihi alienigenae ſubditi ſunt,* non omnes exteras nationes ſed proprie *Palaeſtinos* ſignificat.“ Ex malis his vicinis Iſraelitae artes malas didicerant, vid. 2 Reg. XXI, 6.

2 Paral.

2 Paral. XXXIII, 6. Verba וּבְיַלְדֵי נָכְרִים יַשְׂפִּיקוּ plerique sic interpretantur: *et filiis exterorum plaudunt*, i. e. illorum studiis, superstitionibus vitiisque mirifice se oblectant, quemadmodum Romani, antiquae disciplinae tenaces, corruptis temporibus Neronis querebantur, Tacito *Annal.* XIV, c. 20. referente, *juventutem studiis externis degenerare.* שָׂפַק, sive, ut aliis locis scriptum reperitur, סָפַק, i. q. Arabum سفق et صفق, *manus complosit*, idque vel prae dolore, ut Jerem. XLVIII, 26., vel prae gaudio et admiratione, ut Thren. II, 15., quo tamen loco de iis dicitur, qui de aliorum malis gaudent illisque illudentes manus complodunt. Sed quum Arabicum verbum, recte observante Gesenio, et denotet: *percussâ utrinque manu asseruit illi emtionem, inaugurationem* (cf. A. Schultens ad Job. XX, 22. et Silv. de Sacy ad Haririum p. 48.), *malim* verba hebraea ita capere: *dextras jungunt cum exteris*, i. e. paciscuntur, foedus ineunt cum iis, et eorum pravos mores superstitionesque imitantur. Jarchi verbum סָפַק franco-gallico *s'ébatre*, i. e. *delectari, placere sibi in aliqua re* explicat, ceterum autem hunc locum ad matrimonia refert, quae inivissent Judaei cum feminis alienigenis, et superstitionibus deditis, e quibus liberi orti, matribus haud meliores, patrum deliciae. Ita jam LXX: *Καὶ τέκνα πολλὰ ἀλλόφυλα ἐγενέθη αὐτοῖς.* Syrus: ܗܘܘ ܠܗܘܢ ܣܘܓܐܐ ܕܒܢܝ̈ܐ ܢܘܟܪܝ̈ܐ ܪܒܝܘ, *multitudinem filiorum peregrinorum educarunt.* Hieronymus, postquam hanc Alexandrini interpretis versionem attulisset, addit: „Symmachus: *et cum filiis alienis applauserunt.* Pro quo scriptum est in Hebraeo *jasphiku*, et nos vertimus *adhaeserunt* (*pueris alienis*), ut vitiorum in gente Judaea turpitudo monstretur. In tantum autem Graeci et Romani hoc quondam vitio laboraverunt, ut et clarissimi Philosophorum Graeciae haberent publice concubinos, et Hadrianus, philosophiae artibus eruditus, Antinoum consecrarit in Deum, templumque ei ac victimas et sacerdotes instituerit, et ex eo Aegypti

civitas

civitas ac regio nomen acceperit. Inter ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum pueri ſteterunt publicae libidini expoſiti, donec ſub Conſtantino Imperatore, Chriſti evangelio coruſcante, et infidelitas univerſarum gentium et turpitudo deleta eſt. Porro LXX conjuges eorum violatas eſſe ſignificant, dum filios alienos Judaeis generant. Symmachus quodam circuitu et honeſto ſermone, *plaudentium*, eandem cum pueris turpitudinem demonſtravit.“ Idem ſpectaſſe videtur Saadias: وَيَحْوَاشِي ٱلْغُرَبَاءِ يَكْتَفُوا, *et aſſeclis peregrinorum contenti ſunt*, delectantur. Hoensel in *Obſervatt.* p. 16. verbum שָׂפַק *abundandi* ſignificatu, Aramaeis familiari, capiendum cenſet, hoc ſenſu: *abundabunt Iſraelitae natis alienigenarum*, quibus verbis poenas, quas ob nefariam ſuperſtitionem morumque peregrinorum imitationem daturi ſint Judaei, deſcribi exiſtimat, q. d.: exteri hoſtes magno agmine in Judaeam irruent, quumque antea Judaei mores gentium exterarum et ſuperſtitiones ſollicite imitati ſint, Deus juſtiſſimo talionis jure uſurus, per eosdem illos exteros meritos a populo Judaico repetet poenas. Sed poenarum comminatio Verſu demum 9. incipit. Senſum recte expreſſit Chaldaeus: וּבְנִימוּסֵי עַמְמַיָּא אָזְלִין, *et in inſtitutis*, ſecundum inſtituta *populorum* aliorum *ambulant*. Mitto interpretationes conjecturasque de hoc loco plures alias, quas retulit refellitque Michaelis in *Supplemm.* p. 1794. et Kocherus in *Vindiciis* p. 26. Ceterum יַלְדֵי נָכְרִים i. q. בְּנֵי נֵכָר, quibus *gentes exterae* ſignificantur infra LX, 10. LXI, 5. Pſ. XVIII, 45. CXLIV, 7. 11.

7. Connumerat peccata alia: avaritiam, quae ad opes congerendas inhiat, et faſtum atque ambitionem, qua adducti magnum apparatum bellicum coegerunt. וַתִּמָּלֵא אַרְצוֹ כֶּסֶף וְזָהָב *Etenim repleta eſt terra ejus* ſcil. populi, quem Vs. 5. reprobatum eſſe a Deo dixerat, *auro et argento*. וְאֵין קֵצֶה *Nec finis* i. e. modus eſt, Nahum. II, 10. III, 3. 9. לְאֹצְרֹתָיו *Theſauris ejus* congerendis. Quadrant haec exact

ſin

in ſtatum florentiſſimum Judaeae gentis et regni ſub Uſia atque Jothamo, qualis ille deſcribitur 2 Chron. XXVI, 5. ſeqq. Divitiarum augendarum cupiditatem cum luxurie et morum corruptione plerumque conjunctam eſſe, quis neſcit? Hieronymus: „Pulchre illud comma verſiculi [Horatii, *Epiſt.* I, 2. 56.]: *ſemper avarus eget*, aliis verbis propheta ſignificavit dicens: *et non eſt finis theſaurorum ejus*, non quod theſauri finem non habeant, ſed quod poſſidentium animus non impleatur.“ סוּסִים *Equis*, bellatoribus, quorum magnam copiam alere vetitum erat, Deut. XVII, 16. וְאֵין קֵצֶה לְמַרְכְּבֹתָיו *Nec modus eſt curribus ejus*, quorum vel ad luxum, vel ad bellum uſus erat; eorum apud Judaeos multitudinem graviter quoque reprehendit Micha, Jeſajae aequalis, V, 9. ſeqq.

8. וַתִּמָּלֵא אַרְצוֹ אֱלִילִים *Et repleta eſt terra ejus idolis*, ut apud Iſraelitas iisdem temporibus, vid. Hoſ. II, 10. VIII, 4. X, 1., eo tamen discrimine, quod apud Judaeos peregrinorum deorum cultus magis privatus, quam publicus eſſet; nam Jothamus et Uſias Jovae cultores erant. Quare nomine אֱלִילִים, quod generale eſt *idolorum* nomen, quo proprie *res nihili, vanae* ſignificantur (cf. Jerem. II, 11. Habac. II, 18. 19.), Vitringa potiſſimum deos illos penates תְּרָפִים dictos, quorum cultui gens Judaea ab antiquiſſimis temporibus dedita fuit (vid. Geneſ. XXXI, 19. et ibi not.) ſpectari exiſtimat. לְמַעֲשֵׂה יָדָיו יִשְׁתַּחֲווּ *Operi manuum ſuarum ſeſe proſternunt*, eo progreſſi ſunt amentiae, ut adorent, quae ſuis ipſi manibus dolaverunt et finxerunt (cf. Hoſ. VIII, 6. XIV, 4. Mich. V, 12.). לַאֲשֶׁר עָשׂוּ אֶצְבְּעֹתָיו *Ei* idolo *quod fecerunt, digiti ſui* (cf. Cap. XVII, 8.), quae inſania Judaeis et exprobratur infra XLIV, 15. ſeqq.

9. Subito tranſit ad comminanda ſupplicia tantis criminibus digna; quo in argumento prolixus verſatur. וַיִּשַּׁח אָדָם וַיִּשְׁפַּל־אִישׁ *Deprimetur homo* et *humiliabitur vir*, quisque, cladium mole oppreſſus. Sunt, qui haec verba de

de adoratione, qua idolorum cultores idola venerati essent, intelligant, et ostendere vatem, latissime patere hanc populi labem divinique nominis injuriam, quando non vulgo tantum Judaei (qui אָדָם, *hominis* nomine significantur), sed etiam principes (qui אִישׁ, *viro*, intelliguntur), corruisse proni ante muta deorum simulacra dicuntur. Ei tamen interpretationi obstat primum, quod verbum שָׁפֵל nusquam usurpatur de incurvatione corporis in adorandis idolis; tum, quod tota, quae sequitur, oratio in hoc decurrit argumento, fore, ut superbi humilientur, ita ut haec verba propositionem quasi generalem efficiant eorum, quae sequuntur. Eam, quam dedimus, interpretationem confirmant loca parallela, infra Vs. 11. 17., et V, 15. Consonat Chaldaeus: וְיִמְאַךְ אֱנָשָׁא וְיִתְחַלַּשׁ תְּקוֹף גֻּבְרִין *et humiliabitur homo, et infirmabitur fortitudo virorum.* אִישׁ et אָדָם ubi in eadem occurrunt sententia, illud homines *ordinis excellentioris* et *dignitatis*, hoc *vilioris* et *gregarii* significat; exemplum manifestum hujus oppositionis habes Ps. XLIX, 3., ubi בְּנֵי אָדָם τῷ אֶבְיוֹן, et בְּנֵי אִישׁ τῷ עָשִׁיר respondet; vid. etiam Ps. IV, 3. Proverb. VIII, 4. Eodem modo Graeci suum ἀνὴρ de viro honorato, ἄνθρωπος vero de homine ex plebe usurpare solent. וְאַל תִּשָּׂא לָהֶם *Sed ne dimittas eis*, imprecationis speciem habet haec oratio, sed est revera comminatio, quae et alias, veluti infra XLVII, 2., per Imperativum effertur. Sensus: *tu, Jova, non sines eos impunitos abire.* Subaudiendum est עָוֹן, *peccatum*, post תִּשָּׂא, vid. Num. XIV, 19. coll. 18., ut in סָלַח, vid. Deuter. XXIX, 19. coll. Exod. XXXIV, 9. Hieronymus: „*Ne ergo dimittas eis*, Pro quo LXX interpretati sunt: καὶ οὐ μὴ ἀνήσω αὐτούς, id est, *non dimittam eis.* Si Deus loquitur, ita intelligendum est: quia tanta fecerunt, non parcam eis, nec tam innumerabilia peccata dimittam. Si propheta, sic sentiendum: ne ergo dimittas eis, qui tanta scelera perpetrarunt." Sed non dubium, prophetae haec esse verba, non sane imprecantis suis vindictam, sed eam denunciantis et interminantis

ut

ut certissimam, nisi sua eam praevenirent et everterent resipiscentia.

10. Nemo descendentis ad exterminandam malam istam progeniem numinis terribilem adspectum sustinebit. Quem jam praesentem videns vates acclamat hominibus: בּוֹא בַצּוּר *Ingredere, ingredimini, rupem*, i. e. speluncas rupium, בִּמְעָרוֹת צֻרִים, Vs. 19., ut ibi lateatis. וְהִטָּמֵן בֶּעָפָר *Et abscondite vos in pulvere,* i. e. בִּמְחִלּוֹת עָפָר, Vs. 19., in cavernis subterraneis. מִפְּנֵי פַּחַד יְהוָה *Prae pavore Jehovae*, quem sentietis contra vos manus afferre ultrices et armatas. פַּחַד summum metum et pavorem indicat, et semper fere de pavore Jovae dicitur, ut 1 Sam. XI, 7. 2 Sam. XVII, 9. וּמֵהֲדַר גְּאֹנוֹ *Et prae reventiae majestatis suae,* quam horrendis prodigiis contra idola vindicabit. Vox הָדָר melius vertitur *reverentia* (quam significationem verbum הָדַר saepe habet e. c. Levit. XIX, 15. 32.), quam *splendor, decus;* respondet enim τῷ פַּחַד. Describitur non hostilis alicujus exercitus irruptio; sed ruina multo gravior, qua totus concutietur orbis, vid. Vs. 19. 21. „Versus hic cum 19. et 21. parallelus, nisi quod in nostro non additum, quod in posterioribus subjicitur, בְּקוּמוֹ לַעֲרֹץ הָאָרֶץ. Itaque Graecus Arabsque cum uno Ms. codice hebraeo supplent, Lowthusque sequitur. Quid ergo nobis consilii? Graecus solus, dubium, de suone, an interpolatus; nam Arabs non suus, sed interpres ex Graeco interprete, neque testis adeo. Praeterea ex tot codicibus [hebraicis] unum citari, id quantulum? maxime quum extent ad fidem graecam correcti scilicet. Sed et hoc vide, ut tres Versus, consulto sciteque, stilo varient; res eadem, color non idem.“ Kocherus in *Vindiciis* p. 27.

11. In eo, quod reliquum est Capitis, praedicit propheta, quemadmodum illa omnia, quae in hominum judicio magni aestimabantur, ruitura sint adventante ultore Deo. עֵינֵי גַּבְהוּת אָדָם שָׁפֵל *Quod ad oculos altitudinis, superbiae fastusque* (cf. Ps. CI, 5. CXXXI, 2.) *hominis, humi-*

humiliatur, dejicietur homo. Praesens pro Futuro, quod solenne prophetis, futura tanquam praesentia videntibus. Ceterum verbum h. l. respondet nomini posteriori recto, cum deberet convenire priori regenti, ut saepius, veluti 2 Sam. X, 9. כִּי הָיְתָה אֵלָיו פְּנֵי הַמִּלְחָמָה, *quod esset contra se facies belli*, pro הָיוּ, *essent*. Job. XXXII, 8. רֹב שָׁנִים יֹדִיעוּ חָכְמָה, *multitudo annorum notam faciunt sapientiam*, pro יֹדִיעַ, *notam facit*. Infra Cap. XXII, 7. וַיְהִי מִבְחַר־עֲמָקַיִךְ מָלְאוּ רָכֶב, *delectus vallium tuarum plenae sunt curribus*, pro מָלֵא; i. e. lectissimae valles tuae curribus refertae sunt. Vid. quoque 1 Sam. II, 4. Ps. LXXV, 4. Job. XV, 20. et cf. Buxtorfii *Thesaur. Grammat.* L. II. Cap. X. *Reg. sext.* p. 429. 430. Storrii *Observatt.* p. 361. 362., ubi hujus idiotismi ratio fusius exposita est; Schroederi *Institt. L. II. Syntax. Reg.* p. 29. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 720. Alia ratione Kocherus haec explicat: „Quae in Tsere, inquit, verba exeunt, ejusdem formae Participia habent, ut, זָקֵן, *senescens*; שָׁפֵל perinde, *humilis factus est; humilis, humile.* Inde שָׁפֵל — עֵינֵי, *oculi — humile*, humillimum, *sunt*, i. e. erunt, eritve. Ut: *Omnia pontus erat: Amantium irae amoris redintegratio est.* Tale Ps. CXIX, 137. יָשָׁר מִשְׁפָּטֶיךָ, *rectum judicia tua*, et infra XVI, 8. שַׁדְמוֹת חֶשְׁבּוֹן אֻמְלָל, *arva Hesbonis languidissimum.* Quale scitum illud Virgilii: *Triste lupus stabulis.* Γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, apud Plutarchum in Apophthegmm.“ Sed *humilis*, s. *humile* est שָׁפָל, vid. 2 Sam. VI, 22. Ps. CXXXVIII, 6. Alexandrinus: *οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ Κυρίου ὑψηλοὶ, ὁ δὲ ἄνθρωπος ταπεινός·* quasi legisset: עֵינֵי יְהוָה גְבוֹהוֹת אָדָם שָׁפֵל. „Lowthus ultra limitem, accentu majori [*Sakeph-katon* voci שָׁפֵל imposito] designatum, saliens, a proxima voce raptum ו huc transtulit, ut fiat שְׁפָלוֹ שַׁח; factum, in Masorethis, si forte evenisset, vix laudaturus, suo more ad testes antiquos provocaturus, qui suam verbo-שַׁח particulam ו afferant.“ Kocherus. וְשַׁח *Et deprimetur*, Vs. 17. Job. IX, 13. רוּם *Altitudo*, i. e. spiritus altus; fastus, i. q. alias רוּם לֵב, Jerem. XLVIII, 29., ut רוּם עֵינַיִם, Proverb.

XXI, 4. וְנִשְׂגַּב יְהוָה לְבַדּוֹ *Exaltabitur Jova solus*, unus erit Jova, cujus exaltetur majestas et gloria. בַּיּוֹם הַהוּא *Die illo*, de quo Vs. 12. seqq.

12. יוֹם לַיהוָה *Dies Jovae*, quo durum judicium atque severum in homines distringet, quod seculum illud aureum, de quo Noster priori hujus Capitis particula, praecedet. Suprema illa dies, quae orbi huic veteri perituro illucescet, יוֹם יְהוָה vatibus hebraeis dici solet, vid. infra XIII, 6. 9. Jerem. XLVI, 10. Ezech. XXX, 3. Zephan. I, 7. 14. Joel II, 31., ut N. T. scriptoribus ἡ ἡμέρα Κυρίου, 1 Thess. V, 2. 2 Petr. III, 10. Superveniet igitur fatalis illa dies עַל־כָּל־גֵּאֶה, *omni elato*, Job. XL, 11. 12. Vulgatus: *super omnem superbum*. Nos latiore sensu, etiam physico, capiendum esse arbitramur. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 193. 194. et in *Supplemm.* p. 300. pro גֵּאֶה scribendum jubet גֵּאָה, defective scriptum pro גֵּיאָה, coll. Arab. جِبَاءَة, *vallis*. „Parallelismus," inquit, „utriusque membri et oppositio גאה ad רום non *altum*, sed *vallem*, poscit." Videlicet hemistichium alterum, וְעַל־כָּל־נִשָּׂא וְשָׁפֵל Michaelis vertit: *et super omne elatum et humile*. Verum reddendum: *et super omne elatum, ut humilietur*. Cf. not. ad Vs. 11. Nostrum גֵּאֶה praeterea a veteribus omnibus expressum.

13. Plures ejusmodi res, quae vel natura, vel arte humana super alias eminent, cumulat. וְעַל כָּל־אַרְזֵי הַלְּבָנוֹן *Et super omnes cedros Libani*, ut infra XIV, 8. „Μεταφορικῶς," ait Hieronymus, „sermo est de magnis atque principibus, quod quanto magis superbierint, tanto amplius deprimantur." Ita et Chaldaeus: וְעַל כָּל מַלְכֵי עַמְמַיָּא תַּקִּיפַיָּא וְחַסִּינַיָּא *et super omnes reges populorum fortes et robustos*. Sed quemadmodum montes, colles, turres, muri praealti, naves, ceteraque magna et sublimia, quae deprimenda prorsus et humilianda vates praenunciat Vss. seqq., proprie sunt accipienda, ita sane et quae hoc Versu commemorantur,

rantur, procerae et magnificae Libani cedri terebinthique Basaniticae. De אֶרֶז, *cedro*, vid. not. ad Pf. XXIX, 5. *Cedros Libani* vero et *quercus*, f. potius *Terebinthos Basaniticas* arbores esse prae aliis altitudine conspicuas, ex multis Veteris Testamenti locis notum est, vid. Jud. IX, 15. 2 Reg. XIV, 9. Pf. CIV, 16. Ezech. XXVII, 6. Amos II, 9. Zach. XI, 2. De regione *Basan* vid. not. ad Genes. XLIX, 26. et Ezech. XXVII, 6. Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 127. 139. Hieronymus: „*Quercus* quoque *Basan* [אַלּוֹנֵי הַבָּשָׁן], quas Aquila δρυὰς, Symmachus et Theodotio βαλάνους interpretati sunt, glandiferas novimus. — *Basan* regio est Arabiae, cui imperavit Og, qui appellatus est *rex Basan* [Deut. III, 11.]."

15. בְּצוּרָה *Munitum*; f. *altum*, ὑψηλὸν, ut vertunt Alexandrini, cf. Deuter. I, 28: בְּצוּרֹת בַּשָּׁמָיִם; eandem significationem vox illa habet Jerem. XXXIII, 3. Saadias: سور حصين وعالي, *murus munitus et altus.*

16. אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ *Naves Tarschisch*, quae Tartessum ibant mercaturae caussa. Hic vero ea adpellatione naves quaevis majores onerariae et diuturnae navigationis patientes indicantur, quales erant, quae longam et periculosam navigationem in Hispaniam adgrediebantur; quemadmodum hodie naves onerariae magnae *naves Indicae* vocari solent, quod eae majores et maris tempestatibus sufferendis aptiores reliquis essent. De תַּרְשִׁישׁ, *Tartesso*, vid. not. ad Genes. X, 4. coll. not. ad Ezech. XXVII, 12. Hieronymus: „Pro *Tharsis*, quod omnes similiter transtulerunt, soli LXX *mare* interpretati sunt: καὶ ἐπὶ πᾶν πλοῖον θαλάσσης [ita et Saadias: وعلي جميع سفن البحر]. Hebraei putant, lingua propria *mare* *Tharsis* appellari, quando autem dicitur *Jam*, non Hebraico sermone appellari, sed Syriaco. Josephus *Tharsis* urbem Ciliciae Tarsum arbitratur;

tratur; alii regionem putant Indiae: et hoc nomine etiam de duodecim gemmis lapidem appellari, qui apud nos vocatur chrysolithus, ob marini coloris similitudinem. Melius autem est, *Tharsis* vel *mare*, vel *pelagus* absolute accipere, neque enim Jonas de Joppe navigans [I, 3.] ad Indiam poterat pervenire, ad quam illo mari non potest navigari, sed simpliciter ire in pelagus, et ad quascunque insulas pergere.“ שְׂכִיּוֹת הַחֶמְדָּה *Imagines desiderii*, i. e. imagines desideratissimas, sive eae factae essent ad usus superstitiosos, sive ad ornamenta cubiculorum. Non incommode Vulgatus: *super omne, quod visu pulchrum est.* Nec multo aliter Saadias: وجميع مزخرفات المنى *et super omnia artificiose facta desiderata.* שְׂכִיָּה hoc solo loco obvium haud diversum videtur a מַשְׂכִּית, quod de *imaginibus* vel ex lapide (Levit. XXVI, 1. Num. XXXIII, 52.), vel pictis (Ezech. VIII, 12.) dicitur. Sunt, qui significari existiment imagines, quibus navium prorae vel puppes ornari solent, quas ipsas et a LXX spectari volunt, καὶ ἐπὶ πᾶσαν θέαν πλοίων κάλλους. Sed videntur hi de navium artificiose et eleganter fabricatarum pulchro adspectu cogitasse. Palatia, quae strata essent pavimentis marmoreis figuratis intelligit Jarchi, Chaldaeum sequutus, qui vertit: דְּשָׁרָן בְּבִירָנְיָתָא שַׁפִּירָן, *qui habitant in palatiis pulchris.*

17. Vid. Vs. 11.

18. וְהָאֱלִילִים כָּלִיל יַחֲלֹף *Idola* vero quod attinet, *universum transibit*, peribit, ut Ps. XC, 5. 6. Nam כָּלִיל, adjectivum, cujus femininum כְּלִילָה, cum substantivo usurpatum, verbum poscit singulare, ut Jud. XX, 40. עָלָה כְלִיל הָעִיר. *ascendebant totum urbis.*

19. Simulacrorum cultores, edocti suo magno periculo, in illis nihil esse virtutis et praesidii, confringent illa, salutemque potius petent a montium cavernis, quam ab illorum patrocinio. Cf. Vs. 10. וּבָאוּ *Ingredientur*, idolorum

lorum cultores terrore perculsi. בִּמְעָרוֹת צֻרִים *In antra* (Jud. VI, 2. 1 Sam. XIII, 6.) *petrarum*. וּבִמְחִלּוֹת עָפָר *Et in fissuras pulveris*, terrae, cf. Job. XXX, 6. חֹרֵי עָפָר, *foramina terrae*. מְחִלּוֹת, hoc solo loco obvium, significare *cavernas*, seu *specus subterraneas*, sive natura, sive, quod rectius videtur, hominum industria paratas, *a perforando* (חָלַל), nulla dubitatio. Convenit cum Chaldaico מְחִילִין, *cavitates subterraneae*, quo ipso nomine interpres hoc loco usus est. Syrus: ܡܥܠܟܬܐ, quod nomen Job. XXX, 6. Cant. II, 14. Jerem. XVII, 6. pro *cavernis fissurisque petrarum* ponitur. LXX: τρώγλας τῆς γῆς. Saadias utitur Persico سرْدابات, *frigidaria subterranea*. בְּקוּמוֹ לַעֲרֹץ הָאָרֶץ *Quando surget ad concutiendam terram*, ea enim genuina verbi עָרַץ notio est, coll. Arab. عَرَضَ, *vibravit*, *tremulo motu agitatus fuit*, transitive, *agitavit*, metaphora desumta ab arboribus, vento majore concussis, ut earum decidant folia, vid. Job. XIII, 25. LXX: θραῦσαι. Vulgatus: *percutere*. Chaldaeus: בְּאִתְגְּלִיוּתֵיהּ לְמִתְבַּר רַשִׁיעֵי אַרְעָא, *cum revelatus fuerit*, *ut conterat impios terrae*. Saadias: لِيُذْهِبَ أَهْلَ ٱلْأَرْضِ, *ut auferat terrae incolas*.

20. Descriptio fugae repentinae et summae perturbationis. Malis obruti, idola abjicietis, cum eorum impotentiam ad opem vobis ferendam, cernetis. בַּיּוֹם הַהוּא *Die illa*, qua Jova judicium exercebit, בַּיּוֹם לַיהוָה, Vs. 12. יַשְׁלִיךְ הָאָדָם אֵת אֱלִילֵי כַסְפּוֹ וְאֵת אֱלִילֵי זְהָבוֹ *Abjiciet homo idola sua argentea et aurea*. Nomina זְהַב et כֶּסֶף, in statu constructo posita, sustinent adjectivorum vices; nam eo modo Hebraei saepe solent adjectivorum in sua lingua defectum sarcire (ut כְּלֵי זָהָב et כְּלֵי כֶסֶף sunt *vasa aurea* et *argentea*, Exod. XI, 2. Jud. VII, 13. vid. Storr *Observat.* p. 233.). Quoniam vero status constructus duo nomina ita conjungit, ut *unum* verbum efficiant; *pronomen* utique *inter-*

interjici non solet inter nomen regens atque rectum, quae desierunt numerari duae voces, sed vocabulo composito, h. e. nomini *recto*, quod *postremum* est, *subjicitur*, si etiam ad prius nomen, s. regens, pertineat; veluti חֶלְקַת חֶמְדָּתִי *desiderabilis terra mea*, Jerem. XII, 10.; עִיר קָדְשֶׁךָ *urbs tua sancta*, infra LXIV, 9. 10. LVI, 7. Ps. II, 6. אֲשֶׁר עָשׂוּ לוֹ *Quae fecerunt* quisque eorum *sibi*, omissum est אִישׁ, vid. Jud. IX, 55. Genes. XL, 5. Vel est עָשׂוּ impersonaliter positum: *quae facta sunt* (proprie *fecerunt* scil. artifices) *ei*, in ejus usum, לְהִשְׁתַּחֲוֹת *ad adorandum*. Quidquid sit, non est delendum לוֹ, ut Lowthus vult, ex duorum codicum auctoritate. Verba hujus Versus postrema, לַחְפֹּר פֵּרוֹת וְלָעֲטַלֵּפִים, *talpis et vespertilionibus*, veteres ei quod proxime praecedit, לְהִשְׁתַּחֲוֹת ita conjungunt, quasi diceret vates, adorasse Judaeos talpas et vespertiliones. LXX: Ἃ ἐποίησαν προσκυνεῖν τοῖς ματαίοις καὶ ταῖς νυκτερίσι, *quae fecerunt ad adorandum vana et vespertiliones*. Ita accepit Graeca verba Theodoretus; licet, si comma ponas post προσκυνεῖν, sententia recte se habere et accipi queat. Hieronymus: *idola argenti sui, quae fecerat, ut adoraret talpas et vespertiliones*. Chaldaeus: לְמִסְגַּד לְטַעֲוָתָא וּלְצַלְמַנַיָּא *ut adorarent idola et simulacra*. Ita et Grotius, ad verba nostra notans: „Nullum fere est animantis genus, quod non in aliqua parte Aegypti sit cultum pro numine.“ Verum ne inter Aegyptios quidem eo usque descendit superstitionis vesania, ut talpas et vespertiliones pro diis coluissent. Neque id ab ullo unquam populo factum esse constat. Quare alii *talpis* et *vespertilionibus* innui existimant idola caeca et luscosa, uti haec κωφὰ πρόσωπα describuntur Ps. CXV, 5 — 7. Vid. Christoph. Wolle *Commentat. philol. de Parenthesi S.* Lips. 1726. Sect. II. Can. VI. p. 123., qui et accentibus praecipi ostendit, ut nomina לַחְפֹּר פֵּרוֹת וְלָעֲטַלֵּפִים cum proxime antecedenti לְהִשְׁתַּחֲוֹת jungantur. Ita Hieronymus: „Istiusmodi animantibus idola comparata sunt, quae caeca et tenebrosa coluntur a caecis.“ Sed concinnior prodit sententia, si, quod monuit Kimchi, nomina illa nectun-

nectuntur verbo יַשְׁלִיךְ, initio Versus, hoc sensu: *projicienda esse idola*, olim magno studio culta, ut res vilissimae, *talpis et vespertilionibus*, i. e. in cavernas terrae, aut alia loca tenebricosa et a nemine culta, ac si talparum et vespertilionum usui consecrarentur. חֲפֹר פֵּרוֹת haud pauci habent pro voce una, sed divisim scripta, pro חֲפַרְפֵּרוֹת ut 2 Paral. XXXIV, 6. in plerisque libris scribitur בְּחַר בָּתֵּיהֶם pro בְּחַרְבֹתֵיהֶם, *malleis eorum*; Jerem. XLVI, 20. יְפֵה פִיָּה pro יְפֵהפִיָּה, *formosissima*; Thren. IV, 3. כִּי עֵנִים pro כַּיְעֵנִים, *ut struthiones*. Ea tamen huc non pertinere monet Gesenius, quum vel scribarum errori debeantur (cf. not. nostr. ad Thren. IV, 5.), vel alias explicationes admittant. Unam vocem, quemadmodum etiamnum in codicibus nonnullis exstat, legerunt veteres interpretes; eam vero esse חֲפַרְפֵּרוֹת enunciandam, ad formam קְטַלְטָל, censet Gesenius; cf. *Lehrgeb.* p. 497. Ceterum *talpas* illam vocem notare, a *fossione* dictas (est enim geminatum a חָפַר, *fodit*, q. d. continenter fodiens, ut חֲפַכְפַּךְ *tortuosissimus*, a חָפַךְ, vid. exempla plura alia in Storrii *Observatt.* p. 190. not.), quod in terrae fossione continua sunt, vulgo recepta sententia, ab Hieronymi jam ducta temporibus („Theodotio," inquit, „ipsum verbum hebraicum posuit, *Pharpharoth*; est autem animal absque oculis, quod semper terram fodit, et humum egerit, et radices subter comedens, frugibus noxium est, quod Graeci ἀσπάλακα vocant"), et comprobata a Bocharto, *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. XXXV. T. II. p. 448. seqq. edit. Lips. Nec aliud animal videtur Saadias intellexisse, qui vertit لِآكِلِي الثِّمَارِ, *comedentibus fruges* (פֵּרוֹת ad פְּרִי, *fructus*, retulit). J. C. Kall in Not. ad Proverbiorum Arabicorum Syllogen, quam *Arabum philosophia popularis* inscripsit ediditque Hafniae, 1764. in oct. p. 22. sequ., פֵּרוֹת referens ad פְּאֵר, Arab. فَأْر, *mus*, cujus femininum פְּאֵרָה (nulla tamen admodum ratione habita sexus physici, quum satis constet, animalium plurima nomina

mina in aliis etiam linguis ἐπίκοινα esse sub utravis forma), contracte פֵּרָה, ut 1 Sam. I, 17. pro שְׁאֵלָה dicitur שֵׁלָה, concedi quidem posse ait Bocharto et communi doctorum sententiae, per חֲפֹר פֵּרוֹת *talpas* indicari, quas in murium generibus veteres censuere. „Et videri queant," inquit, „illae indigitatae per τὸ חֲפֹר voci פֵּרוֹת praemissum, quod verbum notat *fodere.* Sic לַחְפֹּר פֵּרוֹת pleno sensu sonaret *ad mures fodientes,* i. e. talpas; nam qui vulgato sensu dicuntur mures, *rodunt* magis, quam *fodiunt.* Malim tamen vertere: *in effossionem,* i. e. foramen *murium.* Ut enim שְׁאוֹל, quum pro *sepulchro* ac *inferorum sedibus* ponitur, manifesto localem significationem habet, sic ea item in τῷ חֲפֹר potest obtinere. Certe utriusque vocis forma eadem est. Parum autem refert, *fodiendo,* an *rodendo* facta foramina intelligas; nec enim adeo multum distant illorum verborum notiones." *Mures majores* (*Ratten*) nomine חֲפַרְפֵּרוֹת intelligit Gesenius. Aliae veterum recentiorumque de nomine isto hebraico conjecturae leguntur apud Bochartum l. c. et in Nota nostra (7) p. 450., atque in J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 876. et 2042. (s. v. פֵּרָה). Michaëli ipsi חֲפַרְפֵּרוֹת sunt *sepulchra,* coll. Syr. ܡܥܪ̈ܬܐ, et Arab. مَغَارَة; in iis enim, quae in Palaestina haud raro sunt cryptae seu cellae in petra effossae, nidulari vespertiliones (עֲטַלֵּפִים) solent. Duos vero verba conjungendi modos proponit Michaelis: unum, quo חֲפַרְפֵּרוֹת conjungas cum לְהִשְׁתַּחֲוֹת, *ad adorandum sepulchra et vespertiliones;* scilicet infamia superstitionibus Phoenicum, necromantarum, aliorumque, sepulchra in sacris litteris, excubiae quoque in illis superstitiose actae; jam quum in sepulchris, qualia in Palaestina erant, nidularentur vespertiliones, has superstitiones abominaturus aut risurus, invidiose eas interpretari poterat, ac si vespertiliones, turpissima numina, ac sepulchra ipsa colerentur: alterum, quo חֲפַרְפֵּרוֹת verbo יַשְׁלִיךְ jungas, *idola aurea sua projiciet sepulchris et vespertilionibus,* i. e. fugiens, in sepulchrum juxta viam, vesper-

vespertilionum domicilium, idola, et vero ex pretiosiore metallo, abjiciet, ne ipsi oneri sint. Nos concinniorem arbitramur vulgo receptam sententiam, qua לַעֲטַלֵּפִים, *vespertilionibus* jungitur simile animantium genus, itidem in locis foedis et tenebricosis latens. עֲטַלֵּף *vespertilionum* esse, pluribus ostendit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. II. C. XXXII. T. III. p. 115. seqq. edit. Lips. Hieronymus: „*Vespertilio* autem nocturna avis, quae congruum a Graecis nomen accepit *νυκτερὶς*, eo quod in nocte volitet, parvum animal est et murium simile, non tam voce et cantu resonans, quam stridore; quod quum videatur volitare lucifugum est, et solem videre non patitur.“

21. לָבוֹא *Veniendo s. intrando*; vel, ut vult Kimchi, fugient, *ut intrent*, בְּנִקְרוֹת הַצֻּרִים *in scissuras petrarum*, ut Vulgatus, cf. Exod. XXXIII, 22. וּבִסְעִפֵי הַסְּלָעִים *Et in fissuras petrarum*, ut infra LVII, 5. Jud. XV, 8. 11. Convenit Arabicum شَعْب (permutatis literis labialibus ב et ף), *via inter montes*, *φάραγξ*, ut in illo poetae in *Excerptis Hamasae* p. 416. بِالشِّعْبِ ٱلَّذِي دُونَ سَلْعٍ, *in fissura, quae est sub petra.* וּמֵהֲדַר גְּאוֹנוֹ *Et a gloria majestatis ejus*, a terrore, quem veneranda ejus majestas et pompa incutiet. LXX: Ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, quod Paulus mutuatus est 2 Thessal. I, 9.

22. Dixerat vates Vs. 17., *deprimendam esse altitudinem hominum* vi et ferocia elatorum, ac tumidorum spirituum; jam igitur subjicit adhortationem, qua suos avocat a fiducia ponenda in hominibus, quantumvis dignitate excellentibus, et alta ac sublimia spirantibus. Illorum enim vim atque potentiam nullam plane fore numine ad vindictam adventante. Voces hominum tum temporis se mutuo adhortantium exprimi putat Kimchi. Ahasi, regis, consiliarios nimium sibi fidentes et arrogantes, atque securitatem,

tem, cui se committebat populus, finito cum Rezino et Pekacho, Syriae et Israelis regibus, bello, perstringi his quae inde a Vs. 22. usque ad III, 11. leguntur, existimat Eichhorn in den *Hebräischen Propheten* P. I. p. 164. חִדְלוּ לָכֶם מִן הָאָדָם *Desistite vobis ab homine*, i. e. חִדְלוּ לָכֶם מִבְּטוֹחַ בְּאָדָם, *abstinete a fidendo in homine.* Verbum חָדַל, ubi conjungitur cum מִן, significat, *desistere ab ea re*, de qua est sermo, *missum aliquem facere, abstinere ab aliquo, nihil rei cum eo habere*, Exod. XIV, 12. XXIII, 5. 2 Paral. XXXV, 21. Job. VII, 16. E contextu apparet, *hominem missum facere*, h. l. nihil aliud posse significare, quam, in eo fiduciam amplius non ponere. אֲשֶׁר נְשָׁמָה בְּאַפּוֹ *In cujus naribus est anima*, i. e. cujus vita pendet a spiritu, quem per nares efflat, qui si intercludatur, confestim exstinguitur. נְשָׁמָה *Spiritus vitalis, anima*, quam Jova Deus homini a se recens formato indidisse dicitur Genes. II, 7. וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים. Cf. Genes. VII, 22. Locus nostri geminus Ps. CXLVI, 3. 4. *Ne confidatis principibus*, בְּבֶן־אָדָם, *filio hominis*, homini imbecilli, *qui salvare nequit; exit spiritus ejus, revertitur ad terram suam; illo die pereunt splendidae ejus cogitationes.* כִּי בַמֶּה נֶחְשָׁב הוּא *Nam pro quonam ille reputabitur?* i. e. quantum est faciendus? quantum aestimatur? nil valebit, cum tot et tanti terrores undique circumstabunt. Sensum hujus Versus recte expressit Chaldaeus: *ne subjiciatis vos homini, cum factus fuerit terribilis, cujus spiraculum spiritus vitae in naribus ejus est: quia hodie est vivus, et cras non est et quasi nihilum reputatus est ipse.* Hieronymus, postquam observasset, hunc Versum praetermissum a LXX (offensionis, ut Vitringa conjicit, vitandae causa, quum videretur suadere defectionem a principibus, eorumque contemtum), in Graecis exemplaribus ab Origine sub asteriscis de editione Aquilae additum esse, in hunc modum pergit: „Ubi nos diximus: *quia excelsus reputatus est ipse* [ita verba quatuor postrema vertit], Aquila interpretatus est: *in quo reputatus est iste?* [ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη;]. Verbum hebraicum *Bama* [בָּמָה] vel

vel ὕψωμα dicitur, id est, *excelsum*, quod et in Regnorum libris et in Ezechiele legimus; vel certe *in quo*, et eisdem literis scribitur, ac pro locorum qualitate, si voluerimus legere *in quo*, dicimus *Bame*, sin autem *excelsum* vel *excelsus* legimus *Bama*. Intelligentes ergo Judaei, prophetiam esse de Christo, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati sunt, ut viderentur non laudare Christum, sed nihili pendere. Quae est enim verborum consequentia, et qui ordo rationis et sensus, ut dicamus: cum haec ita se habeant, et dies ventura sit Domini, in qua universus Judaeae status subvertendus est, et omnia convertenda, moneo vos atque praecipio, ut quiescatis ab homine, qui ita spirat ac vivit, ut nos homines, quia is nihili computandus est? Quisquam ne hominum ita quempiam laudet, ut dicat: cavete ut offendatis eum qui omnino nihil est? Ergo contrario sic intelligendum, cum haec universa ventura sint vobis, et prophetali spiritu praedicantur; moneo atque praecipio, ut quiescatis ab eo, qui secundum carnem quidem homo est, et habet animam, et ita spirat, et naribus halitum trahit, ut nos homines spiramus ac vivimus, sed secundum divinam majestatem, excelsus est, et reputatus, et creditus." Quam Hieronymi interpretationem, qua hoc versiculo admoneantur Judaei, ut abstineant a lacessendo irritandoque Messia, plures probarunt inter Christianos interpretes, defenditque singulari Dissertatione *de homine, in cujus naso est spiritus ad illustrandum difficillimum locum Jesaj. II, 22.* CHRIST. LUD. OBBAR (Praef. *Jo. Fidalck*) Lips. 1728. Fundamentum suae expositionis illi jaciunt in voce חדל, quam ajunt valere *sibi a re aliqua aut persona cavere*, ut in oratione Pharaonis Necho ad Josiam 2 Chron. XXXV, 21. חֲדַל־לְךָ מֵאֱלֹהִים, *abstine tibi a Deo* (Vulg. *desine adversum Deum facere*), *qui mecum est, ne te perdat*. Verum recte observat Vitringa, חדל cum מ constructum ἁπλῶς et in genere notare *re aliqua aut persona abstinere*, quod fieri potest, dum quis eam non lacessit aut irritat, vel eam non

curat; ab ejus cultu abstinet. Sic sumitur in verbis Saulis ad famulam 1 Sam. IX, 5. *Age, revertamur,* פֶּן־יֶחְדַּל אָבִי מִן־הָאֲתֹנוֹת, *ne desistat pater meus ab asinabus, et sollicitudine erga nos afficiatur;* ubi *desistere ab asinabus* non est, sibi ab asinabus cavere, eas non lacessere, sed, cura et sollicitudine non affici circa asinas, eas non curare, magni eas amplius non facere. Nec aliter verbum illud nostro loco esse capiendum, universus orationis antecedentis et subsequentis tenor ac series docet. Vid. supra initio hujus notae et quae proxime ad initium Cap. III. monenda. Interpretationem, qua hic Versus dehortatur a ponenda fiducia in vi humana, consilio, prudentia, dignitate, vindicarunt pluribus Sixt. Amama *Antibarb. bibl.* p. 623. (edit. Franequer. 1656. in quat.), et P. S. Pape in peculiari in nostrum locum commentatione, quae legitur in *Miscellann. Lipss.* P. VII. p. 333.

CAP. III.

ARGUMENTUM.

Capitis hujus initium arctiſſime cohaeret cum fine praecedentis. Qui tum, vates inquit, cum Jova poenas illas ſeveras exercebit, ſub mortalis alicujus tutamine ſecurum ſe ſperabit, is in re ſane fragali fiduciam ponet; nam in univerſa illa reipublicae ruina ſapientes, proceres, principes, quibus homines fidere ſolent, de dignitate ſua deturbabuntur, populusque hoc ſuo vanae fiduciae fulcro privabitur. Hanc ſententiam Vs. 1 — 8. poetice enunciat.

---

1. הָאָדוֹן יְהוָֹה צְבָאוֹת *Dominus Jova, Deus agminum* coeleſtium (1, 9.), qua augufta appellatione vates eo conſilio videtur uſus eſſe, ut eo magis ſentiatur humanarum virium (de quibus II, 22.) fragilitas. מֵסִיר *Auferens* erit, auferet, i. q. יָסִיר infra Vs. 18., ut Exod. XI, 5. הַיּוֹשֵׁב eſt is *qui ſedebit;* Prov. XXX, 27. חֹצֵץ *praedaturus*, Jon. I, 3. בָּאָה *ventura.* Quem Participiorum uſum ad varia tempora ſignificanda explicatum vid. in N. G. Schroederi *Inſtitutt. L. H.* Reg. LV. a. מִירוּשָׁלַםִ וּמִיהוּדָה *Ab Hieroſolymis*, capite, *et* univerſa *Judaea.* מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה *Scipionem* marem *et ſcipionem feminam*, i. e. omne fulcrum atque praeſidium; nam voces ejusdem poteſtatis, ſed generis diverſi, conjunctae, univerſitatem ejus rei, de qua ſuſceptus ſermo, ſignificant. Exempla vid. Cohel. II, 8. (שָׁרִים וְשָׁרוֹת, *cantores et cantatrices*, i. e. omne muſicorum genus), Nah. II, 13. Cf. Glassii *Phil. S.* L. I. Tract. I. Can. XX. p. 52. ſeq.

seq. edit. Dath. STORRII *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.*, p. 189. SCHROEDERI *Instit. Ling. Hebr. Syntax.* Reg. 97. Idem loquendi mos Arabibus est usitatus. Apud HARIRIUM *Confess. I.* p. 37. edit. Schultens. legitur: أُرِيغُ الْقَنِيصَ بِهِ وَالْقَنِيصَةَ, ad verbum, *quo caperem feram marem et femellam*, i. e. omnis generis praedam. Alia exempla ex scriptoribus Arabicis collegit SCHEIDIUS *ad Cant. Hisk.* p. 135. et in Ind. verbb. OO. sub תם. J. H. MAJUS *Observatt. SS.* L. I. p. 48. seqq. formula מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה *utriusque sexus posteritatem* designari existimat, initio miseriae facto a morte successorum. Ut Tob. V, 17. Anna, Tobiae mater, ita ad maritum de filio: τί ἐξαπέστειλας τὸ παιδίον ἡμῶν; ἢ οὐχὶ ἡ ῥάβδος τῆς χειρὸς ἡμῶν ἐστιν; Et apud Sophoclem *Oedip. Colon.* Vs. 885. Creon infelicem Oedipum, filias indicans, ita alloquitur: Οὔκουν ποτ᾽ ἐκ τούτοιν γε μὴ σκήπτρον ἔτι ὁδοιπορήσῃς. *Non amplius his scipionibus posthac nixus ambulabis.* Alia tamen nostri loci est ratio, quem eo, quo diximus, modo capere praestat. Enumerantur jam singulae res; primum, omne alimenti genus. Id indicatur verbis, כֹּל מִשְׁעַן־לֶחֶם וְכֹל מִשְׁעַן־מָיִם *omne fulcrum panis et omne fulcrum aquae*, quod haec vitam nostram sustineant. Inde Hebraei pro: *comedere* dicunt, *cor fulcire*, Genes. XVIII, 5. סַעֲדוּ לִבְּכֶם, Jud. XIX, 5. סְעַד לִבְּךָ פַּת לֶחֶם. Sic apud Mosem, Levit. XXVI, 26. מַטֵּה־לֶחֶם, et apud Ezech. IV, 16. V, 16. Similiter HORATIUS *Sat.* II, 3. 153.

Deficient inopem venae te, ne cibus atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.

2. Transit vates ad praesidia humana, quae et CICERO *Epist.* I, 8. *reipublicae firmamenta* dicit. Cf. similem locum Mich. V, 9. et supra II, 7. גִּבּוֹר *Heroes, fortes viri*, qui manu et opere rempublicam defendunt. אִישׁ מִלְחָמָה *Milites*, militia exercitati et clari. שׁוֹפֵט *Judices*, et magistratus,

ſtratus, qui rempublicam munere et officio ſuo ſuſtinent. נָבִיא *Prophetas*, et *falſos*, ut infra IX, 14. XXVIII, 7., et veros, qui populum inſtituebant, eumque in anguſtiis conſolabantur. קֹסֵם *Divinatorem*, *hariolum*, qui ab hominibus ſuperſtitioſis conſulitur; inter poenas nonnunquam numeratur, quod populus vitioſis quoque ſubſidiis ſit privandus, vid. Hoſ. III, 4. Poteſt tamen קסם et in bonam partem accipi, ut קֶסֶם Prov. XVI, 10., pro homine prudentiſſimi conſilii et ſagacis animi, στοχαστῇ, ut habent LXX, qui *de inſtantibus veriſſime judicat*, *et de futuris calliđiſſime conjicit*, quae Themiſtoclis laus eſt apud Thucydidem, et ex eo apud Nepotem, *Themiſt.* Cap. 1. Chaldaeus pro נָבִיא וְקֹסֵם poſuit סָפַר וּמִשְׁאָל *ſcribam et rogatum*, i. e. quem homines conſulere ſolent in rebus dubiis. וְזָקֵן *Et ſenem*, praeſtantem uſu rerum et prudentia.

3. שַׂר חֲמִשִּׁים „*Principem ſuper quinquaginta*, συνεκδοχικῶς a parte totum; quomodo enim *centuriones* vocantur, qui centum praeſunt militibus, et *chiliarchi*, qui mille, quos nos *tribunos* appellamus, ab eo quod praeſunt tribui; ſic in Iſraelitico exercitu *quinquagenarii* vocabantur, qui in capite erant quinquaginta militum. Unde et *decanos* dicimus, qui decem praeſunt hominibus." Hieronymus. Sed שַׂר־חֲמִשִּׁים h. l. nomen eſſe *muneris civilis* Michaeli *Supplemm.* p. 837. et in *Biblioth. Oriental.* P. XXI. p. 44., ideo eſt veriſimile, quod munerum civilium nomina antecedunt et ſequuntur; nec inter milites ſolum ſed inter cives quoque haec in *cohortes quinquagenarios* diviſio inſtituta ſit a Moſe, Exod. XVIII, 25. Verum ea diviſio ad tempus tantum peregrinationis per deſertum erat inſtituta, poſtea vero, cum Iſraelitae in urbibus et pagis habitarunt, abrogata, ut ex Deut. XVI, 18. colligere licet, et ut Michaelis ipſe vidit, *Moſaiſches Recht* P. I. §. 49. Praeterea ceteris locis omnibus, veluti 1 Reg. VI, 31. 2 Reg. I, 9—14. Joſ. I, 14. IV, 12. Judic. VII, 10. שַׂר חֲמִשִּׁים *praefecti militaris* eſt nomen. Cf. πεντηκόνταρχος 1 Macc. XI, 70., *ſemi-*

semicenturio. Significat vates, vix superfuturum aliquem, qui ad munus infimum et minimum suscipiendum idoneus sit. Koppius quidem חֲמִשִּׁים *milites, bellatores* reddere mavult, conferens Arab. خمس, *strenuus fuit*, et خميس, *acies*. Sed nusquam in V. T. חֲמִשִּׁים hac significatione occurrit, et Exod. XVIII, 25. et 2 Reg. I, 9 — 14. manifestum est, certum aliquem numerum voce illa indicari. נְשׂוּא פָנִים *Elatus facie*, est vir honoratus, gravis, 2 Reg. V, 1. infra IX, 14., qui valet auctoritate et gratia apud populum. יוֹעֵץ *Consiliarius*, i. e. vir prudens, prudentis consilii, qui in dubiis casibus consuli et meliora suadere potest; מי שיש לו דעת ברוכי העולם, *qui versatus est in negotiis et consuetudinibus seculi*, ut Hebraei interpretantur. „Pro duobus, id est, *honorabili vultu et consiliario*, LXX unum virum, *admirabilem consiliarium* [θαυμαστὸν σύμβουλον] transtulerunt. Inter ceteras gratias etiam hoc Dominus auferet a Judaeae, ut nullum habeant consiliarium, sed faciant cuncta absque consilio." Hieronymus. וַחֲכַם חֲרָשִׁים *Et prudens fabrorum*, sive, ut LXX recte, σοφὸς ἀρχιτέκτων, in artibus mechanicis exercitatus, easque callide tractans. Aquila, Hieronymo teste, transtulit *sapientissimum artificum*, „ut ostenderet, eos plures quondam habuisse artifices." Kimchi intelligit *scientiarum studiosum*, repetens significationem vocis חָרַשׁ, *machinari*, sive, ut ille vult, *cogitare* (cogitatio autem scientiarum principium et fundamentum est) ex dicto Paroemiastae Prov. III, 29. אַל־תַּחֲרֹשׁ *ne cogites*, machineris, *adversus socium tuum malum*. Sed longius est quaesitum, nostrum facilius. Quum חֲרָשִׁים apud Chaldaeos *praestigias* significet, Ludov. de Dieu חֲכַם חֲרָשִׁים vertendum censet *peritum praestigiarum*, uti Chaldaeus quoque reddidit. Praefert hoc Gesenius, quod nulla ratio appareat, cur et artifices e medio tollendi essent. Sed quum vates in eo sit, ut civitatem privatum iri praenunciet omnibus iis, qui sua prudentia, solertia, industria illi praesidio sint; inter eos satis apte et artifices com-

commemorare potuit נְבוֹן לָחַשׁ *Peritum incantationis* (vid. Jerem. VIII, 17. Cohel. X, 11.), ut נְבוֹן דָּבָר *rerum peritus*, 1 Sam. XVI, 18., i. e. eloquentiae peritum, ut recte Kimchi explicat. Nam לָחַשׁ proprie est *mussitare*, hinc *incantare* oratione, quia incantatores *mussitando* loquebantur, unde omnis oratio delenifica, quae ἡδείᾳ φωνῇ καὶ γλώσσῃ εὐτρόχῳ καὶ ταχείᾳ, *suavi voce, linguaque rotunda et volubili* profertur, ut de Pericle Plutarchus, et auditores *incantat* quasi, nomine לָחַשׁ indicatur. LXX, qui συνετὸν ἀκροατὴν, *prudentem auditorem*, verterunt, videntur לָחַשׁ haud multo aliter, sed in partem deteriorem cepisse, pro oratione delenifica seductrice, quae animum hominis incantat: unde נְבוֹן לָחַשׁ, *prudens orationis incantatricis* est ejusmodi orationis auditor, qui sibi non facile blando seductorum sermone illudi patitur. Chaldaeus: וּדְסוּכְלְתָן בְּעֵצָה *et prudentem in consilio*, quod ipsum Syri ܘܡܣܬܟܠܢܐ ܒܡܠܟܐ exprimit. Similiter Saadias: وَالْفَهِمْ اللَّطِيفْ, *et rerum subtilium gnarum.* Aquila: τὸν συνετὸν ψιθυρισμῷ, *prudentem susurratorem*, Symmachus: ὁμιλίᾳ μυστικῇ, *eloquio arcano*, Theodotion: ἐπῳδῇ, *incantamento.* Qui omnes propriam vocis Hebraei significationem expresserunt; nam לָחַשׁ, ut docet Arabicum لحس, est *lingere, lambere*, hinc, *sibilare, sonum vix audibilem edere*, unde verbum illud apud Aramaeos de *sermone, colloquio, clandestino* dicitur; vid. Michaelis ad Castelli *Lexic. Syr.* p. 460. Hieronymus: *prudentem eloquii mystici*, „videtur," inquit in Commentario, „mihi vir esse eruditus et exercitatus in lege et prophetis." Expressisse illum non dubito magistri sui Hebraei interpretationem eam, quam Jarchi nobis servavit, qui נְבוֹן לָחַשׁ sic explicat: *qui idoneus est, ut ei tradantur secreta legis, quae data sunt oretenus*, i. per traditionem.

4. Idoneo et necessario praesidio nudata respublica virorum prudentium et fortium committetur rectoribus imperitis,

peritis, imbellibus, rudibus. נָתַתִּי *Dabo*, scil. ego Jova, qui subito loquens inducitur. Hieronymus: „Si ex persona Prophetae dicitur: *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem et ab Judaea validum et validam*, et reliqua; quomodo nunc idem Propheta loquitur: *dabo pueros principes eorum?* Ergo juxta consuetudinem prophetalem loquente Propheta subito Deus loquitur per Prophetam ex persona sua, et dicit: *dabo pueros principes eorum;* sublatis enim his, quae ante donaveram, et quasi bona iratus abstuleram, nunc contrario dabo mala." נְעָרִים *Pueros*, non tam aetate, quam ingenio et moribus, reges nullius consilii, rerum imperitos; cf. Cohel. X, 16. תַעֲלוּלִים Alexandrini et, Hieronymo teste, Theodotion vertunt *ἐμπαίκτας*, *illusores*, eodemque modo Syrus: ܡܒܙܚܢܐ, *derisores, illusores.* Haud male quidem. Nam abstractum, תַעֲלוּלִים, *ludificationes* (infra LXVI, 4.), positum est pro concreto, מְעוֹלֵל (Vs. 12.), qui pueriliter in omnibus negotiis agunt; respondet τοῖς נְעָרִים in membro priori. Cujusmodi metonymiae exempla plura invenies apud Glassium *Phil. S.* Lib. II. Tract. I. Cap. IV. p. 870. 871.; cf. Storrii *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 15. Chaldaeus: חַלָשַׁיָא, *debiles*, scil. mente et judicio, imbecilles. Saadias: الصبيان, *pueros.* Jarchi intelligit tales, qui aliis sunt derisui et ludibrio, coll. verbo הִתְעַלַּלְתִּי *illuserim*, Exod. X, 2. Kimchi nostrum תַעֲלוּלִים significatu convenire ait cum עוֹלָלִים, quod Thren. IV, 14. nomini יוֹנֵק, *lactens*, respondet. Hieronymus vertit: *effeminatos*. Intelligit *pathicos, molles*, Aquilam sequutus, qui ἐναλλάκτας vertit, id est, ut Hieronymus explicat, *qui se mutent, et turpitudinis exerceant vices, quales in Judicum libro super concubina Levitae in Gabaa legimus.* Sunt, qui verba nostra, וְתַעֲלוּלִים יִמְשְׁלוּ בָם, subaudito praefixo בּ, vertant: *et ludificationibus*, s. *per ludibria, iis dominabuntur.* Nominis abstracti significationem retinendam

nendum arbitratur quoque SCHULTENSIUS in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. VI. §. 39. p. 100. 101., ita tamen, ut hac voce non modo *puerorum ludibria*, sed *acerbas* quoque *exactiones vexationesque* ac *concussiones importunias dominantium* comprehendi opinetur, quod Arabum علل utramque significationem habet. Verum ob נַעַר, quod nostro תַּעֲלוּלִים respondet, non licet, ipsi significationem tam late patentem tribuere.

5. Egregia τῆς ἀναρχίας descriptio. וְנִגַּשׂ הָעָם *Populus urgebitur*, concussionibus exactionibusque vexabitur, quo sensu ejusdem verbi haec ipsa, quae hic legitur, forma 1 Sam. XIII, 6. XIV, 24. infra LIII, 7. usurpatur. KIMCHI: „Unusquisque erit exactor et oppressor socii sui." Sese invicem vexabunt et oppriment. LXX: Καὶ συμπεσεῖται ὁ λαός. Vulgatus: *et irruet populus.* Chaldaeus: וְיִתְחַבְרוּן *concitabunt sese.* In libris nonnullis legitur וְנִגַּשׁ (cum *Schin*), *accedet* (vid. DE-ROSSII *Scholl. critt.* ad h. l.), quod commodam interpretationem vix admittat. Id forsan legit Saadias, qui vertit: وَيَتَشَبَّكُ ٱلْقَوْمُ, *arcte inter se cohaerebit populus*, quod vel de pugnantibus manusve conserentibus, vel de conspirantibus intelligi potest. אִישׁ בְּאִישׁ וְאִישׁ בְּרֵעֵהוּ *Alter alterum* (cf. 1 Reg. XX, 20. Genes. XI, 3.), scil. יִגַּשׂ, *vexabit*, quod verbum construitur cum ב personae, vid. Exod. V, 6. infra IX, 3. יִרְהֲבוּ הַנַּעַר בַּזָּקֵן *Violenter agent*, insolescent *pueri contra senes.* KOCHERUS: „*Inferent se ferociter, formidolosos;* nam רָהַב *terreri* et *terrere* [cf. Prov. VI, 3. Cantic. VI, 5.], unde apud Arabes مُرَاهِبٌ, hebraice diceres רוֹהֵב, *terrorem incutiens*, inter epitheta leonis." JARCHI: יתגדל הנער על הזקן, *efferet se puer contra senem.* Vulgatus: *tumultuabitur puer contra senem.* Saadias: يَتَسَنَّنُونَ ٱلصَّبِيِّ بِٱلشَّيْخِ, *ad seditionem et discordiam sese mutuo adigent juvenis in senem.*

וְהַנִּקְלֶה *Et vilis, contemtus, ignobilis*, 1 Sam. XVIII, 23. Proverb. XII, 9. בַּנִּכְבָּד *Adversus nobilem*, XXIII, 8. 9. 1 *Sam*. IX, 6. Hieronymus: „*Quando juvenes fuerint principes, et illusores Domini quales propheticus sermo describit* [*Vs.* 4.], *tunc nec dignitatis, nec aetatis*, nec scientiae ullus ordo servabitur; sed rebellabunt pueri senibus, et ignobiles nobilibus, et mutuo corruent."

6. Continuatur descriptio confusi et perturbati reipublicae status sub figura scite ornateque ficta, ac si eventurum esset, ut in tanta spectabilium et rei gerendae aptorum hominum penuria, si quos obvios haberet sibi populus, qui aliqua dignitatis specie se prae ceteris ostenderent, hos prehenderent, *interpellarent*, et regiminis curam iis niterentur obtrudere; *illi vero, ratione habita calamitatis temporum*, suaeque imperitiae, hoc onus sint detrectaturi. כִּי־יִתְפֹּשׂ *Tum, si adprehenderit*, Genes. XXXIX, 12. Jerem. XXXVIII, 13. אִישׁ *quis* בְּאָחִיו, *fratrem, socium, suum*; Genes. XIII, 11. בֵּית אָבִיו plerique cum veteribus vertunt *domus patris sui*, s. e domo, e familia paterna, ut בֵּית positum sit pro מִבֵּית, ut infra XVI, 2. קֵן *e nido*, LII, 2. מוֹסְרֵי *ex vinculis*, Jerem. X, 20. יְצָאֻנִי *egressi sunt ex me*. Plura alia exempla vid. apud Noldium *Concord. Particc*. p. 470. 471. edit. Tympii. Melius tamen placet Kocheri interpretatio: *paternis illius in aedibus* (בֵּית pro בְּבֵית, quo nil frequentius), ut talis vir significetur, qui antiqua et opulenta ortus *familia*, vitaque integra, quam factionibus notior, *suae se domi* contineat, procul turbis civilibus. Post אָבִיו subaudiendum est לֵאמֹר, ut infra XIV, 8. XXII, 16. XXXIII, 14. Jerem. LI, 19. Ps. XI, 3. Additum invenitur in duobus codd. Kennicott. haud dubie a manu librarii alicujus nimis seduli. Sic in Corano Sur. XXXII, 12. post رَبَّنَا, *dominus noster*, subaudiendum est قَائِلًا, *dicendo, vel dicentes*. Cf. Waltherum *de ellips. Hebr*. p. 108. 109. ed. Schulz. Quamobrem locum minime habere

haberi potest Koppii interpretatio, relinquentis praeterea necessitate non urgente Masorethicam distinctionem: *protrahet quisque alterum veste ex patris sui domo.* שִׂמְלָה לְכָה *Vestis tibi* adhuc *est*, proprie *pallium*, vid. not. ad Exod. XII, 34. XXII, 25. לְכָה pro לְךָ, cum ה paragogico, ut Genes. XXVII, 37. Exod. XIII, 16. Proverb. XXIV, 10. Cf. Schroederi *Instit. L. H.* Reg. 165. 2. p. 201. et Storr. *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 117. קָצִין תִּהְיֶה לָּנוּ *Dux* (Vs. 7. I, 10. Dan. XI, 18.) *nobis sis.* Usque adeo exhaustae erunt hominum fortunae, ut dignus, aut idoneus existimetur regno, cui paulo honestius vestimentum habere contigerit. Hieronymus: „Significat raritatem hominum, et maxime rerum omnium penuriam, quod qui cibum et vestimentum habuerit, potens, et dives, et inclytus esse credatur." Vitringa, distinctione Masorethica relicta, vertit: *prehendet quisque proximum suum, in cujus domo paterna est vestis*, spectabilior, magistratu dignior, dicendo: לְכָה, *age, ducem praesta te* nobis, ut בֵּית אָבִיו שִׂמְלָה positum esset pro אֲשֶׁר בְּבֵית אָבִיו שִׂמְלָה. Durius cule. וְהַמַּכְשֵׁלָה הַזֹּאת תַּחַת יָדֶךָ *Et*, igitur, *ruina haec* (Zeph. I, 3.) reipublicae, confracta haec respublica, esto *sub manu*, potestate, cura, *tua*, ut ei medelam afferas. Tibi committimus ruinosam provinciam ac plane desperatam, cui praesis, quam instaures atque constituas. Pro יָדֶךָ, in numero singulari, codd. Kennicott. viginti et unus, de-Ross. quatuordecim, tres libri impressi, et Talmud. Babylonicum legunt יָדֶיךָ in numero duali. Sed recte Kocherus: „Probabilius habeo, יָדֶךָ hic singulari numero, non dualiter יָדֶיךָ legendum esse; quorum hoc quidem illa phrasi reperitur Genes. XVI, 9. [תַּחַת יָדֶיהָ]; sed alterum usu viget. Ceterum Talmud Masorae praeferre, consilium non est, quippe major illic in citando licentia, et minor in describendo observatur accuratio." Quum apud Alexandrinos מַכְשֵׁלָה redditum legamus *βρῶμα*, Ludov. Cappellus opinatus est, in codice ipsorum scriptum fuisse מַאֲכָלָה. Verum non improbabilis est Clerici conjectura, in versionis Alexandrinae codi-

codicibus librarii alicujus oscitantia scriptum esse τὸ βρῶμα τὸ ἐμὸν pro τὸ πτῶμα τὸ ἐκεῖνο. Utuntur enim Alexandrini nomine πτῶμα pro Hebraeo מִכְשׁוֹל infra VIII, 14. Illud mendum tamen jam Hieronymi aetate codices Graecos invasisse ex his ejus verbis apparet: „Pro *ruina* Symmachus et Theodotion *infirmitatem* transtulerunt, LXX: *cibum*. Quod autem ait juxta Hebraicum: *ruina haec sub manu tua*, hunc sensum habet: miseria nostra et calamitas tuo sustentetur et protegatur auxilio. Et hoc considerandum, quod singuli sibi eligant principes singulos, et in principum electione seditio fit: dum alii alios principatu dignos putant. Nec dicunt ad eos, possessiones tuae, et divitiae tuae et reditus sustentare nos poterunt, sed infirmitas ista, sive cibus meus, ex tuo saturabitur et pendet arbitrio." Chaldaeus: וּמַגְבִּיתָא הָדָא תְּהֵי תְּחוֹת יְדָךְ, *et exactio haec sit sub manu tua*, i. e. exactio tributorum, a principe plebi impositorum, ut Kimchi recte explicat. Saadias: فتكون هذه الامة الفقيرة تحت يدك, *sit haec gens pauper sub manu tua.*

7. Sed tam tristis et deplorata illorum temporum erit calamitas, ut omnes officium illud, sibi oblatum, sint recusaturi. יִשָּׂא *Tollet*, scil. קוֹלוֹ, *vocem suam*, ut plene legitur Num. XIV, 1. Alii subaudiendum existimant יָדוֹ, *manum suam*, gestu jurantis, jurans, cf. Genes. XIV, 22. Exod. VI, 8. Deuter. XXXII, 40. Ita Saadias: تراه يحلف لهم *videbis eum illis jurantem.* לֹא אֶהְיֶה *Non potero esse*, futurum saepe potentialiter ponitur, ut Job. IX, 3. XIV, 4. 14. Jerem. II, 23. 32. חֹבֵשׁ, *obligans*, scil. שֶׁבֶר, *fracturam*, *vulnus*, ut suppletur infra XXX, 26. Respondet illi quod in Vs. 6. erat, קָצִין תִּהְיֶה לָּנוּ, *ducem te nobis praebeas*, unde LXX et Symmachus et hic חֹבֵשׁ ἀρχηγὸν reddiderunt. Theodotion: ἐπιδεσμεύοντα, id est, explicante Hieronymo, *qui liget vulnera, et provideat*

sani-

sanitati. Vox hebraea propria chirurgorum eſt, *vulnera obligantium*, vid. ſupra I, 6., ubi eadem verba, eademque imago. Negat ergo, ſe idoneum *eſſe*, qui iſthoc reipublicae ſtatu clavum capeſſat; vulnera reipublicae peritiorem chirurgum requirere. Arias Montanus interpretatur: *non ero ligator*, hoc eſt, lictor; q. d. vos vultis me ducem et principem; ſed hoc eſt, me lictorem conſtituere et quaſi carnificem: adeo enim ſceleribus cooperti eſtis, ut omnes comprehendendos, ligandos et puniendos eſſe cenſeam. Non expediret ergo vobis, penes me ſummam rerum eſſe. De qua interpretatione recte Sixt. Amama *Antibarb. bibl.* p. 627.: „Probarem, ſi probari poſſet, vel uno evidenti loco חָבַשׁ, habere ſignificationem *ligandi vinculis* in poenam. Schindlerus quidem notat, dici de hominibus, qui ligantur vel ad obedientiam, vel ad poenam. Sed locus Job. XXXIV, 17., quem profert, non probat. Illic enim *obligandi* notio optime quadrat.“ Eſt et ibi, ut Job. V, 18. Ezech. XXXIV, 4., שֶׁבֶר ſubaudiendum. Multo minus ſunt audiendi, qui voci hebraeae tribuunt ſignificatum Arabici حبس, *cepit manu*, ut ſynonymum ſit τῷ לָקַח, et ſententia prodeat haec: *non poſſum ſuſcipere*, ſcil. reipublicae regimen, quae Koppii erat conjectura. Ex eo, quod interpretes antiqui pro חוֹבֵשׁ poſuerunt: *praefectus, princeps*, Clericus colligit, eos verbo חָבַשׁ tribuiſſe ſignificationem *congregandi*, quam Arabum حبش habet, quod bene conveniat ei, qui praefectus ſit copiarum, quae cogere ante omnia neceſſe habeat. Quis vero non videt, illos interpretes pro voce metaphorica poſuiſſe propriam? De *circumliganda* tiara regia cogitavit Saadias, qui vertit: لا أصير مضمد تاج *non evadam circumligans diadema.*

וּבְבֵיתִי אֵין לֶחֶם וְאֵין שִׂמְלָה *Nam in domo mea neque panis, neque veſtis*, non habeo, unde inopiae veſtrae ſubveniam. Vel eſt ſenſus: non ſunt mihi tantae facultates, quales

illius

illius dignitatis splendor poscit. Kimchi: „Significat inopiam et paupertatem magnam fore in urbe; nam etiam illi, qui in plateis praebent se conspiciendos, domum habebunt omni bono vacuam." Hieronymus: „Sicut populus, qui eum, quem comparatione sui locupletiorem intelligit, principem habere desiderat; sic, qui eligitur, considerans paupertatem et imbecillitatem suam, indignum se esse delato honore testatur, nec posse mederi vitiis, id est, curare languentes, esurientibus cibum tribuere, vestire nudos, qui ipse se sustentare vix valeat."

8. Ostendit jam, unde tanta populo calamitas sit adventura: quia factis impudenter et impie, et lingua inverecunde et procaciter Dei furorem lacessunt. כִּי כָשְׁלָה יְרוּשָׁלַםִ וִיהוּדָה נָפָל *Nam ruit Hierosolyma et cadit Juda.* „Hoc propheta loquitur, non, ut plerique arbitrantur, ille, qui princeps fuerat electus. Et dicit, ideo nullum velle praeesse populo peccatori, quia et Judae et Hierusalem, et urbs et Judaea provincia, sive tribus Juda, pariter conciderint." Hieronymus. כִּי־לְשׁוֹנָם וּמַעַלְלֵיהֶם אֶל־יְהוָה *Nam lingua et facta eorum* sunt *contra Jovam, verbis et operibus* Jovam lacessunt. אֶל pro עַל, *contra,* ut Genes. IV, 8. Num. XXXII, 14. Jos. X, 6. מַעֲלָלִים de *facinoribus scelestis* usurpari solet, vid. e. c. infra Vs. 10. Mich. VII, 13. לַמְרוֹת עֵנֵי כְבוֹדוֹ *Rebellando contra oculos majestatis ejus,* i. e. contra majestatem ejus. „*Oculi gloriae* ex Hebraismo satis noto sunt *oculi gloriosi,* per synecdochen positi, pro: *deo glorioso*; i. q. Ps. LXXVIII, 17. לַמְרוֹת עֶלְיוֹן. Verbum מָרָה in Kal et Hiphil construitur cum Accusativo personae, ut Ps. LXXVIII, 17., vel per בְּ, vel cum Accusativo rei ad personam proxime pertinentis, ut cum פִּי saepe, cum אִמְרֵי, דְבָרִים, item רוּחַ, hic cum עֵינֵי eleganter, quasi facere quo laedantur doleantque alterius oculi, cui haud absimile legitur Job. XVII, 2. Nec enim insuetum, talia (ut עֵינֵי) defective (עֵנֵי) scribi, ut בֵּינֵנוּ ex בֵּין, Jos. XXII, 25. in codicibus plerisque; צָרָה et צִירָה promiscue

ex

ex צִירֵי, *antemurale*, pro חֵיל etc." Kocherus. Unde intelligitur, quid statuendum sit pretii eorum conjecturae, qui pro עֵינֵי efferendum opinantur עָנִי, *humilis*, quo vel Messiam innui volunt, ut Gust. Georg. Zeltner, qui in *Dissert. de humilitate gloriosa Jesu Christi Judaeis ferali ad Jes. III*, 8. Altorpi, 1720. verba nostra sic vertit: *rebellarunt contra* (Messiae) *humilis majestatem*, quam interpretationem commendat Graeci Alexandrini interpretis auctoritate, verba hebraea reddentis, διότι νῦν ἐταπεινώθη ἡ δόξα αὐτῶν, qua in versione notio vocabuli עָנִי per ἐταπεινώθη sit expressa; vel hominem quemcunque alium, ut J. D. Michaelis, qui in *Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 104. 105. verba nostra hoc modo vertit: *humilis, debilis, contra majestatem ejus assurgit.* Lowthus, pro עָנִי legens עָנָן, *nubes*, reddit: *rebellando contra nubem majestatis ejus*, intelligitque *nubem super arca foederis, Schechina* a Judaeis dictam, cf. not. ad Levit. XVI, 2. Quam interpretationem confirmari dicit versione Syriaca, in qua legitur ܥܢܢܐ ܕܐܝܩܪܗ, *nubes gloriae ejus.* Verum recte Michaelis l. c. monet, hanc auctoritatem non satis tutam esse, quod in libris manuscriptis Syriacis litterae *Nun* et *Jud* saepe inter se commutentur; atque adeo hoc quoque loco fortasse ܥܢܝܐ rescribendum esse. Sed satis est inutilium conjecturarum.

9. Omnem deposuere verecundiam. הַכָּרַת פְּנֵיהֶם recte explicat Kimchi: *agnitio vultus eorum*, i. e. quod dant cognoscendum in facie sua, est enim nomen a forma Hiphil verbi נָכַר, *agnovit* (vid. Deuter. XXXIII, 9.). Davidis Kimchi pater, Josephus, ה habuit pro radicali, et הַכָּרָה (nomen formae חַטָּאת, בַּקָּרָה, טַבַּעַת) asseruit notare *impudentiam* (עַזּוּת פָּנִים, vid. Proverb. VII, 13. XXI, 39.), ut Arabum هَكَرٌ. Ei tamen Lexica tribuunt solum *stuporis, dormitationis*, notionem. Cf. not. ad Job. XIX, 3. Sed eodem, quo Kimchi, modo accepit jam Chaldaeus, qui

qui vertit: אִשְׁתְּמוֹדָעוּת אַפֵּיהוֹן בְּדִינָא אַסְהֵידַת בְּהוֹן, *agnitio enim vultus ipsorum in judicio testatur contra eos.* HIERONYMUS: „*agnitio vultus respondet eis*, id est, sua recepere peccata, sive, ut LXX transtulerunt, *καὶ ἡ αἰσχύνη τοῦ προσώπου αὐτῶν ἀντέστη αὐτοῖς, confusio vultus eorum restitit eis*, id est, ante oculos propria habuere delicta.“ Syrus: ܡܣܒ ܒܐܦܐ, *personarum respectus*, quam interpretationem Clericus probat. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 530. conferens Arabicum هَكَرَ, *stupuit*, vertit: *stupens illorum et pudefactus vultus, ipso attonito stupore culpam fateri visus.* Non multum diversus Saadias: فَزَاقَةُ وُجُوهِهِمْ تَشْهَدُ عَلَيْهِمْ, *pavor facierum ipsorum testatur contra eos.* עָנְתָה בָּם *Respondet*, testatur contra eos. עָנָה cum ב personae conjunctum denotat *contra aliquem testem esse*, testis enim est *respondere*, vid. infra LIX, 12. Hos. V, 5. Exod. XX, 13. Deut. XIX, 16. 2 Sam. I, 16. וְחַטָּאתָם כִּסְדֹם הִגִּידוּ *Et peccata sua profitentur ut Sodomaei*, palam et sine pudore, vid. Genes. XIX, 5. לֹא כִחֵדוּ *Ne quidem celant*, Jos. VII, 19. 1 Sam. III, 17. 18. אוֹי לְנַפְשָׁם *Vae! animae eorum*, ipsis, Hos. VII, 13. כִּי־גָמְלוּ לָהֶם רָעָה *Nam tribuunt sibi ipsi malum*, sibi ipsi inferunt malum, talia faciunt, propter quae malum iis certe rependetur. גָּמַל in malam partem h. l. sumitur, ut Genes. L, 17. Non male LXX: *βεβούλευνται βουλὴν πονηρὴν καθ' ἑαυτῶν.* Sed MICHAELIS in *Supplemm.* p. 327. reddit: *maturant sibi malum*, quam significationem גָּמַל habet Num. XVII, 23. et infra XVIII, 5. Sed iis locis intransitive sumitur. Retinenda interpretatio vulgo recepta; cf. Vs. sequ., ubi פְּרִי מַעַלְלֵיהֶם יֹאכֵלוּ nostrae loquutioni respondet; et Vs. 11. כִּי גְמוּל יָדָיו יֵעָשֶׂה לוֹ.

10. Verba אִמְרוּ צַדִּיק כִּי טוֹב varie reddunt. Alii, subaudito ante צַדִּיק praefixo ל: *dicite justo, bene ei esse.*

Ita

Ita Chaldaeus: אֱמַרוּ לְצַדִּיקַיָּא טוּבֵיכוֹן, *dicite, acclamate, justo: o vos beatos!* Illud ל praefixum nomini צַדִּיק est in codice Rossiano 226., ab antiqua ipsa ejus, qui puncta apposuit, manu. Alii verba hebraea ita struenda putant: אִמְרוּ כִּי טוֹב לִהְיוֹת צַדִּיק, *dicite, bonum* s. bene *esse, justum,* pium, *esse, quia*, ut sequitur, *justi operum suorum mercedem obtinent.* Kocherus: „*Dicite justum, quod bene;* seu potius, *quod beatus sit;* qualia Romanorum, *scin' me in quibus sim gaudiis; fac me ut sciam, illum, ut vivat, optant;* etc. Neque aliter 1 Reg. V, 17. אַתָּה יָדַעְתָּ אֶת־דָּוִד אָבִי כִּי לֹא יָכֹל, *tu nosti Davidem patrem meum quod non potuerit,* per eandem ἀντίπτωσιν accusativi pro nominativo. Cf. Ps. CXXXIX, 20. אֲשֶׁר יֹמְרוּךָ לִמְזִמָּה, et Joan. IX, 19. ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι." Mallem: *praedicate, celebrate justum, quod bene ei sit;* i. e. felicem praedicate pium. Eodem *praedicandi* sensu אָמַר usurpatur Ps. CXLV, 6. 11. Sic *dicere* pro *canere, celebrare* in his Horatii *Od.* I, 21. 1. sq.

Dianam tenerae d i c i t e virgines,
Intonsum, pueri, d i c i t e Cynthium.

Saadias: كَمَا يَجِبُ أَنْ يُقَالَ عَنِ الصَّالِحِ مَا أَجْوَدَهُ, *sicut par est, ut dicatur de probo: quale est bonum ejus!* טוֹב hic est *felix, beatus,* ut Jerem. XLIV, 17. XXII, 16. Thren. III, 26. et Syris ܛܘܒܐ. כִּי־פְרִי מַעַלְלֵיהֶם יֹאכֵלוּ *Nam fructum operum suorum comedent,* percipient; bene eis erit. Cf. Prov. I, 31. Pro יֹאכֵלוּ codex Kennicottianus unus, Regiomontanus, legit יֹאכַל, quod Lilienthalius probat in notis ad eundem codicem, p. 326. Verum nihil mutandum est; nam צַדִּיק sumitur collective. Prius hujus Versus hemistichium LXX sic vertunt: Εἴποντες, δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι. Videntur pro אִמְרוּ legisse אִסְרוּ, *ligate,* verba כִּי־טוֹב autem ita acceperunt: bonum esse impiis, de quibus Vs. 9., pium esse ligatum, aut neci deditum, quia solutus illorum consiliis esset inutilis.

11. אוי לְרָשָׁע רָע Plerique reddunt: *vae impio et improbo!* quasi esset asyndeton, ut Hos. VIII, 10. Habac. III, 11. Exod. I, 2. infra LXIII, 11. Clericus cum Noldio ante רָע subaudiendam existimat particulam כִּי, quae haud raro deest, veluti Genes. XVII, 14. (אֶת־בְּרִיתִי הֵפַר, *quia foedus meum irritum fecit*); Dan. VIII, 25. (וְהִצְלִיחַ, *et quia prosperat*); unde vertit, *quia est malus*, h. e. malitiae suae caussa. Equidem verterim: heu *impio*, *misero*, infelici! רַע hic videtur habere *miseriae* notionem, ut Exod. V, 19. Ps. X, 6.; oppositum enim est τῷ טוֹב, *fortunato*, Vs. anteced. Vel: *heu! impio malum eveniet.* Quidquid sit: non est necesse, ut cum De-Rossio רָע, quod in codice ipsius 24. deest, redundans et incommodum censeamus. כִּי־גְמוּל יָדָיו יֵעָשֶׂה לּוֹ *Nam retributio manuum suarum*, i. e. ejus, quod fecit (Jud. IX, 16. Prov. XII, 14.), *fiet ei*, expendet poenas eorum operum, ad quae impias et sceleratas manus adjecit.

12. A populo transit vates ad ejus rectores, quorum industriam in rapiendo trahendoque populum in alienissimos a patria religione mores accusat. Versus quatuor (12—15.), qui sequuntur, Eichhorn a reliquis sejungendos existimat, utpote qui singularem magistratum malorum, Ahaso regnante, objurgationem contineant. עַמִּי נֹגְשָׂיו מְעוֹלֵל *Quod attinet ad populum meum* (nominativus absolutus, ut 2 Reg. XXII, 18. Levit. IV, 2. 2 Sam. IV, 10. Storrii *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 292. seq.), *exactores ejus sunt pueri*, propr. *exactorum ejus* quisque est, *puer*, loquutio distributiva, ut Genes. XLVII, 3., רֹעֵה צֹאן עֲבָדֶיךָ, add. Exod. XXXI, 14. Prov. XIV, 1. Cf. Storr. l. c. p. 371. 372. Ceterum confer Vs. 4. נוֹגֵשׂ hic est *magistratus*, imperium in populum security exercens, et inprimis tributis colligendis praefectus, severe debitum exigens, ut Zachar. IX, 8. מְעוֹלֵל propr. *ludens*, i. q. תַּעֲלוּלִים supra Vs. 4. pro עוֹלֵל, *puer, infans*, Jerem. XLIV, 7. Ps. VIII, 3. Alexandrinus pro מְעוֹלֵל posuit καλαμῶνται ὑμᾶς,

ὑμᾶς, ſumta *racemandi*, *vindemiandi*, verbi עָלַל ſignificatione, hoc ſenſu: expilant vos et exhauriunt, quomodo qui vineam non vindemiant modo et ſpoliant uvis ſuis, ſed et reſiduos racemos inter folia latitantes, ſedulo exquirunt, quin et folia ipſa decutiunt, et palmites confringunt. Ita et Chaldaeus: עַמִּי רַבְרְבוֹהִי בַּזּוּהִי כִּמְעַלְּלֵי לְכַרְמָא *populum meum moderatores ſui exſpoliaverunt quaſi vindemiantes vineam.* Syrus: ܦܪ̈ܢܣܘܗܝ ܕܥܡܝ ܡܥܠܠܝܢ ܠܗ, *principes populi mei racemant eum.* Vulgatus: *populum meum exactores ſui ſpoliaverunt.* Sed *mulieribus* (נָשִׁים), quarum ſtatim fit mentio, aptius junguntur *pueri*. וְנָשִׁים מָשְׁלוּ בוֹ *Feminae dominantur ei*, i. e. molles et effeminati, excordes et vecordes homines. Clericus intelligit regum et procerum uxores aut pellices, quae virorum amore abuſae multa impotenter factitarent; quod Iſraelitae experti erant ante Jeſajae tempora in regno Jehokami, Judae regis, cujus uxor fuit Athalia, mulier impotens et crudelis, vid. 2 Chron. XXI. XXII. Gesenius reſpici exiſtimat juvenes imperitos et vecordes, qui una cum mulieribus gynaecei ſui Ahaſo, qui tunc vigeſimum annum attigiſſet, ſtolida conſilia impertirent. Hieronymus: „Pro *mulieres*, quas ſolus interpretatus eſt Symmachus, et Hebraice dicitur *Naſim*, Aquila et LXX tranſtulerunt ἀπαιτοῦντας, qui ſignificant *exactores*, Theodotio δανειστάς, id eſt, *foeneratores*.“ Quod ipſum expreſſit Chaldaeus, qui מָרֵי חוֹבָא poſuit. Legerunt נֹשִׁים, Michaele et Doederleinio probantibus. Sane ſi מְעוֹלֵל hemiſtichio priori *racematorem per ſpoliatorem* vertas, נֹשִׁים haud male convenit. Verba מְאַשְּׁרֶיךָ מַתְעִים bene exponit Jarchi: *qui te dirigunt*, quorum eſt, recta te via ducere, *te ſeducunt*, *ductores tui ſunt ſeductores*, plane ut infra IX, 15. אִשֵּׁר, *facere procedere*, i. e. ducere, Proverb. XXIII, 19. Alii מְאַשְּׁרֶיךָ vertunt: *beatum te praedicantes*, ab אֶשֶׁר, *felicitas*, Geneſ. XXX, 13., unde אִשֵּׁר *beatum praedicare*, Pſ. XLI, 3. Ita LXX: Οἱ μακαρίζοντες ὑμᾶς πλανῶσιν ὑμᾶς. Vulgatus: *qui te beatum dicunt, decipiunt*

piunt te. Chaldaeus: מְשַׁבְּחָךְ אַטְעִיוּךְ, *qui te laudant, decipiunt te.* Lutherus: *qui te ſolantur (deine Tröſter)*, ſenſu eodem, qui te jubent eſſe ſecurum et in utramque aurem ſuaviter dormire, atque hac ratione adverſus prophetarum verorum ruinas ſolantur. Prior illa interpretatio videtur tamen praeferenda in hoc contextu. Eſt enim rectorum, populum ducere, et viam ei praeire, inprimis doctorum, ad quos hic praecipue reſpicitur. Recte igitur Saadias מְאַשְּׁרִים h. l. vertit مرشدون *dirigentes.* Ceterum cf. Ezech. XIII, 10. Mich. III, 5. וְדֶרֶךְ אֹרְחֹתֶיךָ בִּלֵּעוּ *Et viam ſemitarum tuarum,* i. e. qua tibi gradiendum eſt, *abſorbent,* perdunt, corrumpunt. LXX: *ταράσσουσι, turbant.* Chaldaeus: קַלְקִילוּ, *depravant.* Syrus: ܣܠܩܘ, *perturbant.* Vulgatus: *diſſipant.* Kocherus: „*Qui te beatum praedicunt, ducunt per avia, viamque, qua tibi eundum, deglutiunt, abſorbent.* Falſi prophetae doctoresque male docendo, malos adulando, omnia aſſentando, pericula diſſimulando, fauſta quaevis promittendo, faciunt, ut nulla appareat, pateat, ſuperſit recti ſalutisque via. Cf. infra XIX, 3. XXV, 7. 8. Pſ. CVII, 27." Verbo בִּלַּע, omnibus, quibus occurrit, V. T. locis *abſorbendi* ſignificatum obtinenti, Michaelis in *Supplemm.* p. 187. ſine neceſſitate novas ſignificationes affingit, dum vertendum vult ſive: *tales faciunt vias, ut deglutiant viatorem,* ſive, quod melius ipſi videtur, *lacunoſas, et foraminoſas faciunt vias tuas.* Nempe a *deglutiendo* et *abſorbendo foramen* Arabibus dici exiſtimat بُلَعٌ, unde verbum denominativum بَلَّعَ *perforavit.* Conferendum jubet infra IX, 15. *Qui ab illis ducuntur, abſorbentur* (מְבֻלָּעִים), id eſt, exponente Michaele, lacunis et foraminibus merguntur.

13. Jam malis illis et nequam populi ductoribus litem intendentem Deum minatur. נִצָּב לָרִיב יְהוָה *Stitit ſe ad litem Jova* accinctus, cf. Hoſ. IV, 1. Pſ. LXXXII, 1.

וְעֹמֵד

וְעֹמֵד לָדִין עַמִּים *Statque* paratus *ad judicandum populos;* cf. Ps. XCVI, 13. Kimchi: „לָרִיב et לָדִין pro לְהָרִיב et לְהָדִין; si enim esset nomen substantivum, Lamed haberet Schva. Hoc ait: ne cogitetis, quod Deus non sit mulctaturus vos ob mala, quae facitis, siquidem omni tempore stat et manet ad judicandum omnes populos, multo magis igitur populum suum Israelem." Sine necessitate igitur pro עַמִּים Lowthus, LXX et Syro auctoribus, עַמּוֹ reponendum censet.

14. יְהוָה בְּמִשְׁפָּט יָבוֹא *Jova in judicium venit,* ad jus vocat, ut Ps. CXLIII, 2. עִם־זִקְנֵי עַמּוֹ *Cum senibus,* senatoribus, *populi sui,* Exod. III, 16. Jud. XI, 5. וְאַתֶּם *Vos enim,* principes et seniores populi sui! Jova ipse loquens inducitur. Hieronymus: „Servat consuetudinem prophetalem, ut mutet repente personas. Supra enim (Vs. 12.) Dominus dixerat: *popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt,* et postea Propheta subjecerat: *stat ad judicandum Dominus.* Igitur post prophetam ipse Dominus, qui ad judicium venerat cum senibus populi sui et principibus ejus, loquitur ad eos, et corripit delinquentes." בִּעַרְתֶּם male LXX ἐνεπυρίσατε, et Syrus ܐܘܩܕܬܘܢ *incendistis,* verterunt. Etsi enim verbum hebraicum eum significatum locis haud paucis obtinet; hic tamen parum commode locum habebit. Nam vinea (כֶּרֶם) igne accendi et perdi haud facile potest; accedit, quod lucrum fecisse dicuntur ii, quos vates castigat, cf. quae sequuntur in hoc ipso Versu. Aptius igitur sumitur h. l. pro verbo denominativo a בְּעִיר, Syr. ܒܥܝܪܐ, Arab. بَعِيرٌ, *jumentum,* unde בָּעַר *brutum esse* (Jerem. X, 8.), et in Piel *jumentum in pratum, agrum, pastum pellere, depascere* (*abhüten*), quam potestatem hoc verbum sine omni dubitatione habet Exod. XXII, 4. כִּי יַבְעֶר־אִישׁ שָׂדֶה אוֹ כֶרֶם וְשִׁלַּח אֶת־בְּעִירֹה וּבִעֵר בִּשְׂדֵה אַחֵר, *si quis emisso pecore depaverit agrum aut vineam alterius.* Cf. et infra V, 5. Recte igitur Vulgatus:

gatus: *depasti estis.* Et Saadias: ﺍﻛﻠﺘﻢ, quod idem. הַכֶּרֶם *Vineam,* i. e. rempublicam Judaicam, quae vinea a Jova plantatae comparatur et infra V, 7. atque Ps. LXXX, 9—15. Pro הַכֶּרֶם Lowthus legendum censet הַכַּרְמִי. Male; nam in voce, cui pronomen suffixum adnexum est, omitti solet ה demonstrativum. Chaldaeus sensum proprium expressit: אַנִיסְתּוּן יַת עַמִּי *diripuistis populum meum.* גְּזֵלַת הֶעָנִי בְּבָתֵּיכֶם *Rapina pauperis in domibus vestris,* contra legem Levit. V, 23. IX, 13. Eadem querela Ezech. XVIII, 7. LXX: Καὶ ἡ ἁρπαγὴ τοῦ πτωχοῦ ἐν τοῖς οἴκοις ὑμῶν. Cf. Luc. XI, 39. XX, 47.

15. מַלָּכֶם Synaeresis pro מַה לָּכֶם, ut Exod. IV, 2. Malach. I, 13. *quid vobis?* i. e. quo jure id agitis? qua ratione, aut rationis specie, quo obtentu? תְּדַכְּאוּ עַמִּי *Atteritis populum meum,* acerbe vexatis, quo sensu idem verbum et Ps. X, 10. XCIV, 5. usurpatur. LXX: Τί ὑμεῖς ἀδικεῖτε τὸν λαόν μου. וּפְנֵי עֲנִיִּים תִּטְחָנוּ *Et facies pauperum commolitis.* Maxima populi oppressio describitur. Quae enim mola conteruntur, ita attenuantur, ut plane in nihilum redigi videantur. Exsugebant proceres illi omnes populi vires, omnemque ejus substantiam. Eundem in sensum Arabes utuntur suo ﻃﺤﻦ, *moluit, commoluit;* ut multis exemplis docuit Schultensius in libro de *Defectt. hodd. Lingu. Hebr.* §. 273. *Origg. Hebrr.* adnexo, p. 435. 436. Similes imagines vide Mich. III, 1—3. Amos II, 7. LXX: Καὶ τὸ πρόσωπον τῶν πτωχῶν καταισχύνετε. Cf. 1 Cor. XI, 23.

16. Pergit vates in describendis populi vitiis, quibus Jova ad judicium exercendum commoveatur, dum castigat *corruptos mulierum mores,* immodicamque earum in corporis cultu luxuriem, qua injuste rapta profuderunt. Pacatis enim sub Uzia rebus, et florente reipublicae statu (2 Chron. XXVI, 5. seq.) populus, et inprimis sequior sexus,

sexus, in superbiam et luxuriam incidit. Hieronymus: „Supra et populum et principes tam propheta quam Dominus corripuerat; nunc ad mulieres, de quibus prius [Vs. 12.] dixerat: *et mulieres dominatae sunt eis*, propheticus sermo convertitur, ne se alienas arbitrentur a crimine, ob quarum delicias atque luxuriam depasti sunt exactores vineam Domini, et rapina pauperis in domibus eorum est [Vs. 14.]. Quas quidam putant vere feminas Judaeorum; alii metaphorice de urbibus Judaeae dici arbitrantur, quae appellantur *filiae Sion*, minores videlicet civitates, vici et oppida. Unde et in libro Jesu per singulas tribus ponuntur nomina civitatum, et postea describuntur villae atque castella, et *filiae* nuncupantur." Vid. e. c. Jos. XV, 45. 47. Ei vero sententiae, metaphorice esse dicta, quae inde ab hoc Versu usque ad Vs. 24. leguntur, Hieronymus ipse calculum addit, ad Vs. 25., ubi est: *pulcherrimi viri tui gladio cadent*, haec scribens: „Ex his sermonibus docebimur, non de mulieribus prophetae esse sermonem, quarum viri in proelio corruerunt, sed de *urbibus Judaeae*, quas *filias Sion* appellavit, et quarum bellatores ceciderunt in certamine. Denique de eadem Sion sequens versiculus [26.] loquitur." Cum Hieronymo inscius consentit Eichhorn, qui tota hac pericopa inde a Vs. 16. usque ad IV, 6. vatem existimat invehi in Judaeos, qui, inito ab Ahaso cum Tiglathpilesare foedere, rempublicam opitulante Assyriorum potentia firmari atque stabiliri sibi persuaderent. Hanc igitur incolarum Hierosolymae reliquarumque civitatum Judaicarum temerariam fiduciam comparari mulierum superbe sese efferentium atque lascivientium fastui. Vide *Blumen alt-hebräischer Dichtkunst*, p. 357. seqq., et *die Hebräischen Propheten*, P. I. p. 204. Cur vero allegorice intelligamus, quibus proprie acceptis locus erit aptissimus? Quum enim vates proceres redarguisset iniquitatis et rapacitatis, ejus rei argumentum petit ex superbia et luxu nobilium matronarum et virginum, quarum ornamenta ex plebis spoliis collecta superbe et insolenter ab

ipsis gerebantur. Pluribus Eichhornii sententiam refutavit Gesenius ad h. l. Ceterum novem, qui jam sequuntur, Versus ob multa, quae in iis occurrunt, rei vestiariae nomina, difficillimos, data opera illustravit Nicol. Guil. Schroederus in libro eruditissimo *de Vestitu mulierum Hebraearum ad Jesaj. III*, 16—24. Lugd. Batav. 1745. in quat., cui jungendum Ant. Theod. Hartmanni de mundo mulierum Hebraearum opus vernacule nuper editum tribus voluminibus in octonis hac epigraphe: *die Hebräerin am Putztische und als Braut*, Amstelod. 1810. יַעַן כִּי גָּבְהוּ בְּנוֹת צִיּוֹן *Propterea quod superbiant filiae Zionis.* Verbum גָּבַהּ alii intelligunt de *animi* superbia, ut Ps. CXXXI, 1. Ezech. XXVIII, 2. 5. Zeph. III, 11.; alii de *corpore*, atque hi iterum diversimode. Abarbenel verbum illud accipit de studio feminarum, corporis staturam reddendi proceriorem per *calceos* cothurnatos. Alii de *superbo et fastoso incessu:* minus commode; nam de eo vates deinceps loquitur. Nos adstipulamur Schroedero p. 389. l. c. observanti, verbum גָּבַהּ significationem hic gerere ampliorem, ac tam animi fastum et superbiam, quam externa ejus in corpore indicia, omnemque luxum et nimium se ornandi studium exprimere. Cf. supra II, 11. 17. Ps. CI, 5. Ezech. XVI, 50. Nunc vates specialius recenset varios corporis gestus singulaque ornamenta, animi elati et ad luxuriam proni indicia. Quorum primum est: וַתֵּלַכְנָה נְטוּוֹת גָּרוֹן, *incedunt erectae gutture*, s. *collo*, ut recte Alexandrini et Vulgatus, i. e. capite erecto vultuque altius sublato; quod superborum est, et altos spiritus gerentium, ut contrario vultus demissus modestiae signum. Plus difficultatis est in verborum, quae sequuntur, מְשַׂקְּרוֹת עֵינָיִם, interpretatione. Ipsa scriptura vocis משקרות a quibusdam in controversiam vocatur; nempe utrum littera ש punctum gerere debeat in latere dextro (ut exstat in plus quam quadraginta libris editis et codicibus pluribus), aut in sinistro? Qui prius probant, vocabulum referunt ad שָׁקַר, *mentitus est, fefellit aliquem.* Hinc vertendum erit: *mentiri facientes oculos;* quod alii intel-

intelligunt de fuco et ornatu, quibus multo formosiores videbantur, quam erant, alii de fallaci oculorum nutu. Verum praestantissimi quique codices, et impressi et manuscripti, legunt מְשַׂקְּרוֹת per *Sin*, ut jam monuit Munsterus. Cf. De-Rossii *Scholia critt.* ad h. l. Qui id adoptant, in diversas iterum abeunt sententias. Alii huc referunt Chaldaicum סְקַר, *fucare, colore inficere, colorare*, pec. oculos stibio, vid. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 1542. Moris enim etiamnum est apud Orientis virgines, oculos collyrio vel stibio (*Kohol*) intingere, et quasi majores orbes mentiri; vid. Arvieux *die Sitten der Beduinen-Araber*, p. 112. et not. nostr. 37. Cf. 2 Reg. IX, 30. et quae ex Graecis Romanisque scriptoribus congessit Grotius ad h. l., Jerem. IV, 30. Hoc sensu Chaldaeus locum nostrum vertit: וּמְסַרְבְּקָן עֵינֵיהֶן אָזְלָן, *stibio oculos fucantes incedunt.* Idem placuit Hartmanno L. I. P. III. p. 202. 203. Alii vero nostrum verbum idem quod Chaldaeorum סְקַר, *intueri, oculis vagari*, significare existimant. Ita illud jam Alexandrini videntur accepisse, dum vertunt, *ἐν νεύμασιν ὀφθαλμῶν*, quod Vulgatus reddidit, *nutibus oculorum*, nec non Syrus, ܒܪ̈ܡܙܐ ܕܥܝ̈ܢܐ *nictationibus oculorum.* Abarbenel: *haec loquutio significare potest, quod feminae versus juvenes oculis nictitaverint.* Junius: *nutantes oculis, i. e. suis nictationibus lasciviam suum facientes palam.* Videtur vates noster intelligere idem, quod poetice expressit Nonnus *Dionysiac.* L. XXXIV. Vs. 28. seq. — ἐρωμανέων δὲ γυναικῶν Νεύμασι ποιητοῖσι τύπον μιμήσατο κούρη, Ὄμματα δινεύουσα, *insanientium amore mulierum mores puella nutibus simulatis imitabatur, oculos circumagens.* Hebraeis alias id dicitur קָרַץ עֵינַיִם l. בְּעֵינָעִים, *oculos motitare*, prae lascivia et petulantia, ut Prov. VI, 13. X, 10. XVI, 30. Quae haud dubie praeferenda interpretatio, ob ea quae antecedunt et sequuntur, externos feminarum gestus, qui lasciviam et mollitiem produnt, describentia. הָלוֹךְ וְטָפוֹף תֵּלַכְנָה *Minutis et aequalibus passibus utendo incedunt*, ut

recte Schroederus (p. 127.), verbo טָפַף, hoc solo loco obvio, collato cum Arabico طَفَّ et نَفَّ, *agilis fuit, pedes manusve movit agiliter;* unde طَفَّ الفرس, *tolutim incessit equus*, et طَفَّاف, *leniter incedens.* Quum verbum illud Arabicum *ligandi* quoque notionem habeat, et maxime de *pedibus jumentorum fune colligatis* poni soleat; Michaelis in *Supplemm.* p. 1027. verba nostra vertenda censet: *constringendo* (catenulis cruralibus pedes suos) *eunt.* Verum et adscita interpretatione illa priore, vates simul respicere poterat ad usum compedum cruralium, catenulis inter se connexarum, ut passus breviores et aequales fierent; quo de more vid. infra ad Vs. 20. Saadias usus est verbo خَطَرَ, *pone in dextram sinistramque se motitavit*, quod maxime de camelo dicitur, caudam et femora incedendo jactante. Eundem sensum expressit Lutherus: *sie treten einher und schwänzen.* וּבְרַגְלֵיהֶם תְּעַכַּסְנָה *Et in pedibus suis compeditae sunt*, seu *compedes* (עֲכָסִים infra Vs. 18. Proverb. VII, 22.) *gestant.* Quod optime illustravit C. B. Michaelis in Dissertat. qua *Ritualia quaedam Codicis Sacri ex Alcorano illustrantur*, Hal. 1739. §. VII. (in *Sylloge Commentatt. theologg.* a D. J. Pott edit. Vol. II. p. 90. seqq.): „Habemus ex ore doctissimi Salomonis Negri, Damasceni, in Syria finitimisque provinciis mulieres opulentiores etiamnum circum pedes ligamenta, ad compedum instar, cum interjectis catenulis, ex auro argentove gestare, eaque vel tinnitu inter ambulandum ostentare. Continunt his non modo, quae Buxtorfius in Lexico Hebraico ex Pandectis Talmudicis et Maimonide adduxit; sed vel maxime, quod ad *compedum* nomen attinet, Plinius *Hist. Nat.* Lib. XXXIII. Cap. 12. *Argentum succedit aliquando et auro, luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Ex quo et hoc simul intelligitur, quid propheta innuat, quum ibidem Vs. 16. de filiabus Sionis

com-

compedes gestantibus ait: הָלוֹךְ וְטָפוֹף תֵּלַכְנָה, *incedendo et minutis gressibus utendo incedunt*, nempe minutulum et cum affectatione delicatulum sexus muliebris incessum, qui compedes illas aureas argenteasve pro causa habeat; sive illud טָפוֹף ex Hebraica etymologia capere velis a טַף, *parvulus, minor*, ut notet מַהֲלָךְ טַף, *incessum mollem*, puerorum instar ad mentem Aben-Esrae; sive ex Arabico طَلَّقَ, *constrinxit pedibus* camelum aliudve jumentum, فرس طلغاف, *equus leniter incedens*, ut jumenta in pascuis agentia, cum pedibus constricta sunt, minutis incedunt gressibus." Sunt vero hae *periscelides*, s. compedes, laminae, unum duosve, vix plures, digitos latae, figurae orbicularis, non tamen continue in orbem redeuntes, sed, quia crus ambiunt strictius, ab aliqua parte apertae; ad unam extremitatem orbiculo, seu fibula, ad alteram unco, qui fibulae innectitur, instructae, quibus deinde catenulam interponebant. Arabibus hae compedes hodie vocantur خَلْخَال, estque frequens earum mentio in poëmatibus Arabicis Persicisque. Plura de hoc ornatu ex itinerariorum scriptoribus collegimus in not. 42. ad Arviosii librum supra laudatum; cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 212. Recte Hieronymus: „Ut composito incedant gradu, non naturam sequuntur ducem, sed histriones redimunt praeceptores." Id expressit Graecus Alexandrinus interpres, qui vertit: τοῖς ποσὶν ἅμα παίζουσιν. Saadias: بأرجلهم يعكسون, *in pedibus suis compedibus sunt ligati.* Male suffixo et verbo masculinis utitur. Ceterum cf. Bocharti *Geograph. S.* P. I. sive *Phaleg.* L. IV. C. XIX. p. 279. Christ. Gotth. Blumberg Dissert. *de* עֲכָסִים *Jesaj. III*, 16. 18. Lips. 1683. repetita in *Thesauro Novo Theolog. Philolog.* a Theod. Hasaeo et Conr. Ikenio edito, T. I. p. 853. seqq. J. H. Maii *Observatt. SS.* L. III. p. 109. seqq. Ant. Bynaei

de

de Calceis Hebraeor. L. I. C. VIII. et de nostro speciatim loco ibid. §. VII. Schroederi libr. laudat. Cap. I. et Hartmannum l. l. P. III. p. 218. In בְּרַגְלֵיהֶם *generis enallage* admissa, posito suffixo masculino, הֶם, pro הֶן, feminino. De *feminis* enim, ut Schroederus p. 11. ait, prophetae sermo est, ut ex toto contextu apparet; nec masculini generis nomen, ad quod illud הֶם commode referri posset, praecedit. C. L. Hoheisel quidem in *Observatt. Philolog. Exegetice.* verba nostra sic vertit: feminae *pedibus illorum* (juvenum) *compedes injiciunt*, i. e. feminae suis illecebris juvenes irretiunt. Cui interpretationi recte opponit Schroederus, durum esse, vocem *juvenum* non exigente textu subaudiri, solius enallages, non insolitae tamen alias Hebraeis, evitandae gratia: praeterea cuivis locum inspicienti patere, ne verbulo quidem prophetam studia feminarum de juvenibus irretiendis tota hac pericopa tangere, luxus muliebris et nimii ornatus reprehensioni unice intentum.

17. Verba וְשִׂפַּח אֲדֹנָי קָדְקֹד בְּנוֹת צִיּוֹן LXX verterunt: Καὶ ταπεινώσει ὁ θεὸς ἀρχούσας θυγατέρας Σιών. קָדְקֹד, *Verticem* (coll. Arabico قذال, *pars capitis a vertice ad cervicem*), figurate acceperunt pro *principe*, quia *vertex* suprema corporis pars est. Sequutus illos Syrus. Haud multo aliter Chaldaeus: וִישַׁעְבֵּיד יְיָ יְקָרַת בְּנָת צִיּוֹן, *deprimet Jova gloriam filiarum Sionis.* Retulerunt hi interpretes verbum שִׂפַּח ad שִׁפְחָה, *ancillam, famulam.* Male; nostrum enim verbum scribitur per *Sin*, nomen vero illud per *Schin.* Hebraei a סַפַּחַת et מִסְפַּחַת, *scabies*, interpretantur: *scabie afficiet Dominus verticem filiarum Sionis.* Rei convenientius Schroederus (p. 396.) collato Arabico سفح, *defluere*, et transitive, *effundere, defluere facere,* verba nostra sic vertit: *defluere faciet Dominus verticem filiarum Zionis*, i. e. eum capillis denudabit, comamque in altum aggestam et ornatam, qua mulieres superbiebant,

aufe-

auferet. Recte igitur Hieronymus: *decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Quae capitis nuditas et calvities omne genus ignominiae, dedecoris, inopiae et miſeriae in mulieres delicatas immittendum comprehendit. Solennis enim veterum erat conſuetudo, in graviori et acerbiori luctu capitis ornamenta abjiciendi, comamque tondendi, vid. Job. I, 20. Jeſ. XXII, 2. Jerem. XLI, 5. Ezech. VII, 18. Clericus intelligit tonſionem probroſam. וַיהוָה פָּתְהֵן יְעָרֶה *Et jova pudendum earum denudabit.* פּת eſſe *pudendum muliebre,* Schroederus probavit ex Arabico فُوتٌ, quod inter alia *interſtitium inter duos digitos* denotat. Per pudendi denudationem violentam inferenda feminis maxima ignominia denunciatur. Cf. infra XLVII, 3. Nah. III, 5. Jerem. XIII, 22. Significat vates, fore, ut illae, quae tanta ornamentorum inutilium mole ſuperbirent, ab hoſtibus veſtimentis quibuscunque, etiam iis, quibus opus eſt ad tegendum verendas corporis partes, ſpoliarentur, nudaeque in exilium abducerentur. Hic enim mos erat hoſtium ferocium, ut ſuperatas bello gentes veſtibus nudatas in triumpho ducerent, vid. infra XX, 4. Poeta quidem Arabs, a Schroedero adductus:

اذا الاضبط السعدي جاء بجيشه
فيا رب خود مجتلاة علي لبد

Quando Adbathus Sadaeus acceſſerit cum exercitu ſuo;
O quot tenerae veſtibus nudatae ſuper ephippiis in captivitatem abripientur. LXX: Καὶ Κύριος ἀνακαλύψει τὸ σχῆμα αὐτῶν. Eos ſequutus Syrus, ipſo retento nomine Graeco. Chaldaeus: וַיְיָ יְקָרְהֶן יַעְדֵּי *et Dominus gloriam earum auſeret.* Hieronymus: *et crinem earum nudabit.* Saadias: وَيُعَرِّي جِهَاتَهُنَّ *et nudabit latera,* ſ. *partes earum.* Koppius פּת vertendum exiſtimat *ornatum,* coll. Syr. ܦܐܝܘܬܐ, et ܦܐܝܘܬܐ; *decor, magnificentia, ornatus.* Verum

rum cum littera ת in voce illa Syriaca non sit radicalis (radix enim est ܨܒܬ, *ornavit*); equidem interpretationem priorem retinendam censeo.

18. Ut vates immodicum feminarum luxum eo fortius perstringat, singula ornamenta (תִּפְאֶרֶת, ut infra LXII, 3.) recenset. De עֲכָסִים vid. supra ad Vs. 16. Nomine שְׁבִיסִים interpretes haud pauci significari existimant vestimentorum quoddam genus, *tessellis* vel *ocellis* distinctum et variegatum; verbo שָׁבַס eandem significationem tribuentes, quam verbum שָׁבַץ habet Exod. XXVIII, 39., id est, *ocellavit, intertextum opus fecit*, collato Syriaco ܫܒܨ, *miscuit, confudit, tenuit.* Ita Saadias, in cujus quidem versione a S. V. Paulo e codice Bodleiano edita vox legitur nulla hebraico שְׁבִיסִים respondens, sed librarii sine dubio culpa. Nam Kimchi illam vocem hebraeam ait vertisse Arabico عيون (עיון), quo significetur *opus acupictum in quo facti sunt ocelli continuo.* Et Exod. XXVIII, 13. hebraeum משבצת eodem illo nomine Arabico reddidit. LXX: τὰ ἐμπλόκια, *opera implexa*, vel, ut alii volunt, *reticula.* Vulgatus: *torques* (nam quod priori loco positum legitur, *lunulas*, hebraeo שַׂהֲרֹנִים respondet). Chaldaeus nomen hebraeum retinuit. Syrus: ܨܒܬܗܝܢ *ornatum earum.* Jarchi intelligit *speciem operis reticulati ad caput ornandum*, ornamentum capitis reticulatum sive tessellatum. Ad eum proxime accedit C. G. Blumberg, qui in Dissert. *de* שְׁבִיסִים *et* שַׂהֲרֹנִים, Lips. 1684. (repet. in *Thesauro Novo Philolog. Theolog.* T. I. p. 857. seqq.), enarratis examinatisque aliorum de nostra voce sententiis, evincere studet, שְׁבִיסִים fuisse *ornamenta capitis filis aureis, sericis, aliisque pretiosis inter se implicatis, constantia*, adque modum מְלֶאכֶת הַתַּשְׁבֵּץ (Exod. XXVIII, 4.) formata; ea mulieres capiti ita applicasse, ut, vittis ad frontem adjuncta, pertingerent ab una aure ad alteram, impositasque haberent laminas vel

bracteas

bracteas aureas, pretiosa monilia et margaritas, Talmude teste, e quo plura loca affert. Schroedero vero (Cap. II.) שְׂבִיס est idem quod Arabicum شميسة, quod derivatur a voce شمس, *sol*, indeque significat *soliculum bullamve solarem*, s. *colli monile, cujus bulla ad solis imaginem efformata.* Multis exemplis probávit Schroederus, litteras ב et מ, utpote labiales, in Orientalium dialectis saepe inter se permutari, satisque verisimile fecit, Arabes olim pro شمس pronunciasse شبس, et hinc in forma diminutiva dixisse شبيس vel شبيسة, *sol parvus*, quod est ipsum שְׂבִיס Jesajae. Videntur feminae Hebraeae una cum superstitioso solis cultu, et bullas ad solis imaginem expressas ab Arabibus vicinis mutuatae esse, suoque ornatui illas inseruisse. Dscheuhari: شمس *est species quaedam monilis.* Zamachschari: شمس, *et in plur.* شموس, *notat bullas, quae monilibus appenduntur.* Scholiasta Saseiri (poetae cujusdam celebris Arabum) bullas illas describit ita: *est quoddam genus monilium colli, ex auro vel argento confectum, quasi ex lamina rotunda. Caelari solent in ejusmodi bullis elegantes figurae, radii quoque in iis egrediuntur acuti, quos nonnumquam circulus circumdat aureus halonem solis repraesentans.* Multa alia ex carminibus Arabibus et Persicis loca, quae ornatum illum respiciunt, legi possunt apud Schroederum. שַׂהֲרֹנִים, quod praeter hunc locum occurrit quoque Judic. VII, 21. 26. utroque loco recte videntur reddidisse Alexandrini per μηνίσκους, et post eos Vulgatus *lunulas.* Hesychius μηνίσκους interpretatur πέταλα περιτραχήλια, *lamellas, collo appensas.* Suidas: περιτραχήλια κόσμια. Papias in Glossis: *lunulae sunt ornamenta mulierum, in similitudinem lunae dependentes bullae.* Kimchi: שהרנים הם חלי כדמות ירח, i. e. שהרנים *sunt monilia ad lunae similitudinem.* Conferendum est Arabicum ساهور, *luna.* Apud Orientales vero ab antiquissimis inde temporibus, ad hodiernum usque

diem

diem vulgatissimum esse harum lunularum usum, satis apparet tam ex Jud. VIII, 26., quam ex multis Arabicorum scriptorum locis, eorumque, qui locos Orientis adierunt, narrationibus. Ex iis constat, lunulas illas esse figurae falcatae, ita ut non toto dimidio plenae sint, sed inter cornuum extremitates vacuum relinqueretur. Unde eaedem illae Arabibus أهلّة appellantur, ab هلال, *luna nascens et corniculans.* Vertit quoque ita utroque loco Saadias. Adpendebantur vero collo, funiculo adplicatae, ut apparet ex Jud. VIII, 21. Cf. Blumbergii Dissertat. supra laudat., et Schroederum C. III.

19. נְטִפוֹת LXX τὸ κάθεμα, *monile,* Chaldaeus עֲנָקַיָּא, *torques* vertit, quod Vulgatus etiam posuit. Nec aliter Saadias, qui القلايد reddidit. Sequuti id Hebraei, qui *torques* sive *monilia colli* a נָטַף *stillavit* dicta volunt, quod ea, de collo dependentia, in pectus quasi destillent, confecta ex margaritis perforatis atque inter se consertis. Hoheisel in *Observatt.* p. 31. non a *situ*, sed a *figura* ornamenti vocis originem derivandam existimat, quod globuli illi, sive margaritae monilium, rotundam et pellucidam *guttarum stillantium* speciem expresserint. Propius ille aliis ad veritatem accessit. Sunt enim נְטִפוֹת *margaritae*, sed non ex collo, verum *ex aure pendentes*, *inaures*, coll. Arabico نطفة, proprie *gutta*, hinc, ob similitudinem, *margarita*, denique *inauris*, indeque denominativum تنطّف, *inauribus ornata fuit puella*; vid. Schroederum Cap. IV. p. 45—56. et Michaelis *Supplemm.* p. 1635. שֵׁרוֹת sunt *armillae*, docente dialecto Chaldaica. Ponit quoque h. l. Chaldaeus שֵׁירֵי יְדַיָּא *armillas manuum.* Concinit Arabicum سوار, *armilla.* Muhammed iis, qui ipsum sequerentur, pollicetur اساور من ذهب, et اساور من فضة *armil-*

armillas aureas et argenteas, vid. Coran. Sur. XVIII, 30. XXII, 23. LXXVI, 5. Hunc ornatum esse antiquissimum, patet ex Genes. XXIV, 22. Num. XXXI, 50., idemque etiamnum inter omnes Orientis populos invenitur, ut satis notum est. Vid. Schroederum Cap. V. רְעָלוֹת esse *vela s. pepla tremula* ostendit SCHROEDERUS Cap. VI. p. 62—94. رعل Arabibus est *calantica, fibulis conjuncta, e regione oculorum*, ut dicit Scholiastes Safeiri, a Schroedero laudatus. Est tegumentum capitis muliebre, ipsam quoque faciem obvelans; nomen inde sortitum, quod anterior ejus pars, vultum tegens, e regione oculorum, fibulis sive circellis ita est conjuncta, ut nonnihil spatii relinquatur, per quod oculi transspiciant, *tremere*, et, quod a tenuibus loris dependeat, huc illuc, in incessu, *jactari* solet. JARCHI: *Mos est Arabibus feminis, caput, atque adeo vultum, exceptis oculis, velorum quodam genere operire, quae in Arabica lingua* רעלות *appellantur.* Idem mos invenitur jam Genes. XXIV, 65. XXXVIII, 14. Viget etiamnum in Oriente. LEO AFRICANUS *Descript. Afric.* L. I. *facies mulieribus quibusdam panniculis cooperitur, qui ad oculi locum foramen habent, quo ceu perspicillo quodam utuntur.* Apud Homerum quoque peplorum saepe fit mentio, vid. *Odyss.* A, 334. Π, 416. Σ, 209. *Iliad.* Γ, 141. Ξ, 184. Videntur vero mulieres hebraeae in his velis superbiam et sumtuosam profusionem ostendisse, dum ea vel ex pretiosissima materia confecta, vel auro argentoque exornata erant.

20. פְּאֵרִים esse *tutulos*, sive diademata capitis, altius exsurgentia, forma fastigata, ostendit SCHROEDERUS Cap. VII. p. 101. seq. Nam ad caput esse referendos τοὺς פְּאֵרִים, patet ex Ezech. XXIV, 23. et XLIV, 18. Nec minus clarum est ex Ezech. XXIV, 17. XXVI, 10. fasciam fuisse, capiti circumligandam. Hoc diadema vero capiti ita alligatum et adplicatum fuisse, ut forma prodiret sublimior et fastigata, clarissime apparet ex Exod. XXXIX, 28., ubi *sacerdotum*

tiarae

tiarae פַּאֲרֵי הַמִּגְבָּעוֹת, *tiarae collis formam habentes*, i. e. fastigatae vocantur. *Tutulos* Latini haec ornamenta una voce appellarunt. Ita enim Festus: *Tutulum vocari ajunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, et exstructum in altitudinem.* Cf. Varro *de Ling. Lat. VI*, 3. Haud infrequens hujus ornatus mentio fit in Arabum et Persarum monumentis, ex quibus nonnulla adduxit Schroederus p. 107. 108. Etiamnum hunc ornatum capitis apud Arabum feminas usitatum esse, apparet ex Niebuhrii *Itinerario*, P. I. Tab. XXIII. Fig. 46. צְעָדוֹת sunt *catenulae crurales*, Arab. مِصْعان, quae per annulos insibulabantur periscelidibus, τοῖς עֲכָסִים, de quibus supra ad Vs. 18. Quod fiebat non ornatus solum, sed gressus quoque coarctandi et exaequandi caussa. Nam apud veterum feminas delicatas passus breviores et aequales in deliciis habiti, imo et hodie apud nostrates habentur. Etiamnum apud Arabes id moris esse, constat ex locis, quos Schroederus Cap. VIII. attulit. Instar omnium sit locus ex Scholiaste Safeiri: *nomen* مصعان *notat catenulam, qua feminae, cum saltant, pedes connectunt, ad passus reddendos aequales. Ut in hoc poetae: femina delicata est, cujus gressus vero artabit periodus fortunae. Cui addendus Fariani: passus ejus aequales sunt, licet careat catenula crurali.* Clemens Alexandrinus *Paed.* L. II. C. 11. Πολλαὶ δὲ καὶ ἐρωτικοὺς ἀσπασμοὺς ἐγχαράττουσιν αὐτοῖς· ὡς ἂν ἐκ τῆς ἐπιβάσεως ῥυθμίζουσαι τὴν γῆν, καὶ τὸ ἑταιρικὸν τοῦ φρονήματος ἐκ τοῦ βαδίσματος ἐναποσφραγίσωνται. *Multae eis quoque amatorios imprimunt complexus, ut vel per terram numerose incedentes, meretricios spiritus in incessu insculpant.* קִשֻּׁרִים sunt *zonae, cingula*, ut patet ex Jerem. II, 32. et ex verbi קָשַׁר significatione, *ligare, constringere.* Zonis tunicae non minus retrahebantur sursum, ne incessum inhiberent, quam stringebantur et continebantur. In illis exornandis magnos sumtus olim collocabant feminae. Byssinae enim memorantur apud Ezech. XVI, 10., aureae apud Homerum, Odyss. E, 230. Arabes

hoc

hoc cingulum vocant جلجل, quod Dscheuharius describit ita: *Zona, ex corio latiori contexta, gemmisque bullisve ornata, quam humeros inter et hypochrondria mulier sibi alligat.* Veterum Persarum feminae, nobiliores maxime, et reginae, tantam zonae exornandae pecuniam insumebant, ut reditus totarum provinciarum in solum hunc usum destinatae essent, Platone referente in Alcibiade. Plura vid. apud Schroederum Cap. IX. בָּתֵּי הַנֶּפֶשׁ nonnulli reddunt *domus fascini* (collato Arabico نفس, quod praeter alia *oculum malignum* denotat, quem fascino aliquo detrimentum adferre putant, ergo et, *fascinus*), i. e. sive, *ornamenta, quae fascinare*, et amoris insania percutere adspicientes possunt, qualia feminis tribuere poetae Arabum solent; sive, *retinacula fascini*, i. e. amuleta, quae feminas tutas a fascino praestant. Sic Chaldaeus, קָדָשִׁין *sacras* scil. inaures ponens, hae enim sanctae dictae, quod fascinum malignasque voces auribus arcere crederentur. Michaelis in *Supplemm.* p. 1662. de *amethystis* cogitat, cujus gemmae magna in Oriente est superstitio. Vocatur illa, inquit, Arabice بنفس, contracte ex بيت نفس, *domus fascini.* Verum in Ravii *Specim. ex Teifaschio de gemmis*, p. 102. amethysti nomen scribitur بنفش. Nihil vero opus est istiusmodi conjecturis postquam multis gravibusque argumentis evicerit Schroederus Cap. X., בָּתֵּי הַנֶּפֶשׁ esse *domunculas halitus*, sive, *odoris*, i. e. *olfactoriola*, qua voce Hieronymus quoque h. l. usus est. Nomen בַּיִת usurpatur de quovis *vase*, quo aliquid reconditur; ut Exod. XXV, 27. בָּתִּים לְבַדִּים sunt *domus*, i. e. receptacula, *vectium*. Apud Syros ܒܝܬ ܒܣܡܐ *domus aromatum*, i. e. thuribulum. נֶפֶשׁ vero *halitum*, i. e. odorem ex fragrantibus aromatibus et unguentis exhalantem, designare, ex cognata Arabica dialecto multis exemplis probavit Schroederus p. 151. 152. Similiter Hebraeorum et Arabum רוּחַ, Latinorum

norum *spiritus*, Graecorum πνοή et *halitum* et *odorem* denotat. Ab Hebraeis feminis autem talia vascula gestata fuisse atque ornamentis annumerata, probabile est ex eodem Arabum et Persarum more hodierno. Vide Le Brun *Voyages* T. I. p. 234. Poeta quidam Arabs, a Schroedero p. 159. adductus: *non erant mihi opes, nisi tunica et calantica, et olfactoriolum, aromatibus plenum.* Hafedh, nobilis Persarum poeta: *Zonam myrotheoium exornat.* Apparet hinc, olfactoriola cingulis appendi solere. Qui mos fortasse et apud Hebraeas olim obtinuit. Saltem hinc non obscure perspiciemus rationem, cur בָּתֵּי הַנֶּפֶשׁ a Jesaja τοῖς קִשֻּׁרִים, *cingulis*, subjuncti fuerint. לְחָשִׁים non sunt, ut Hebraeorum magistri volunt, *inaures*, sed *serpentes* (coll. Arab. لحس, *lambere*, de serpentibus maxime usitatum, unde لواحس *lambentes*, i. e. serpentes), sive serpentum simulacra, tam ornatus quam scaevi ominis, ut putabant, averruncandi caussa ab Orientalibus inter ubera dependentes gestatae; id quod primus docuit Schroederus Cap. XI. p. 172. 173. Josephus Carabuci fil. in *Hist. Arab.* Cap. XVI. *Arabum paganorum feminae aureos serpentes inter ubera suspendebant, amuletorum loco.* Clemens Alexandrinus *Paedag.* L. II. p. 209. Ὡς τὴν Εὔαν ὁ ὄφις ἠπάτησεν, οὕτω καὶ τὰς ἄλλας γυναῖκας ὁ κόσμος ὁ χρυσοῦς τοῦ ὄφεως τῷ σχήματι, ἐξέμηνεν εἰς ὕβρεις, σμυραίνας τινὰς καὶ ὄφεις ἀποπλαττομένας εἰς εὐπρέπειαν. *Quemadmodum Evam serpens decepit, ita quoque alias mulieres aureus mundus, serpentis figurae, in probra furiose impellit, quae murenulas quasdam aureas et serpentes ad ornatum effingunt.*

21. טַבָּעוֹת *annulos* esse, notum. Memorantur quoque Exod. XXXV, 22. inter mulierum ornamenta. De נִזְמֵי הָאָף *nasi annulis*, vid. not. ad Genes. XXIV, 22.

22. מַחֲלָצוֹת sunt *vestes splendidiores, chlamydes plumatae*, coll. Arab. خلص et خلع (nam litterae צ et ע ex Aramaeismo saepe inter se permutantur), *induit aliquem*

veste

veſte ſplendida et pretioſa, unde خلعة, *veſtis pretioſior.* Imprimis vero voce illa deſignari *chlamydes*, auro variisque ſignis plumatas, quas Latini una voce *Attalicas* dixerunt, magna ex ſcriptoribus Arabicis exemplorum congerie oſtendit Schroederus Cap. XIV. Tales veſtes ſplendidiores geſtantur etiamnum a feminis ditioribus; ut liquet ex loco, quem ex Annall. Bagdd. adduxit Schroederus, ubi de femina quadam nobili dicitur, *emit chlamydem plumatam gemmisque diſtinctam, una cum veſte ſerica, variis coloribus tincta, quinquagies mille nummis aureis.* Addendus Safeirius: Cum videris feminas molles, quae *ſumant chlamydes plumatas loco veſtis exterioris.* מַעֲטָפוֹת ſunt *ſtolae* ſive tunicae exteriores, et hinc *laxiores, longiores*, manicatae tamen, zona cingendae, ac ſub pallio induendae; coll. Arab. معطف; *veſtimentum, quod per diverſos flexus corpori applicatur et circumflectitur, ita ut hoc totum cooperiatur;* vid. Schroederum Cap. XV. p. 247—277. מִטְפָּחוֹת Schroederus confert cum Arab. صفيحة, quod de *latiori et exteriori* cujuscumque rei *operimento* dicitur; hinc vocem Hebraicam reddit *pallium.* Michaeli in *Supplemm.* p. 1021. eſt *Hik* (حَيْك) Arabum, a Shawio, in *Itinerario* p. 159. verſ. germ. deſcriptum, *pannus, ſeu velum quadratum, ſatis magnum, reliquis veſtibus, totique corpori circumvolutum, in quo et noctu dormiebant.* Colligit id ex hiſtoria Ruthae (III, 15.), ubi narratur, eam cum proxime Boaſo cubaret, מִטְפַּחַת involutam fuiſſe, hancque non veſtem eſſe corpori aptam, aut in qua domum regredi neceſſe eſſet, ſed pannum, tantae capacitatis, ut ſex hordei menſuras continere poſſet. חֲרִיטִים ſunt *loculi, coni forma, ex metallo*, ut oſtenderunt Schroederus, Cap. XVII. et Michaelis in *Supplemm.* p. 919. Nempe a خرط, *tornare*, primo *coni* dicti, deinde *loculi*, in quibus argentum geſtatur, qui coni figuram habere ſolebant. Abarbenel: חֲרִיטִים *notat loculos, ornatiores, figuris variis inſignitos, quales* ſemi-

feminae portabant; quam ſignificationem ea vox et apud Arabes gerit. Nempe خرايط الدراهم Arabibus ſunt *marſupia*, ſive *crumenae, quibus aſſervantur nummi.* Michaelis monet, hos loculos vix ex lino ſolo confici potuiſſe, cum ob formam comicam, tum, quod ſacculum rumpi neceſſe fuiſſet; ſi, ut fieri 2 Reg. V, 23. legimus, talentum argenti ei infundas. Conferendus Chardin *Voyages*, T. IV. p. 204. *Les ſacs d'argent ſont faits de cuir, longs, étraits.*

23. Nomine גִּלְיֹנִים plerique interpretes ſignificari exiſtimant *ſpecula*, Chaldaeo et Vulgato praeeuntibus, quibus Michaelis adſtipulatur in *Supplemm.* p. 313. Confert Arabicum جلي, *polire;* veterum enim ſpecula ex metallo polito erant. Et fuiſſe ſpecula feminis Hebraeis in uſu, patet ex Exod. XXXVIII, 8. Iis tamen heic vix erit locus, quum non ſint muliebri ornatui accenſenda. Inſerviunt quidem ſpecula mundo muliebri eleganter apponendo, domique aſſervantur; non autem ipſius ornatus partem aliquam conſtituunt. At vati de iis tantum veſtibus et ornamentis ſermo eſt, quibus feminae in publicum prodeuntes ſuperbiebant, ut ex tota nominum, quae praecedunt et ſequuntur, ſerie ſatis apparet. Praeterea *ſpeculum* Hebraeis a *videndo* מַרְאָה Exod. XXXVIII, 8. et רְאִי Job. XXXVII, 18. vocatur. LXX גִּלְיֹנִים vertunt διαφανῆ λακωνικὰ, ſcil. ἱμάτια, vel χιτώνια, uti haec verba Suidas adducit ſ. v. διαφανῆ, quod explicat per χιτώνια, οὐ τὰ λαμπρὰ, ἀλλὰ τὰ ἰσχνὰ, δι' ὧν διαφαίνεται τὰ σώματα τῶν γυναικῶν, *tunicas non ſplendentes, ſed tenues, per quas feminarum corpora pellucent.* A Graeco interprete proxime abeſt Kimchi, qui in Lexico גִּלְיֹנִים notare ait הַחֲלוּקִים הַדַּקִּים, *indumenta tenuia, Arabibus* גלילה *dicta, nomen inde ſortita, quod cutis ſub illis, ob nimiam eorum tenuitatem, nudetur*, transpareat. Sed pro גלילה, uti vox arabica expreſſa eſt apud Kimchium, legendum eſſe גלוה vel גליה (جلوة, جلية), monuit Schroederus Cap. XVIII. p. 305.; nam جلية notionem habet

rudis

rudis, et *grossi*; a جَلَى, גָּלָה, vero *nudavit* (vid. Jesaj. XLVII, 2. 3.), et Arabibus جَلْوَة et Hebraeis גִּלָּיוֹן aptissime appellari potuit istiusmodi *vestis pellucida*, quasi *nudantem* dixeris, quod corpus ea nudaret potius, quam tegeret. Quod ipsum ait de veste Coa loquens Plinius *Hist. Nat.* L. XI. §. 26. *Telas aranearum modo texunt ad vestem luxumque feminarum, quae bombycina appellatur. Prima eas redordiri, rursusque texere invenit in Ceo mulier Pamphila, Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatae rationis, ut denudet feminas vestis*, i. e. ut femina, licet induta veste bombycina, tamen videatur esse nuda. Quod confirmat Horatius *Serm.* L. I. Sat. 2.

— — *Cois tibi prae videre est*
Ut nudam.

Seneca *de Beneficiis* C. X. *Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit; quibus sumtis mulier parum liquido nudam se non esse jurabit.* Plura alia de hujusmodi vestibus earumque apud veteres usu reperies apud Schroederum l. l. Talia indumenta hebraeo גִּלְיֹנִים indicari, verisimile erat et Fullero, qui *Miscell. SS.* L. V. c. 20., quamvis *speculi* notionem non omnino pro incommoda haberet, Kimchii tamen expositioni palmam deferre non dubitavit. Eam enim dicit „et originationem obtinere aeque probabilem, et prophetae consilio, luxum praecipue et lasciviam feminarum gravissime increpantis, magis consonam esse liquere; siquidem vestes illae, transpectus ratione, mulierum turpissimam lasciviam, pretiosa vero tenuitate ac molitie pudendum luxum palam arguerent.“ Eandem sententiam comprobarunt Gussetius in *Commentarr. Ling. Hebr.* s. v. גָּלָה Lit. F., Vitringa ad h. l., et Hoheisel *Observatt. phil. exegett. in Jesaj.* p. 38. 39. Nihil est, quod huic interpretationi opponit Michaelis l. l., pellucidas vestes feminarum honestarum pudori Orientis non convenire. Ei

 respon-

respondet Fullerus verbis modo adductis. Praeterea pellucidae vestes non semper nudae carni, sed et interdum aliis vestimentis, ut ea transparerent, fuerunt superindutae; id quod ostendit Schroederus p. 317. seqq. סְדִינִים, quorum praeter nostrum et Jud. XIV, 12. 13. Prov. XXXI, 24. mentio fit, esse *interulas linteas,* seu tunicas interiores, nudae carni impositas, quas Latini vocant *subuculas,* vel etiam *indusias,* satis probabile reddidit Schroederus C. XIX., cui junge Michaelis *Supplemm.* p. 1720. et Hartmannum P. III. p. 330. Kimchi in Lexico: סָדִין *notat vestem nocturnam, carni proxime adhaerentem, ex lino confectam; quam tamen interdiu etiam induunt.* Ita σινδὼν usurpatur apud Hellenistas, vid. Marc. XIV, 51. Luc. XXIII, 53., nec minus apud Herodotum, *Euterpes* Cap. 59. *Οἱ δὲ κώνωπες, ἢν μὲν ἐν ἱματίῳ ἐλιξάμενος εὕδῃ, ἢ σινδόνι, διὰ τούτων δάκνουσι. Si in vestimento quis involutus, aut in sindone, dormiret, eum per ipsa indumenta culices morderent.* Galenus: *μὴ γυμνὸς κοιμίζεσθω, ἀλλ' ἐπιβεβλημένος σινδόνα. Ne nudus dormias, sed indutus sindone,* i. e. indusio. צְנִיפוֹת sunt *fasciae, vittae,* quae capiti circumvolvuntur, et in formam rotundam circumducuntur, pro more Orientalium antiquissimo et nemini ignoto. Arabibus صَنَف et صَنَفَة quamcumque notat *fasciam,* quae ducitur in formam rotundam. Et ex Zach. III, 5. Exod. XXIX, 6. Levit. VIII, 9. apparet, צָנִיף fuisse *capitis* tegumentum. Consentiunt veteres interpretes. Vid. Schroederum Cap. XX. et Hartmannum P. III. p. 258. רְדִיד est genus *pepli,* quod circumjicitur capiti, humeris, et vestibus exterioribus, corporis aut vestium velandarum caussa, idem quod צָעִיף in historia Rebeccae, Genes. XXIV, 65. (ad quem locum attulimus verba Hieronymi, quibus in Commentario ad nostrum locum nomen hebraeum explicat) XXXVIII, 14., ubi pro צָעִיף Onkelos posuit רְדִיד. Est Syrorum ܪܕܝܕܐ s. ܐܪܕܝܕܐ, *pallium, peplum subtile,* et Arab. ردآء, *pallium* vel *palla; vestis* seu

seu *operimentum exterius quodcunque, usurpari solitum prodeuntibus foras; sive consutum sit nec ne; capiti impositum, et in humeros rejectum, aut de solis humeris pendens.* Aruch, fol. 147. רְדִיד *in lingua Ismaelitica* (i. e. Arabica) *vocatur* רְדָא, *quod peplum notat tenue, quo feminae caput operiunt.* Plura similia loca ex Rabbinis collegit Schroederus, C. XXI. Jacobus Torvus in *Historia prophetarum: Nulla umquam Mohammedis uxor foras prodiit, nisi in capite palliolum* (رداء) *gestans.* Annall. Bagdd.: *Deposito a capite velamine faciei et palliolo* (رداء) *ad ipsum intravit.* Conferendus quoque Velthusenius ad Cant. V, 7., ubi ejusdem vestimenti mentio fit.

24. וְהָיָה תַחַת בֹּשֶׂם מַק יִהְיֶה *Futurum erit, ut loco aromatis sit tabes.* בֹּשֶׂם genus quoddam *aromatis* est, vel *unguenti* odorati, vid. Cant. V, 1. et Velthusenium ad Cant. I, 3. מַק est *tabes*, corporis vigorem successive exedens, vid. infra V, 24. Zach. XIV, 12. Quemadmodum unguenta corporis vigorem conservare et augere, cutim laevigare, nitentem reddere, et suavi odore perfundere debebant; ita e contrario *tabe* absumetur corpus et computrescet. Hieronymus: *Erit pro suavi odore foetor.* Cf. verbum Ps. XXXVIII, 6. *Foetent* וְנָמַקּוּ חַבּוּרֹתָי *et tabescunt vibices meae,* foeda ex illis tabe effluente. Pro מַק in codd. octo De-Rossii legitur מָק, cum Camez, quod Michaelis in *Supplemm.* p. 1490. *pulverem* notare putat, collato Arabico مُوق. Et sane LXX h. l. *κονιορτὸν*, Syrus ܚܠܐ vertit. In verborum וְתַחַת חֲגוֹרָה נִקְפָּה interpretatione difficultatem creat nomen נִקְפָּה, quod alii aliter reddunt. Sunt, qui a *perforandi* notione, quam verbo נָקַף tribuunt, nomine נִקְפָּה *perforatas* vestes, *pannos* indicari putent. Ita Saadias: *pro zonis* الخُلقان الهتّكة, *vestes tritas dilaceratas.* Paullo latius Gussetius *Commentarr. L. H.* s. v. נָקַף Lit. A.: „*Pro cinctura perforatio,* tum in vestibus, nempe detritis, ut

 paupe-

pauperum, tum in cute, nempe exulcerata; nam in hoc catalogo malorum alia sunt in vestibus, alia in cute." Schultensio *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. XII. §. 5. נִקְפָּה est *capitis comminutio cum cerebri dispersione,* quod verbum נָקַף apud Arabes *gravi ictu diffringendi* notionem habet. Verum recte monet Michaelis in *Supplem.* p. 1678., parum verisimilem hanc interpretationem esse; zonae enim quis opponat cerebri dispersionem? aut huic, quae cerebri elisionem experta erat, quis calvitiem adhuc et tumores et saccum minetur? Schroederus, illius interpretationis incommoda intelligens, reddidit: *in locum cincturae capitis succedet cruenta capitis contusio.* Sed de *capite* nihil in textu. Accedit, quod חָגַר et חֲגוֹרָה de cinctura circa medium corpus dicitur, vid. Genes. III, 8. 1 Reg. II, 5. nusquam de *capitis* cinctura. Michaelis l. c. נִקְפָּה *exesionem, ulcus,* reddit, conferendum existimans, sive Arabicum نَغِيف, *exesus a teredine caudex,* unde نُغْفَة, *scrobs, locus paullo depressus,* sive Chaldaicum נִקְפָּא, *vulnus, plaga.* Sic jam Talmudici, Buxtorfio p. 1393. *Lexici* monente, in tractatu Schabbath: *quo loco accinctae fuerant cingulo pulchro,* נעשה נקפים נקפים, *plagae,* s. *fossulae fient.* Sententia: eo loco, ubi antea vestis cingulo elegantiore constringebatur, jam ulcera erunt et vulnera, ab asperiore, haud dubie, loro, quo cinguli loco cingentur. Idem jam expressit Chaldaeus: וְאָתַר דַּהֲוָאָה אָסְרָן פְּסִיקְיָא יְהֵי רוּשְׁמִין דִּמְחָא *et in loco ubi zonas ligabant, erunt stigmata percussionis.* Kimchi: „Caro erit vulnerata et plagis lacerata, ita ut non possint zona se cingere. Verum *zonae,* recte monente Gesenio, aptius opponitur *funiculus,* a *cingendo* dictus, quem significatum נָקַף cum cognatis קוּף et יָקַף (cf. not. ad Ps. XXII, 17.) communem habuerit. Ita Graecus Alexandrinus: *ἀντὶ ζώνης σχοινίῳ ζώσῃ.* Vulgatus: *pro zona funiculus.* Syrus: ܘܒܕܘܟܬ ܐܣܪ ܚܨܝܗܘܢ ܚܒܠܐ ܐܣܪܝܢ *et loco zonae lumborum suorum funes ligant.*

וְתַחַת]

חַחַת מַעֲשֶׂה מִקְשֶׁה קָרְחָה] Laborant interpretes praecipue in definiendo vocis מִקְשֶׁה significatu. In eo quidem conveniunt omnes, quod, quum קָרְחָה *calvitiem* denotet *capitis*, oppositionis leges postulent, ut illa de *capitis*, et in specie *crinium*, quodam ornamento accipiatur. Sed quale hoc sit, et quaenam sit denominationis ratio, sententiae sunt variae. Radicem קשה notionem gerere *duri, rigidi* et *solidi*, notum. Hinc מִקְשָׁה, frequenter obvium in descriptione Mosaica vasorum sacrorum, v. g. Exod. XXV, 18. 36. XXXVII, 17. 22. al., reddi solet *opus solidum*, quatenus opponitur *excavato*, Gallico *massif*. Quia autem in illis Pentateuchi locis de *auro* sermo est, plures interpretum vatis nostri מַעֲשֶׂה מִקְשֶׁה indicare existimant ornamentum capitis *auro solido* instructum. Ita LXX: Καὶ ἀντὶ τοῦ κόσμου τῆς κεφαλῆς τοῦ χρυσίου φαλάκρωμα ἕξεις διὰ τὰ ἔργα σου. „Dubium tamen," inquit Schroederus (p. 403.), „utrum ornamenta haec capitis velint tota fuisse ex auro solido, an vero ex quadam fascia, cui aurum illusum. Illud cum moribus veterum, hoc cum significatu, qui alibi voci מִקְשָׁה adscribitur, non satis convenit. Probabilior paulo eorum videtur sententia, qui per מַעֲשֶׂה מִקְשָׁה *opus capillitii* intelligunt *implexi* et *intorti*, quo crines in cincinnos, et hi rursus inter se invicem, arctissime contorquentur, in unum complexum compinguntur, et in *solidam* quasi *massam* constipantur." Ita Gussetius, qui in *Commentarr. L. H.* s. v. קשה Lit. C. dictione hebraica quandam crinium indicari existimat dispositionem, stipatorum in massam, pectine tamen expolitam, nec non unguentis delibutam, quo ostentaretur copia capillorum longe a calvitie aliena; forsan et in speciem augeretur supposito crinium concolorium strato. Ab eo haud multum abludit Joa. Arntzenius, qui in Dissertat. *de colore et tinctura comarum* (Traj. ad Rhen. 1725.) p. 82. de nostra phrasi haec habet: „Hoc de crinium dispositione intelligo. Hae enim crinium plectae elegantissimi ornatus habebantur, quo tempore laetitiae uterentur, ideoque recte calvitiei opponitur, quoniam in captivitate tonsae essent mu-

mulieres.“ Quod ipſum innuit Chaldaeus: חֲלַף אַקְפּוּת פַּתָּא גִּדּוּז רֵישׁ *pro cinctura angulorum* capitis, capillis puta alienis vel fictis, *tonſio capitis.* Similiter Vulgatus: *pro criſpante crine calvitium.* Saadias: بَدَلَ مِنْ عَمَلِ ٱلْمُشْطِ ٱلنَّتْفُ *pro opere pectinis calvities.* Syrus: ܚܠܦ ܓܕܘܠܐ ܩܪܚܘܬܐ, quod a Sionita in Polyglottis male reddi *loco gemmarum inciſiones*, recte monuit Michaelis in *Supplemm:* p. 1680. et ad Caſtelli *Lexic. Syriac.* p. 104., quum vertendum fuiſſet: *pro coma, caeſarie* (id enim Aramaicum בְּלוֹרִיתָא denotat) *calvities.* Schroederus l. c. cum Schultenſio vertit *opus raſile,* collato Arabico قشي *raſit, dolavit,* intelligitque *ſcobem, ramentum,* quo veteres crines ornare ſolebant. Sic de Lampridio imperatore narrat Trebellius Pollio in ejus vita: *crinibus ſuis auri ſcobem adſperſit.* Et apud Hebraeos quoque hoc crines comendi genus uſitatum fuiſſe, colligere licet ex verbis Josephi, *Antiqq.* L. VIII. C. VII. §. 3., ubi, cum ornatum equitum Salomonis deſcribit, haec habet: ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς, τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. *Ramentum vero auri quotidie crinibus ſuis aſpergebant, ut capita, auri fulgore ad radios ſolis repercuſſo, coruſcarent.* Sed quum verbum קָשָׁה non ſolum *durum eſſe,* verum etiam, uti Arabicum قشا, *dolavit, torno elaboravit et in formam aliquam figuravit* ſignificare videatur, unde מִקְשָׁה Exod. XXV, 18. 31. 36. XXXVII, 7. 17. 22., Gesenio monente, *opus tornatile* denotet, malim cum eodem V. D. quod hic legitur מַעֲשֶׂה מִקְשָׁה eadem ſignificatione capere, et de cincinnis artificioſe intortis et eleganter inflexis et criſpatis intelligere. Michaelis l. c. pro מִקְשָׁה omnibus, quibus occurrit, locis legi malit מִקְּשָׁה, cum Dageſch, idque referre ad radicem נָקַשׁ, cujus vis eſt in *fingendo, caelando, laqueando.* Inde מִקְשָׁה Exod. XXV, 18. XXXVII, 7. etc. ſignificare *opus malleatum;* hoc noſtro autem loco translatum eſſe ad crinis formationem

eam,

eam', quae calamiſtro perficiatur, ſuasque crinibus induat figuras. Verum audacius videtur, pro מִקְשֶׁה undecim, quibus occurrit locis, reponere מִקְשָׁה, nec patet, quomodo ex radice נָקַשׁ nomen מִקְשֶׁה *operis malleati*, aut *crinium artificioſe calamiſtratorum* ſignificationem commode accipere poſſit. Verba וְתַחַת פְּתִיגִיל מַחֲגֹרֶת שָׂק reddunt LXX: *Καὶ ἀντὶ τοῦ χιτῶνος τοῦ μεσοπορφύρου περιζώσῃ σάκκον*, quos Syrus ſequitur. Chaldaeus: וְחָלַף דַּהֲוָאָה מְהַלְּכָן בְּגֵיוָה יִסְרָן סַקִּין, *pro eo, quod ambulabant in ſuperbia accingentur ſaccis.* Vulgatus: *pro faſcia pectorali cilicium.* Hieronymus: „Pro *faſcia pectorali*, quam interpretatus eſt Symmachus, LXX: *tunicam μεσοπορφύραν*, id eſt, *clavatam purpuream* transtulerunt, quod Aquila *cingulum exultationis* expreſſit. Theodotio ipſum verbum hebraicum *Phetigil* poſuit, quod genus ornamenti muliebris eſt. Faſcia pectus tegit, et eum poſſidet locum in feminis, quem pectorale in pontificibus." Interpretes haud pauci nomen פְּתִיגִיל compoſitum exiſtimant ex duobus radicibus, פָּתָה, *extendere*, et גָּלַל, *convolvere*, ut indicetur veſtis lata, usque adeo, ut, dum extenſa eſt aliqua ex parte, alia interim ex parte convoluta et ſinuata ſit. Aliis compoſitum videtur ex פְּתִיל גָּלִיל, quod vertunt *contortum convolutum*, et intelligunt vel de *faſcia pectorali*, vel de *vitta rotunda*, *orbiculata*. Neutrum horum apte opponitur *ſacco*. Abarbenel cenſet, vocem eſſe compoſitam ex פְּתִי, *latitudo*, et גִּיל, *gaudium*, ac notare *cingulum pectorale*, quo in ſolemnibus et nuptiis feminae cingerentur. Alii disjuncte ſcribendum exiſtimant פְּתִי גִיל, collato Arabico فَتِيَ, *amplus fuit*, et vertendum, *amplitudo gaudii*, i. e. maximum gaudium, oppoſitum *cincturae ſacci*, magnae triſtitiae ſigno. Eodem ſenſu reddit Michaelis: *ſtatt der Freude ein härenes Trauerkleid.* Schroedero (Cap. IX. §. V, p. 138.) פְּתִיגִיל conflatum videtur ex פְּתִיל, quod non tantum *filum*, ſed et *funiculum* aut *faſciam* ſignificat, ut Exod. XXVIII, 37. (ad quem locum legendus Braunius *de Veſtitu Sacerdotum* L. II. Cap. XXII., ubi illam vocem de latioribus intelligit ligamentis, quales vittae

vittae eſſe ſolent), et ex גִּיל, quod referendum cenſet ad radicem גּוּל, Arabibus جال (pro جَوَلَ), *obire, cingere, circumdare*, ut proprie ſignificetur *faſcia cingens* corpus. Saadias الغلايل (ita enim pro الجلايل, uti in libro edito exſtat, legendum eſſe, recte monuit Geſenius) vertit, quod eſt Pluralis nominis غلالة, *veſtis quae ſubter alia veſte, etiam ſub lorica, induitur*. Sed quum פְּתִיגִיל oppoſitum ſibi habeat שָׂק (de quo ſtatim), veriſimile eſt, illud denotare veſtem quandam elegantem et pretioſam. שַׂק *Cilicium*, anguſtum, ſordidum, et vilius tegumenti genus, quo lugentes ſeſe veſtiebant, vid. Geneſ. XXXVII, 34, et not. noſtr. 58. ad libellum Arvioſianum de moribus Arabum Nomadum. In verbis כִּי־תַחַת יֹפִי vocula כִּי interpretes bene multos haud parum faceſſit, quod eam pro particula haberent. Quidam illam reddunt ut particulam aſſeverativam, hoc ſenſu: *omne hoc, quod dixi, tibi eveniet pro pulchritudine.* Ita Chaldaeus: דָא פּוּרְעָנוּתָא תִתְעֲבֵיד מִנְהוֹן אֲרֵי טְעָאָה בְשׁוּפְרְהוֹן *haec vindicta ſumetur ab iis, quia fornicatae ſunt in pulchritudine ſua.* Quod ſequutus Jarchi: „Nam iſtud conveniens erat, ut eis fieret loco pulchritudinis, qua ſuperbiebant.“ Syrus: ܡܛܠ ܕܡܬܚܒܠܐ ܫܘܦܪܗܘܢ *propterea quod corrumpetur pulchritudo eorum.* LXX et Vulgatus verba כִּי תַחַת non expreſſerunt, יֹפִי vero ad Verſum proximum traxerunt. Alii vero textum h. l. ſive mancum, ſive corruptum judicarunt, et varias propoſuerunt conjecturas illum emendandi, quibus recenſendis non immoramur. Neque enim dubium eſt, כִּי eſſe *aduſtionem*, a כָּוָה, *uſſit, aduſſit*, quod pro כְּוִי poſitum; nam ultima ה, quoties eſt quieſcens, euphoniae gratia pro י et ו ſubſtitui ſolet, vid. Schultensii *Clavem Dialectt.* p. 209. et ejusdem *Inſtitt. ad Fundamm. Ling. Hebr.* Reg. 132. Itaque a כָּוִי ductum nomen כְּוִי, formae פְּקִיד, unde, media ו in quietem data, aſſumtum כִּי. Sic apud Job. XXXVII, 11. רִי, *rigatio*, eſt

a רָוָה

a רְיָה f. רְנֵי, אִי, *insula, regio*, ab אֲוָה f. אֲוֵי, עִי, *acervus*, ab עֲוָה f. עֲוֵי. Plura exempla similis formae apud Arabes adfert Schroederus, p. 406. Idem viderunt jam olim ex Hebraeis interpretes, ab Aben-Esra et Kimchio memorati, qui adagium fuisse observant, geminum illi, quod in Talmude (Cod. Schabbath, fol. 62.) legitur: חלופי שופרא כְּוָאָה, *pro pulchritudine adustio.* Non vero intelligenda adustio faciei per solis calorem, ea enim post poenas, quarum mentio fit in antecedentibus, levior esset. Sed indicatur, ut recte monuit Schroederus p. 407., adustio, quae fit per ignem, vel prunas, vel cauterium. Arabibus كَوِيَ est *cutim ussit cauterio*, et كَيٌّ, *inustum stigma.* Designantur stigmata, ab hostibus crudelibus delicatarum puellarum cuti inurenda: *Hist. Tamerlani*, p. 320., ubi auctor ferocium militum Timuri facinora describit: *latera et terga hominum, ex suavibus lectis protractorum, cauteriis adusserunt* (كووا). Michaelis in *Supplemm.* p. 1220. mallet de stigmate mancipiis inusto cogitare, probante Gesenio, qui observat, ejusmodi stigmata fronti inuri solita fuisse, quod confirmari addit hoc poëmatis cujusdam Arabici loco (in *Excerptis ex Hamasa* p. 364. not.): وكَوَيْتُهُ فَوْقَ النَّوَاظِرِ مِنْ عَلِ *et cauterio eum inussi supra oculos desuper.* Sed loquitur poeta figurate de vulnere, quod adversario in pugna in fronte impegit.

25. מְתַיִךְ בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ *Viri tui gladio cadent.* Gravius malum, quam ornatus amissio, orbitas et viduitas feminarum. Alloquitur vero vates ipsam Zionem, ut supra Vs. 16. מְתִים *Viri*, feminis et parvulis oppositi, vid. Deut. II, 34. XXXIII, 6. Genes. XXXIV, 30. collato Aethiopico מת, *sponsus, maritus.* Jarchi interpretatur *milites, homines bellicosos.* Syrus: ܓܢܒܪܝܟܝ, *fortes tui.* Chaldaeus: שְׁפַר גִּבָּרַיִךְ, *pul-*

pulcherrimi fortium tuorum. LXX: Καὶ ὁ υἱός σου, ὁ κάλλιστος, ὃν ἀγαπᾷς, μαχαίρᾳ πεσεῖται. Vulgatus: *pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent.* Nomen postremum Versus praecedentis ad hunc Versum traxerunt, ut sit: יְפִי מְתַיִךְ. Ge. Lud. Oeder in *Observatt. SS. Syntagm.* (Weissenburg. Noric. 1729. 8.) Observ. I. nomen מְתִים *consummationem,* sive *plenitudinem* significare contendit a verbo תָּמַם, cujus Participium Hiphil sit מֵתַם, pluralis מְתַמִּים, pro quo per apocopen מְתִים dici soleat. Ex illa a se adoptata significatione, quam omnibus, quibus vox hebraea occurrit, locis applicare studet, nostrum locum vertit: *quicquid absolutissimum pulcherrimumque in te est, gladio cadet.* Verum istiusmodi, qualem Oederus statuit, apocopes exemplum geminum aut simile non exstat. וּגְבוּרָתֵךְ בַּמִּלְחָמָה pro eo quod plene esset וּמְתֵי גְבוּרָתֵךְ בַּמִּלְחָמָה יִפֹּלוּ *et viri fortitudinis tuae,* quorum viribus confidebas, *in bello cadent.* Chaldaeus: עָבְדֵי נִצְחָנֵךְ *victores tui in bello.* Ex eo, quod nonnulli veterum verterunt *fortes tui,* Lowthus collegit, eos legisse גִּבּוֹרַיִךְ. Verum, quis non videt, interpretes illos concretum posuisse pro abstracto?

26. Zion sistitur ut femina, omni ornatu spoliata, et viduae instar lugentis humi desidens. Persona ex secunda mutatur in tertiam, ex more poetarum Hebraicorum. וְאָנוּ וְאָבְלוּ פְּתָחֶיהָ *Lugebunt et moerebunt portae ejus,* in omnibus et urbium et domorum portis erit planctus, ut Jarchi recte. אָנוּ ab אָנָה, quod *moerendi, ejulandi* significationem communem habet cum אָנַן, Arabice أَنَّ, *gemuit,* Chaldaice אֲנַן, *tristis fuit.* Cf. infra XXIX, 2. תַּאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה, et אֹנִי Deut. XXVI, 14., quibus nominibus ab אָנָה derivatis *moeroris luctusve* notio inest. Verbum utrumque אָבַל et אָנָה jungitur et infra XIX, 8. *Portae* autem *lugere* dicuntur poetice, ut Thren. I, 4. דַּרְכֵי צִיּוֹן אֲבֵלוֹת, *viae Zionis lugentes.* Chaldaeus: וְיִצְדּוּן וִיסוּפוּן תַּרְעֵי קִרְוַיָא, *et destruentur atque consumentur portae civitatum.* וְנִקָּתָה לָאָרֶץ תֵּשֵׁב *Evacuata in terra sedebit.* נִקָּתָה proprie *purgata,* i. e. inanis,

inanis, incolis exinanita, *erit*. Nam verbum נִקְּתָה, Arabice نقي, universe *puritatis*, hinc *vacuitatis* notionem obtinet, ut *vacuum esse a periculis*, Num. V, 19. coll. 21. sive, *ab labore*, 1 Reg. XV, 22. Deut. XXIV, 5. Amos IV, 6.; unde denique translata est ad illam *vacuitatem*, quae in *vastitate* ponitur. Sic Arabibus quoque استنقي est: *urbem plane expurgare, nihil in ea incolarum vel opum relinquere*; quo significatu illud saepe occurrit in *Historia Timuris*, ex qua multa exempla adduxit Schultensius in *Animadverss. Philologg.* ad h. l.; ubi simul ostendit, Arabes verba خلص et صفي, quae proprie *purum, mundum esse* significant, similiter de *vastatione* et *praedatione urbium* usurpare. Jarchi e Mischna affert similem vocis נָקִי usum in formula: יצא פלוני נקי מנכסיו *exit ille purus*, i. e. vacuus *a facultatibus suis*. Chaldaeus: וְתִתְרוֹקַן אַרְעָא וְתֶחֱרוּב *evacuabitur terra et deserta erit*. LXX: ἐδαφισθήσῃ, quo ipso verbo utitur Lucas XIX, 44. de urbis Hierosolymitanae destructione. Vulgatus: *desolata*. Doederlein reddit: *mulier exhausta*; mavult de *luctu muliebri*, quam de urbis vastatione cogitari. Sunt, qui vertant: *quae se puram et mundam censuit*, ut Jud. XV, 3. וְנִקֵּיתִי *insontem me exhibui*, cf. Jerem. II, 35. Ps. XIX, 14. לָאָרֶץ תֵּשֵׁב, *in terra sedebit*, more lugentium, vid. Job. II, 13. Thren. II, 10. III, 28. In argenteo numo Vespasiani, cuso in memoriam devictae Judaeae, expressa conspicitur mulier in terra sedens, dorsum in palmam reclinans, cum hac inscriptione: *Judaea capta*.

Cap. IV.

1. Hunc Versum male divulsum esse a Capite praecedente, quisque sponte intelligit. Cujus divisionis ineptae Vitringa rationem adfert hanc, quod inter veteres aliqui haec verba in meliorem partem acceperint, per *septem mulieres*, mystice sive *dona Spiritus S.*, sive *feminas*, quae in Christum crediderunt, de quo אִישׁ אֶחָד interpretati sunt, intelligentes. Continuatur descriptio miseri reipublicae status. Maxima erit virorum clades. וְהֶחֱזִיקוּ שֶׁבַע נָשִׁים בְּאִישׁ אֶחָד *Tunc apprehendent septem mulieres unum virum*, „ob viduarum multitudinem plures unum rogabunt virum, ut ipsas uxores ducat," Jarchio explicante. שֶׁבַע, *septem*, i. e. plures; numerus definitus pro indefinito, ut Levit. XXVI, 28. Proverb. XXIV, 16. Zachar. III, 9. חָזַק proprie est *constrinxit*, ut Arab. حزق, et Syror. ܚܙܩ, et הֶחֱזִיק בּוֹ *aliquem adprehendit*, Jud. VII, 8. Job. XXVII, 8. Plena loquutio, cujus exempla exstant Genes. XXI, 18. Job. VIII, 20. infra LI, 18., est: הֶחֱזִיק יָדוֹ בּוֹ, *circumligavit manum suam illi*. בַּיּוֹם הַהוּא, tempore judicii divini, respicit ad Cap. II, 12. III, 25. 26. לַחְמֵנוּ נֹאכֵל וְשִׂמְלָתֵנוּ נִלְבָּשׁ *Panem nostrum comedemus, et vestimentum nostrum induemus*. Non exspectabimus abs te, quae lex a maritis exigit, Exod. XXI, 10. Nullum tibi aut onus aut sumptum afferemus. Illud unum satis erit, si nos ad legitimam thalami societatem admittas, quod his verbis exprimit: רַק יִקָּרֵא שִׁמְךָ עָלֵינוּ, *tantum vocetur nomen tuum super nos*, ut dicamur uxores tuae. Drusius *Animadverss.* L. II. C. 20.

„Vo-

„*Vocetur super nos nomen tuum*; sensus est: cognominemur a te. E. c. Rebecca cognominatur ab Isaaco, cum dicimus Rebecca Isaaci, quae cognominatio eam distinguit ab aliis, plures enim esse possunt. Sic Bethsabea cognominatur ab Uria, cum legimus: Bethsabea Uriae, subintelligitur enim uxor.“ Quale illud Marciae apud Lucanum II, 342. *Da tantum nomen inane Connubii: liceat tumulo scripsisse, Catonis Marcia.* אֱסֹף חֶרְפָּתֵנוּ *Aufer modo opprobrium nostrum.* Summum enim opprobrium feminis est apud Orientis populos, innuptas et steriles manere; vid. Genes. XXX, 23. infra LIV, 4. 5. De verbo אָסַף, proprie *collegit*, hinc, quia quae colliguntur, de loco, unde colliguntur, domum vel alio auferuntur, *abstulit*; ut Genes. XXX, 23. Jerem. X, 17. Ps. LXXXV, 4. al., vid Storrii *Observatt.* p. 36.

2. Laetiora promittuntur, ex more vatum Hebraeorum, quorum interminationes in consolationibus solent desinere. Describitur prosper et florens reipublicae Israeliticae status, postquam ea per judicia divina a malis et improbis purgata fuerit. Per virum quendam eximium, in terra illa natum, religio pristinae suae puritati restituetur. בַּיּוֹם הַהוּא *Die illa*, quae sequetur mala praedicta; populo his calamitatibus purgato, deletis impiis, reliquis emendatis; coll. Vs. 4. יִהְיֶה צֶמַח יְהוָה *Erit germen Jovae*, quo quid sit intelligendum, dissentiunt interpretes. LXX et Syrus צֶמַח *non intelligunt de germinis* propullulatione, sed de *solis ortu*, sub cujus imagine felicem populi Israelitici statum, a Jova ei parandum, expressum fortasse existimarunt: vertunt enim, ἐπιλάμψει ὁ θεός, ܢܗܘܐ ܕܢܚܗ ܠܡܪܝܐ, *erit ortus Domini.* Male; nam צֶמַח semper de *plantarum germinatione* usurpatur. Grotio *germen Domini* primo sensu sunt reliquiae exsulum, quae Esrae ac Nehemiae temporibus domum reversae, laudabilem vitam duxerunt, mystice vero Christus et Christiani. Novos terrae Judaicae incolas post exilium Babylonicum intelligit quoque Voge-

lius.

lius. De *populo Iſraelitico* emendato צֶמַח intelligunt Michaelis, Koppius, alii, quod ille ſaepius ſub *plantae* imagine ſiſtatur, ut infra V, 7. LXI, 3. Pſ. LXXX, 9 — 12. Quaſi hoc dicat vates: ſummotis malis et luxuria diffluentibus civibus novam melioremque exorituram eſſe progeniem. Sic Dathius, qui vertit: *exiſtet germen Jovae ſumme decorum* (ſubſtantiva enim cum praepoſitionibus ל, ב, מ, ut h. l. לִצְבִי, לְכָבוֹד, לְגָאוֹן, ut adjectiva poſſunt verti, cf. infra VII, 23. vid. Glassii *Phil. S.* p. 29. edit. Dath.), et terrae fructus plane egregius, eorum nempe, qui de Iſraelitis evaſerint. Verum *germen Jovae* hoc ipſo Verſu manifeſte diſtinguitur a reliquiis populi Iſraelitici, quod quidem negat Gesenius, qui illorum interpretum ſententiae accedit, quod non ſit neceſſe, ut verba לִפְלֵיטַת יִשְׂרָאֵל ad prius hemiſtichium reſpiciant. Nobis tamen verba Hebraea tam clare dicere videntur, futurum eſſe, ut *germen Jovae* gloriae et decori ſit reliquiis Iſraelitarum, ut vix quidquam planius eſſe poſſit. Nam Dathius quam dedit interpretationem coactam eſſe, haud eſt quod moneamus. Nequit igitur *Iſraelitarum reſiduum* idem quod *germen Jovae* eſſe. Alii dictiones in hoc Verſu poeticas proprie ſumunt, de felici terrae proventu, quo Deus reliquias Iſraelis poſt mala temporum ſuperiorum ſit beaturus. Huic vero interpretationi obſtat totius orationis magnificentia. Nec magis probandi, qui hunc locum interpretantur de Hiskia et ſapientibus viris, qui cum eo ſuperſuturi eſſent cladibus, quibus reſpublica ſub Ahaſo afficienda erat. Loca vero, tam Zachariae, III, 8. VI, 12., quam Jeremiae, XXIII, 5. XXXIII, 15., dubitare nos minime ſinunt, *germinis*, צֶמַח, nomine, ſignificari quendam virum inſignem et illuſtrem, qui cultum Jovanum priſtinae puritati, resque Judaicas antiquae gloriae ſit reſtituturus. Quare nobis certum eſt, cogitaſſe et Jeſajam h. l. de rege illo magno, ſub quo reipublicae ſuae auream aetatem redituram eſſe, Iſraelitae ſperabant. De *Meſſia* hunc locum interpretatus eſt et Chaldaeus: בְּעִדָּנָא הַהוּא יְהֵי מְשִׁיחָא דַיְיָ לְחֶדְוָה וְלִיקָר *in tempore*

illo

illo erit unctus Jovae in gaudium et gloriam. KIMCHI: „*Germen Jovae* intelligendum de Messia, filio Davidis, uti dicitur Jerem. XXIII, 5. וַהֲקִמֹתִי לְדָוִד צֶמַח צַדִּיק *suscitabo Davidi germen justum.* לִצְבִי significat *desiderium*, aut *decorem* et *ornamentum*, ut Ezech. XX, 6. Jesaj. XXVIII, 5. Et פְּרִי הָאָרֶץ [in altero Versus hemistichio], *fructus terrae*, itidem de Messia dicitur, qui initio germinis erit instar pulchri, cujus adspectu gaudeant homines, cum vero eo pervenerit, ut fructus ferat, majus ab eo emolumentum capiant, magisque eo laetentur. Ita erit rex Messias; principio eo gaudebunt; postquam vero opera patraverit, belloque vicerit Gogum et Magogum, atque terram quietam et tranquillam reddiderit, universus terrarum orbis eum reverebitur. Tum erit לְגָאוֹן וּלְתִפְאֶרֶת, *sublimitati et decori* Israelitis, quia superbient et gloriabuntur eo super omnes gentes.“ Benè DOEDERLEIN hujus Versus sensum expressit: „Tum progenies Jehovae decora erit et illustris, et viro, hac patria nato, tanquam eximio decore, gloriabuntur superstites Israelitae.“ לִפְלֵיטַת יִשְׂרָאֵל pro לִפְלִיטֵי יִשְׂרָאֵל, abstracto posito pro concreto, *evasoribus*, i. e. residuis (cf. infra X, 20. XXXVII, 31. Genes. XXXII, 9.) *Israelitis*, exstinctis malis et improbis. Kimchi confert locum Zeph. III, 11. 12. *Tunc ex te removebo tui fastus protervos, et in te humilem tenuemque populum relinquam, qui Jovae nomini confidant.*

3. Describitur status populi, illius regis aetate. וְהָיָה — יֵאָמֶר לוֹ *Et futurum est*, quod attinet unumquemque *qui reliquus* erit *in Zione, et qui superstes erit Hierosolymis, sanctus vocabitur. Zionem* et *Hierosolymam* ut caput regni meminit. קָדוֹשׁ *Sanctus*, i. e. Deo peculiari modo consecratus, pius, qualis esse debebat gens Israelitica ex mente ejus, qui illius populi religionem instituerat, Exod. XIX, 6. יֵאָמֶר לוֹ *Dicetur ei*, s. *de eo*, *vocabitur*, *omnis adscriptus vivis Hierosolymis*, i. e. erit, consequens pro antecedente, ut infra XLVII, 3. 7. LVI, 7. כָּל־הַכָּתוּב לַחַיִּים

לַחַיִּים בִּירוּשָׁלָם, quicunque in vivis tum superesset. Solebant civium nomina apud Hebraeos in censum referri seu catalogum, vid. Exod. XXXII, 32. Ps. LXIX, 28. Ezech. XIII, 9. (ad quem loc. vid. not.) Dan. XII, 1.

4. אִם רָחַץ אֲדֹנָי אֵת צֹאַת בְּנוֹת־צִיּוֹן *Quando abluerit Dominus sordes filiarum Zion*, fient ista, postquam Deus populum suum longa calamitate expurgaverit. Zacharias XIII, 1. fontem Hierosolymis ait aperiendum pro emundanda impuritate criminibus contracta. אִם, *Quum*, vel, *quando*, Genes. XXXVIII, 9. Levit. II, 14. Num. XXXVI, 4. Bocharto (*Hieroz.* P. II. p. 247.) aliisque est affirmantis, ut infra XXIX, 16. Ps. LIX, 16. LXIII, 7. צֹאַת plerique interpretes derivant a יָצָא, *exivit*, vertuntque, *excrementa*. Michaelis vero in *Supplemm.* p. 1240. vocem illam mavult referre ad Syriacum ܨܐܐ, *foedavit*, unde ܨܐܝܐ, *foeditas*, *turpitudo*, et צוֹאָה vertit *sordes*. Intelliguntur vitia idololatriae et superstitionis. בְּנוֹת צִיּוֹן, *Filias Zionis* intelligunt plures h. l. oppida minora, quae ab Orientalibus ut filiae matris, metropoleos, sistuntur, vid. Jos. XVII, 16. 1 Paral. XVIII, 1. Sed videtur vates proprie mulieres Hierosolymitanas intelligere, quarum fastum et luxuriam supra III, 16—24. descripsit. Gesenius per synecdochen et viros comprehendi putat. וְאֶת־דְּמֵי יְרוּשָׁלַםִ יָדִיחַ מִקִּרְבָּהּ *Et quando sanguines Hierosolymae abluerit e medio ejus*, quod bene Chaldaeus interpretatus est: וְיַת אֲשִׁיד דַּם זַכַּי דְּבִירוּשְׁלֶם יְגַלֵּי מִגַּוָּהּ *et effundentem sanguinem innocuum Hierosolymae, ex ea removerit*. Verbum דוח de altaris ablutione legitur Ezech. XL, 38. 2 Paral. IV, 6. Sed Jerem. LI, 34. *ejiciendi* notionem habet. „Nempe Arabibus,“ inquit Michaelis *Supplemm.* p. 414., „داخ *vilis fuit*, ab *eluendo*, ut puto, ducta significatione, ut proprie purgamenta signific..., indeque in conjugatione sexta *abjecit*.“ Quae significatio et nostro loco idonea est. בְּרוּחַ מִשְׁפָּט *Spiritu judicii*, i. e. judicante, quo bonos a malis discernet, et utrisque pro meritis rependet.

Quo

Quo ſenſu haec ipſa phraſis infra XXVIII, 6. recurrit. Chaldaeus: בְּמֵימַר דִּין, *verbo judicii.* Jarchi: *per caſtigationes.* וּבְרוּחַ בָּעֵר quidam interpretantur: *et ſpiritu ardoris,* quo ſignificatu vox בָּעַר infra XL, 16. legitur. Sic jam LXX: Καὶ πνεύματι καύσεως, et Vulgatus: *et ſpiritu ardoris.* Cogitant nonnulli de *vento urente,* קָדִים alias dicto, qui vi ſua omnia citiſſime rapit ac conſumit; ut ſit repentinarum belli tempeſtatum imago, prophetis familiariſſima. Praeſtat tamen, בָּעֵר h. l. *auferendi, eliminandi* notione capere, quam pluribus locis obtinet, v. c. Num. XXIV, 22. Jud. XX, 13. 1 Reg. XXII, 47. Chaldaeus: וּבְמֵימַר גְּמִירָא *et per verbum conſummationis,* ſ. *conſumtionis.* Jarchi בָּעֵר poſitum obſervat pro לְבַעֲרָם, *ad auferendum eos.*

5. Quo facto numen denuo praeſens aderit, populumque ſibi ſanctum tuebitur. Quam ſententiam vates hoc et ſequ. Verſu duabus exprimit imaginibus. Prior eſt deſumta ab itinere Iſraelitarum per deſerta Arabiae, ubi Jova nube diurna et luce nocturna tum praeſentiam ſuam declaravit, tum peregrinantibus tutelam adverſus coeli injurias praeſtitit. וּבָרָא — לָיְלָה *Creabitque Jova in omnes Zionis montis ſtationes atque conventus nubem interdiu fumumque, noctu autem flammantis ignis ſplendorem,* ut olim Exod. XIII, 21. XIV, 20. XL, 38. מָכוֹן ceteris quidem, quibus occurrit, locis, *locum firmum, baſin,* ſignificat; hic vero videtur ſimpliciter *locum* denotare, ut Arabum مَكَان. Nempe verbum כּוּן inter alia ſignificat, *rectus ſtetit:* ut ergo a קוּם, *ſtando,* מָקוֹם, *locus,* ita a כּוּן noſtrum מָכוֹן idem ſignificat. Vocula כֹּל in nonnullis codicibus Kennicotti omiſſa, in uno vero Kennicottiano codice et in Alexandrina verſione ante מִקְרָאֶהָ poſita eſt; id quod probat Lowthus, quod מָכוֹן idem atque הַר־צִיּוֹן, nec niſi unus mons Zionis ſit. Sed quis non videt, מָכוֹן eſſe collective capiendum? מִקְרָא plerumque quidem ſignificat *coetum populi ad feſtum celebrandum convocatum,* ut Levit. XXIII, 3. 7. 8. 24. 27. hic vero, docente nexu orationis, *locum,* ubi talis coetus

 ſolet

solet convenire. Suffixum ה pertinet ad montem Zion. Pro מִקְרָאֶהָ libri multi, et manuscripti, et impressi, legunt in plurali: מִקְרָאֶיהָ. Nomine עָשָׁן Kimchi *nubem densam* significari ait. נֹגַהּ proprie est *aurora*, coll. Syr. ܢܓܗܐ, vid. Prov. IV, 18. infra LX, 3. LXII, 1., hinc *resplendescentia*, ut Ezech. I, 4. XIII, 27. Habac. III, 4. Hieronymus: „Cum ille venerit, reddetur populo felicitas pristina, quam aliquando habuere in eremo, praecedente Domino eis per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut nec in prosperis, nec in adversis aliquando turbentur." כִּי עַל־כָּל־כָּבוֹד חֻפָּה *Nam super omni gloria*, re gloriosa, magnifica, *protectio*. Sensus est, Jovam populo suo defensionis auxilium praestiturum; plane ut res excellentiores, in quibus decoris quid et pretii majoris est, ne quid vitii iis accidat, operiri solent et obtegi. Nomen חֻפָּה, a חָפַף, Arabice حفّ *operuit, velavit*, unde חֹפֵף Deut. XXXIII, 12. *protegens*, ceteris duobus, quibus in V. T. occurrit, locis, Ps. XIX, 6. Joel II, 16. de *tegmine nuptiali* dicitur Judaeis usitato, quod novos conjuges in consecratione tegit, et quatuor perticis gestatur (vid. C. L. Hoheisel *Observatt. philologg. exegett. in nonnulla Esajae loca*, p. 40.), hoc vero latius de tegumento, obtectione in universum ponitur. Kocherus vertit: *supra omnem gloriam erit protectio illa*, ut talis חֻפָּה promittatur, quae omnem antea cognitam speratamque gloriam excedat. In eundem modum Chaldaeus: אֲרֵי יַתִּיר מִן יְקָרָא דַּאֲמִיר לְאַיְתָאָה עֲלוֹהִי שְׁכִינְתָּא תְּהֵי מְגַנָּא עֲלוֹהִי בִּגְנִין *quoniam majore gloria, quam se super eum adducturum dixerat, majestas sua erit protegens super eum cum operimento.* Lowthus, lineolam Makkaph כָּל inter et כָּבוֹד perperam positam censens, et כָּבוֹד intelligens de *gloria Dei*, quod saepe pro *Deo ipso* ponitur (vid. not. ad Exod. XXXIII, 18.), vertit: *quin super omnia numen tegmen erit* (*ja, für alles soll die Gottheit ein Schirm seyn*). Verum כָּבוֹד simpliciter positum, nusquam *gloriam Dei* significat. Nec perspicio, quomodo Lowthus, salvis regulis gram-

grammaticis, idem illud כָּבוֹד eodem ſenſu ad Verſum ſequ. trahere, *ὡς ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*, idque ibi ſubjectum, סֻכָּה autem praedicatum facere potuerit, ita ut תִּהְיֶה, verbum femininum, non ad nomen ſuum, ut oportebat, סֻכָּה, ſed ad כָּבוֹד, ipſumque adeo Deum referatur.

6. Imago altera (cf. not. ad Vs. 5. ſub init.), qua exprimitur cura ſingularis, qua Jova populum ſuum tuebitur, deſumta eſt a tabernaculis et tuguriis, quibus paſtores utuntur adverſus coeli injurias. וְסֻכָּה תִּהְיֶה לְצֵל־יוֹמָם מֵחֹרֶב *Sitque umbraculum ad opacandum interdiu adverſus aeſtum.* Eaedem imagines recurrunt infra XXV, 4. XXXII, 2. Kimchi: „Ipſa illa protectio erit eis pro umbra interdiu, ne percutiat eos ſol et aeſtus." Chaldaeus: וְעַל יְרוּשְׁלֶם תְּהֵי מְטַלַּח עֲנָנֵי לְאַטְלָלָא עֲלַהּ *et ſuper Hieroſolymis obumbrabit nubibus, ut ſit umbra ſuper eam.* Sunt, qui reſpici exiſtiment ad Iſraelitarum per Arabiae deſerta iter, quo ſub umbraculis degebant; vid. Levit. XXIII, 43. וּלְמַחְסֶה וּלְמִסְתּוֹר מִזֶּרֶם וּמִמָּטָר *Et ad receptaculum atque operimentum contra nimbos et pluvias.* זֶרֶם eſt *imber*, nec vero foecundus, terraeque ſitienti exſpectatus, ſemper enim in malam partem ponitur, ſed *frigidus*, omnia evertens, vid. infra XXV, 4. XXXII, 2. Cf. Michaelis *Supplemm.* p. 648.

Cap. II, 1. *Effatum quod edidit Jeſajas, Amozi filius, de Judaea et Hieroſolyma.*

2. *Fiet poſtremis temporibus, ut fixus ſit aedis Jovae mons in culmine montium, et collium editiſſimus, confluentque ad eum gentes omnes.*

3. *Et venient multi populi, atque ita dicent: agite, aſcendamus ad montem Jovae, ad aedem Dei Jacobaeorum, qui nos de ſuis viis erudiat, ut ejus ſemitis gradiamur. Nam ex Zione lex, ex Hieroſolyma Jovae diſciplina proficiſcetur.*

4. *Ille gentibus jus dicet, multisque populis arbiter exiftet, ita ut cudant ex fuis enfibus vomeres, et ex lanceis falces, neque gentes aliae aliis arma inferant, neque amplius bella difcant.*

5. *O Jacobea domus! agite, gradiamur in luce Jovae.*

6. *Tu enim tuum populum, Jacobeam domum, deferis, quod funt Orientalibus repleti, et hariolis ut Philifthaei, atque dextras jungunt cum exteris.*

7. *Eorum terra argento et auro fic eft referta, ut fint eorum thefauri infiniti, adeoque equis eft plena, ut nullus fit curruum modus.*

8. *Terra eorum repleta eft divis; fuarum manuum opus adorant, quod ipforum fecere digiti.*

9. *Verum deprimentur homines, dejicientur viri, nec tu eis ignofces.*

10. *Ingredere in rupem, abfconde te in terram ob Jovae terrorem, et ejus excelfitatis majeftatem.*

11. *Deprimentur hominum fuperbi oculi, humanaque deturbabitur excelfitas, et folus Jova extolletur illa die.*

12. *Nam Jovae, Dei agminum, dies talis erit in omnia fublimia atque alta, in omnia elata, ut deprimantur,*

13. *In omnes proceras altasque cedros Libani, in omnes Bafanis ilices,*

14. *In omnes arduos montes, in omnes editos colles,*

15. *In omnes excelfas turres, in omnes munitos muros,*

16. *In omnes Tarfifenfes naves, et in omnia quibus delectatur adfpectus.*

17. *Atque ita dejicietur mortalium celfitudo, humanaque deturbabitur altitudo, et folus Jova extolletur illa die,*

18. *Deaftrique prorfus peribunt.*

19. *Itaque ingredientur in rupium cavernas, et in terrae voragines ob Jovae terrorem, et ejus excelfitatis majeftatem, cum ad orbem concutiendum confurget.*

20. *Tum quidem abjicient homines fuos argenteos aureosque deos, quos ipfi fibi fecerint colendos, in talparum foramina,*

21. *Ut subeant in antra petrarum, et in praerupta rupium, ob Jovae terrorem, et ejus excelsitatis majestatem cum ad orbem concutiendum consurget.*

22. *Desinite hominem, qui flatum habet in naribus; nam quanti est?*

Cap. III, 1. *Etenim Dominus, Jova, agminum Deus, ablaturus est Hierosolymae et Judaeae omne fulcrum et praesidium, omne adminiculum cibi et potionis,*

2. *Milites et bellatores, judices et vates, divinos et senatores,*

3. *Centuriones et auctoritate praeditos, et consiliarios, et prudentes artifices, et dicendi peritos;*

4. *Eisque pueros dabo principes, et eos infantium imperio subjiciam.*

5. *Itaque inter se factiones alii in alios facient, insolescent juvenes in senes, et ignobiles contra nobiles.*

6. *Fietque ut qui fratrem suum in domo paterna se continentem ita compellent: est tibi vestitus; esto noster gubernator, et huic ruinae suppone manum.*

7. *Ac tum ille quidem sic referet: non ego is ero, qui isto malo medear; nolite me, qui neque victum domi, neque vestitum habeam, constituere populi gubernatorem.*

8. *Nam ruit Hierosolyma et cadit Juda, quoniam lingua et facta eorum contraria sunt Jovae, in gloriosos ejus oculos rebellando.*

9. *Eorum vultus indicium eos incusat, suumque ipsi peccatum, ut Sodomaei, ostentant, nihil velantes. Ah miseri! luent enim suum scelus.*

10. *Felices praedicate pios! nam suorum operum fructum percipient.*

11. *Vae sceleratis impiis! nam praemia digna suis factis accipient.*

12. *Mei populi magistratus infantes sunt, eisque mulieres imperant. O mi populus, tui rectores sunt seductores, tuarumque rationum viam pervertunt.*

13. *Adest*

13. *Adest ad litem intendendam Jova, praesto est ad judicandum de populis.*

14. *Jova in judicium venit contra sui populi senatores et principes. Vos vineam depascitis; spolia calamitosorum domi vestrae sunt.*

15. *Quid quod meos opprimitis, et miserorum facies obtunditis? inquit Dominus, Jova, agminum Deus.*

16. *Tum haec inquit Jova: quoniam superbiunt Zioniae mulieres, et exporrecta cervice incedunt, lascivis oculis, ingressu molli, pedibus compeditae.*

17. *Glabrabit Dominus Zioniarum verticem, Jova earum verenda deteget.*

18. *De illa Dominus ornamentorum decus auferet, bullas solares, lunulas;*

19. *Inaures, armillas, pepla,*

20. *Tutulos, crurales catenas, cingula, olfactoriola, serpenticulos,*

21. *Annulos, frontalia,*

22. *Chlamydes, pallia, loculos,*

23. *Pellucidas vestes, subuculas, flammea;*

24. *Eritque pro odoribus foetor, pro cingulo funiculus, pro calamistrato capillo glabretum, pro tenui interula amictus centonis, adusta cutis pro pulchritudine.*

25. *Tui viri ferro, tui milites bello occumbent.*

26. *Lugebunt et moerebunt portae ejus; evacuata humi sedebis.*

Cap. IV, 1. *Eo tempore septem feminae virum unum prehendent, atque ita dicent: nos sumtu nostro vivemus atque vestiemur, tantum a te denominemur, nostrumque dedecus aboleas.*

2. *Eo tempore erit Jovae germen nobile et gloriosum terraeque fructus gloriae et decori elapsis Israelitis.*

3. *Et qui in Zione et Hierosolyma reliqui superfuerint, ii sancti dicentur, videlicet omnes Hierosolymae vivis adscripti,*

4. Cum

4. *Cum abluerit Dominus sordes Zioniarum, et Hierosolymae caedes ex ea abegerit spiritu aequitatis et spiritu abigente.*

5. *Creabitque Jova in omnes Zionis montis stationes et conventus nubem interdiu fumumque, noctu autem flammantis ignis splendorem; adeo ut omne protegatur gloriosum,*

6. *Sitque umbraculum ad opacandum interdiu adversus aestum, et ad receptaculum atque operimentum contra nimbos et pluvias.*

III.

C a p. V.

A R G U M E N T U M.

Hic novam pericopam incipere, oftendit infcriptio, Vs. 1. In hac quoque oratione, ut in fuperioribus, vates fcelera et mores corruptos populi Ifraelitici caftigat, poenasque divinas minatur. Primum populus Ifraeliticus fiftitur fub imagine vineae, a vinitore in fertili folo plantae, cultae providaque et liberali cura confervatae, fed in edendis fructibus domini fui exfpectationem deludentis; eamque ob cauffam omni influxu coelefti, et cura atque cuftodia vinitoris privandae, ac penitus diruendae. Cujus fabulae fignificationem vates Vs. 7. ipfe exponit. Tum fingula populi fcelera perftringit, veluti avaritiam et rapacitatem (Vs. 8 — 10.); intemperiem, luxuriam, temeritatem et inconfiderantiam (Vs. 11 — 17.); ratiocinia improba, quae fuadent peccandi licentiam (Vs. 18. 19.); everfionem omnium veri et jufti legum (Vs. 20.); vanam fiduciam, quam in ingenio et viribus fuis ponunt (Vs. 21.); temulentiam et injuftitiam (Vs. 22.). Denique horum fcelerum et criminum poenas denunciat (a Vs. 24. usque ad fin.).

Tempus quod attinet editae hujus prophetiae, videtur circa idem fere tempus, quo ea quae proxime praeceffit, id eft, fub finem regni Ufiae, vel in Jothami initiis edita effe. Nam quo tempore vates hanc concionem habuit, flo-

rebat

rebat adhuc ſtatus Judaeae (Vs. 8.); proceres populi Judaici indulgebant luxui tanquam ſtatu tranquillitatis et ſecuritatis publicae; affluente omni bonorum copia (Vs. 11. 12.), quin proſperis rebus intumeſcentes vatum praedictiones de poenis divinitus iis infligendis deridebant (Vs. 19.). In vitiis et criminibus populi nulla mentio idololatriae, quae Uſia et Jothamo regnantibus ſingulorum quidem delictum fuerit, ſed non publice viguit. Accedit, quod in hac prophetia Verſu 15. eadem plane verba, quae ſuperiore II, 9. 11. ſeqq. leguntur, repetita deprehendimus.

Haec concio in linguam vernaculam translata et explicata a J. G. Eichhorn legitur in Anthologia, cui epigraphe: *Blumen althebräiſcher Dichtkunſt*, p. 378. ſeqq., et in *den bibliſchen Propheten*, P. I. p. 45. ſeqq.

1\. אָשִׁירָה נָּא לִידִידִי שִׁירַת דּוֹדִי לְכַרְמוֹ *Cantabo nunc pro dilecto meo canticum dilecti mei de vinea ejus*, i. e. canam amici mei vice canticum ejus de vinea ſua; ſive: illud proferam canticum, quod ipſe amicus meus vineae ſuae occinere ſolet. נָא Hebraei h. l. עַתָּה, *jam, nunc*, ſignificare obſervant. לִידִידִי interpretum plures reddunt *de meo amico*, ל eodem, quo ſtatim ante כַּרְמוֹ ponitur, modo, *de*, ſumto. Sed Jarchi explicat: תחת ידידי ובמקומו ובשליחותו *pro amico meo, et loco ejus, et mandato ejus* explicat, adducto loco Exod. XIV, 14., ubi particulae ל idem uſus: יְהוָה יִלָּחֵם לָכֶם *Jova pro vobis pugnabit, dum vos quieſcetis.* Nam Verſibus 3—6. vatis amicus, i. e. Jova, loquens inducitur. שִׁירַת דּוֹדִי pro שִׁירָתוֹ, nomen antecedens ponitur loco pronominis, ut ſaepe, veluti 1 Reg. XIII, 9. צִוָּה אֹתִי בִּדְבַר יְהוָה *Praecepit mihi* (Jova) *mandato Jovae*, i. e. id injunxit mihi Jova mandato ſuo. Vid. et Geneſ. IV, 23. IX, 6. Num. XXVII, 11. 1 Reg. IX, 1. Verba שִׁירַת דּוֹדִי Koppius vertit *carmen triſtitiae meae*, i. e. carmen lugubre, conferens Syrorum ܕܘܘܕܐ, *perturbatio*. Lowthus contra legit

legit דודים vertitque, *carmen amabile;* parum apte hujus carminis argumento, ex meo quidem sensu. Neque est nomini significatio tribuenda plane nova, quum דוד alias saepe vel *patruelem* notet, vel idem sit, quod יְדִיד, *dilectus, amicus,* ut saepissime in Cantico, e. c. I, 13. 14. II, 16. etc. Verba דוד et יָדַד (Arabice ودّ) communem *amandi* significationem habent, ut יָשַׁע et שׁוּעַ utrumque *auxilium, salutem.* ל nomini כַּרְמוֹ praefixum *super, de* notat, על עסקי כרמו, *de rebus, negotiis vineae ejus,* ut Jarchi ait, quemadmodum Genes. XXVI, 7. וַיִּשְׁאֲלוּ אַנְשֵׁי הַמָּקוֹם לְאִשְׁתּוֹ, *interrogarunt viri loci illius de uxore ejus.* Cf. Storrii *Observatt.* p. 284. Kimchi: „Verba prophetae, allegoriam proponentis, in qua Israelem vocat vineam, Deum vero, dominum vineae." Similiter populus Israeliticus *vitis* imagine, ex Aegypto in Palaestinam transplantatae imagine sistitur Ps. LXXX, 9. seqq. Jerem. II, 21. Chaldaeus videtur לידידי de *Israele* intelligere; sic enim vertit hemistichium hoc prius: אֲמַר נְבִיָא אֲשַׁבְּחֵיה כְּעַן לְיִשְׂרָאֵל דְּמַתִּיל לְכַרְמָא זַרְעֵיה דְּאַבְרָהָם רְחָמִי תּוּשְׁבַּחַת רְחָמִי לְכַרְמֵיה *dixit propheta: cantabo nunc Israeli, qui comparatus est vineae, semini Abrahami, dilecti mei, carmen dilecti mei, vineae suae.* Verum ex iis, quae sequuntur, manifestum est, *dilecti sui,* יְדִידִי, *amici,* nomine vatem dominum vineae, id vero est, Deum, indicare. כֶּרֶם הָיָה לִידִידִי בְּקֶרֶן *Vinea erat amico meo in cornu,* i. e. in loco editiore, qui *cornu* appellatur, quia id altissimam constituit partem animalis. Ut Syris id nomen denotat *extremitatem,* v. c. vestis, Matth. IX, 20., et lintei, Act. XI, 5.; ita Arabibus quoque قرن non tantum est *tractus et extremitas terrae,* sed etiam *vertex montis,* item parvus mons, ab aliis seorsim extans, aut *pars montis ab aliis divisa,* quod huc prae ceteris quadrat. Graecis quoque κέρας dicitur de *montibus* et *promontoriis.* Proponit vates illa omnia, quae et opportunissima, et paene summa spectari solent a solerti et sollicito agricola in plantanda

tanda vinea. Primum ex rei rusticae disciplina, ut pro vinearum satu locus eligendus sit sublimis. Ita VIRGILIUS *Georg.* II, 113. *Apertos Bacchus amat colles.* Et ipsa docet experientia, nobiliorem esse vindemiam ex altis collibus, locisque patentibus, quam ex campo ac valle. KIMCHI: „Appellat autem terram Israelis *cornu*, quia elatior est ceteris omnibus terris, quemadmodum cornu elatius est universo corpore.“ Montosam regionem esse Palaestinam, notum; cf. Deut. XI, 11. Quum autem non omnis collis sationi vitium opportunus sit, quia sterili est interdum et infelici solo, ideo addit בֶּן־שָׁמֶן *filio olei*, i. e. pingui, fertili. Hebraei enim ob penuriam vocabulorum, adjectiva sola terminatione exprimentium, saepe voce בֵּן ad ea exprimenda utuntur. Sic בְּנֵי־חַיִל (Deuter. III, 18. 2 Sam. II, 7. 1 Reg. I, 52.) sunt *robusti*; בְּנֵי־בְלִיַּעַל (Deut. XIII, 13.) *impii*, בְּנֵי־שָׁחַץ (Job. XXVIII, 8.) *feroces*; בְּנֵי־גָלוּתָא (Dan. II, 25.) *exules*. שֶׁמֶן, ut Arab. سمن, proprie *oleum pinguissimum*, deinde omne *pingue*, denique omnino *fertilitatem* designare, ut Deut. XXXII, 13., notum est. Ita JARCHI: „In angulo terrae proferente fructus pingues instar olei praestantis.“ Addit aliam interpretationem: „in angulo terrae, qui convenit oleis, quae oleum proferant, quemadmodum בֶּן־מָוֶת, *filius mortis*, est is, qui morti addictus.“ Et sunt ex nostris interpretibus, qui, quod terra Hebraeorum etiamnunc abundet oleo, dictione בֶּן־שָׁמֶן tractum terrae olivis consitum indicari existiment. Huc referendus Symmachus, qui ἐν μέσῳ ἐλαιῶν vertit. Cepit בן defective scriptum pro בֵּין, ut Ezech. X, 2. מִבֵּנוֹת לַכְּרֻבִים, *e medio Cherubinorum*. Cf. BUXTORFII *Anticrit.* p. 697. Sed quum hoc loco de *vineae* tantummodo plantatione sit sermo, retinenda prior interpretatio. Dicit igitur vates, plantatam esse vineam in loco sublimi, cujus gleba esset felix, et uber, et ad proventum copiosum idonea. KIMCHI: „Appellat pariter terram Israeliticam *filium olei*, juxta illud, quod Exod. III, 8. dicitur *terra lacte fluens et melle.*“

melle.“ Hieronymus: „Revera nihil terra repromiſſionis pinguius, ſi non montana quaeque atque deſerta, ſed omnem illius latitudinem conſideres, a rivo Aegypti usque ad flumen magnum Euphratem contra Orientem; et ad ſeptentrionalem plagam usque ad Taurum montem et Zephirium Ciliciae, quod mari imminet.“ Chaldaeus: עַמִּי חֲבִיבִי יִשְׂרָאֵל יַהֲבִית לְהוֹן אַחֲסָנָא בְּטוּר רָם בְּאַרְעָא שְׁמֵינָא *populus meus dilectus Iſrael, dedi eis hereditatem in monte excelſo, in terra pingui.*

2. וַיְעַזְּקֵהוּ LXX: *Φραγμὸν περιέθηκε.* Vulgatus: *et ſepſit eam.* Convenit Jarchi: „Sepimento ac muro munivit eam (vineam) circumquaque ad inſtar annuli, qui Chaldaice עִיזְקָא dicitur.“ Ita et Kimchi in Commentar. ad h. l. noſtram vocem interpretatur עָשָׂה גָּדֵר סְבִיבוֹתָיו, *facit murum circa eam,* qui ambiat eam ſicut annulus, טַבַּעַת, pro quo Exod. XXXV, 22. Chaldaeus עִיזְקָא poſuit. „Qui enim vult plantare vineam, primum ſepit eam, ne ingrediatur beſtia, et plantas corrumpat.“ Sed in Lexico idem Kimchi noſtram vocem exponit חֲפָרָהוּ, *fodit eam,* loco quodam e Talmude allato, quo עָזַק ea ſignificatione occurrit: והלך בשדה ומצאו יושב עוזק תחת הזיתים *exivit in agrum invenitque eum ſedentem, fodientem ſub oleis.* Arabibus quoque عَزَقَ (quo ipſo verbo h. l. utitur Saadias) eſt *fodere terram lapidoſam,* unde مِعْزَقٌ, eſt *inſtrumentum, quo terra aperitur, ubi aratro non eſt locus,* nempe cum lapidoſa eſt terra. Vid. Schultensii *Animadverſſ. Philologg.* ad h. l. Quae ſignificatio, et Geſenio adoptata, hic quidem bene convenit, ſtatim enim ſubjungitur: *elapidavit eam:* primo terram ſiderat, ut lapides erui facilius poſſent, deinde eos abſtulit. Cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1880. Mallem tamen ob Verſum quintum, quo diſerte *ſepis,* qua vinitor circumdederit vineam, ſit mentio, priorem illam, eamque vetuſtiſſimam, dictionis וַיְעַזְּקֵהוּ interpretationem retinere. וַיְסַקְּלֵהוּ *Et lapides ejecit ex illa,* ut

ut recte Hieronymus. סַקֵּל enim, ut ex Syriaco ejus uſu, itemque Arab. سقل et صقل patet, proprie eſt *nitidum effecit, polivit,* et in Piel, *diligenter purgavit, vacuum fecit,* peculiariter a lapidibus, ut infra LXII, 10. סַקְּלוּ מֵאֶבֶן. Vid. Storrii *Obſervatt.* p. 197. not. et Michaelis *Supplemm.* p. 1805. Quippe haec eſt debita culturae vineae pars, et quidem novae, cui nihil curarum non adhibitum affirmatur, ut lapidibus purgetur. Columella *de Arbor. ſat.* C. 3. *Saxa, ſumma parte terrae, et vites et arbores laedunt; imu parte refrigerant.* Non ſunt audiendi, qui, uti Doederlein et Koppe, סִקֵּל interpretantur de *muro ex lapidibus facto,* vineaeque circumdato, praeeuntibus LXX et Syro (ἐχαράκωσα, ܐܚܕܪܗ ܣܝܓܐ). Quae ſignificatio non modo nullo firmari poteſt exemplo, verum et plane eſt inepta loco LXII, 10. וַיִּטָּעֵהוּ שֹׂרֵק *Et generoſa vite eam conſevit.* שֹׂרֵק enim, bis praeter hunc locum obvium, Geneſ. XLIX, 11. Jerem. II, 21., Jarchio notante ſignificat *vites, quae ceteris palmitibus praeſtantiores ſunt ad plantandum.* Cf. not. ad laudat. Geneſeos loc. Hieronymus: „*Et plantavit eam vineam Sorec,* quam ſolus Symmachus *electam* [ἐκλεκτὴν] interpretatus eſt, non verbum e verbo, ut mihi videtur, exprimens, ſed ſenſum, qui tenetur in verbo. Ajunt enim Hebraei, *Sorec* genus eſſe vitis optimae, quod uberes fructus faciat atque perpetuos. Denique Sorec a quibusdam καλλικάρπος interpretatur, quod nos in *pulcherrimos fructus* vertere poſſumus.“ וַיִּבֶן מִגְדָּל בְּתוֹכוֹ *Aedificavit in ea turrim,* cuſtodiae et defenſionis ergo; πύργος dicitur Matth. XXI, 33., quales et Romanos in villis habuiſſe conſtat ex Livio XXXIII, 48. Apud Talmudicos שומירה בכרם *ſpecula vineae,* unde nempe cuſtos ad omnes illius terminos proſpicere poſſit. Schulzius quoque, per eam Palaeſtinae regionem, quae olim tribus Judae erat, iter faciens, in omnibus fere vineis ejusmodi turres ſe vidiſſe narrat, *Leitungen des Höchſten.* P. V. p. 128. Vide quoque Harmeri *Obſervatt. ſuper Oriente.* P. II. p. 273. ſeq. וְגַם־יֶקֶב

חָצֵב

חָצֵב בּוֹ *Etiam lacum torcularem excavavit in ea.* יֶקֶב collato Arabico وقب, *depressus fuit in cavitate sua,* unde وقب, *scrobs,* sive *fovea in monte vel saxo, in qua restagnat aqua,* item *puteus aquae in petra existens unius aut alterius orygae,* unde significatio *lacus torcularis,* quam haec vox apud Hebraeos tantummodo habet, quae vero indubitata est, si conferamus 2 Reg. VI, 27. Hos. IX, 2. Hagg. II, 16. Jerem. XLVIII, 33. Proverb. III, 10. Jarchi: „יֶקֶב significat locum, qui est ante torcular, s. *torculari,* לְגַּת, in quo calcantur et exprimuntur uvae, subjectum, in quem vinum expressum defluit.“ Solent autem etiamnum in Oriente torcularia subterranea esse, ut refert Chardinius apud Harmerum, l. c. T. III. p. 117. et Kaempferus in *Amoenitt. Exott.* p. 376., ubi de vini Persici confectione loquitur: *vini confectio instituitur in cella, vel intimae domus camera quadam, a ventorum ingressu remota.* Effossionem torcularis in saxo vates noster quoque videtur respicere, cum utatur verbo חָצַב, quod, ut notum est, de lapidum excavatione usurpatur. Dignus est, qui cum nostro conferatur, Nonnii locus, quo describitur Bacchus e saxo lacum torcularem sculpens, *Dionysiac.* L. XII. וַיְקַו לַעֲשׂוֹת עֲנָבִים *Et exspectavit, ut faceret,* ferret, *uvas* bonas, וַיַּעַשׂ בְּאֻשִׁים, *sed fecit labruscas,* i. e. malas uvas, a verbo בָּאַשׁ, quod Chaldaeis et Aethiopibus *malus et pravus fuit* significat. Hieronymus: „Pro *labruscis,* quas nos vertimus, in Hebraeo scriptum est *Busim,* quod Aquila interpretatus est σαπριάς, id est, *fructus pessimos,* Symmachus ἀτελῆ, hoc est, *imperfectos;* LXX et Theodotio ἀκάνθας, id est, *spinas.* Puto autem melius esse, *Busim* labruscas, quam spinas intelligi, ut coeptae translationis similitudo servetur.“ Jarchi explicat Gallico *lambruches (Heerlinge).* Celsius *Hierobot.* T. II. p. 199. seq. et Michaëlis in *Supplemm.* p. 146. 147. nomen hebraicum idem esse opinantur, quod Arabibus بيش, *napellum aconitum (Eisenhütlein);* quae quidem

quidem herba venenata luxurioſius et ſponte provenit in collibus apricis, quales vinearum eſſe ſolent. Deſcriptam illam plantam a Casvinio vid. in De Sacy *Chreſtom. Arab.* T. I. p. 531. edit. primae et T. III. p. 381. Sed recte monuit Gesenius, nomen بيش origine eſſe Perſicum, neque recte cum Hebraico בְּאֻשִׁים conferri. Chaldaeus ſenſum hujus Verſus ita exponit: *Et ſanctificavi eos, et honorificavi eos, et ſuſtentavi eos, ſicut plantationem vitis electae, et aedificavi ſanctuarium meum in medio eorum; altare quoque meum dedi ad propitiandum ſuper peccata eorum, et praecepi eis, ut facerent opera bona in conſpectu meo; ſed ipſi inique egerunt operibus ſuis.* Quocum in multis conſentit Hieronymus: „Per metaphoram vineae deſcribit populum Judaeorum, quem ſepſit angelorum auxilio. Et lapides elegit ex ea, vel idola, vel omnia, quae Dei cultum poterant impedire. Aedificavit quoque turrim in medio ejus, templum videlicet in media civitate; et torcular exſtruxit in ea, quod quidam altare ſignificare putant: ſicut enim ad torcular omnes uvae comportantur atque calcantur, ut ex eis exprimatur vinum, ſic altare omnis populi ſuſcipit fructus, et immolatas hoſtias devorat." Nos vero in hac allegoria non arbitramur ſingula argute perſequenda: propheta ſimpliciter hoc vult, Deum optimi vinitoris partibus ſedulo eſſe defunctum, nihilque ab eo praetermiſſum; Hebraeos vero nihilominus turpiter degeneraſſe, fructusque malos protuliſſe.

3. Amicus vatis loquens inducitur. וְעַתָּה יוֹשֵׁב יְרוּשָׁלַםִ וְאִישׁ יְהוּדָה *Et nunc, habitator Hieroſolymae, et vir Judae!* Collective haec nomina capienda eſſe, ut infra XX, 6. Zachar. XII, 7. 8. 10., vix monitu opus. Quare non eſt opus, ut cum tribus codicibus Kennicottianis יֹשְׁבֵי in Plurali legamus. שִׁפְטוּ־נָא בֵּינִי וּבֵין כַּרְמִי *judicate, quaeſo, inter me, et vineam meam,* de me vineaque mea ſtatuite; veſtro quippe judicio totam diſcernendae cauſae facultatem permitto.

4. Sum-

4. Summatim Vs. 1. 2. optimi vinitoris officium descripserat, a quo in excolenda atque instruenda vinea nihil praetermissum est; nunc Judaeos, id est, vineam ipsam interrogat, an in sua providentia, vel industria aliquid unquam desideraverint. מַה־לַּעֲשׂוֹת עוֹד לְכַרְמִי וְלֹא עָשִׂיתִי בּוֹ *Quid faciendum amplius fuisset vineae meae, quod non fecerim in ea?* Chaldaeus: מַה טָבָא אֲמָרִית לְמֶעְבַּד עוֹד לְעַמִּי וְלָא עֲבַדִית לְהוֹן *quod bonum dixi,* promisi, *facere populo meo, quod non fecerim eis?* Similiter apud Jeremiam II, 5. interrogat Jova Judaeos: *Quam deprehenderunt in me culpam vestri majores, ut a me recederent?* Et apud Micham VI, 3. *Mi popule, quid tibi feci? aut quid te laesi? responde mihi.* מַדּוּעַ קִוֵּיתִי לַעֲשׂוֹת עֲנָבִים וַיַּעַשׂ בְּאֻשִׁים *Quare exspectavi,* i. e. quare, cum exspectarem, *ut faceret uvas, fecit labruscas?* quare me meo voto exspectationeque fraudavit? quum enim exspectarem uvas, labruscas attulit. Nec alium sensum Vulgatus videtur expressisse, dum vertit: *An quod exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* sed multo significantius, quasi dicat: ut mihi dolorem faceret, inhiantemque ad fructum laboris mei maligne deluderet, ideo non modo negavit uvas, quas meo mihi jure repetebam, sed etiam insuaves et amaros fructus produxit. Fuisset quidem molesta minus, si nihil peperisset infidelis vinea.

5. וְעַתָּה אוֹדִיעָה־נָּא אֶתְכֶם וגו׳ *Itaque scire vos faciam,* indicabo vobis (ut Proverb. I, 23.), quid facturus sim vineae meae. Hieronymus: „Provocavi, inquit, vos supra, o habitatores Hierusalem, et viri tribus Judae, ut judicaretis inter me et vineam meam, et interrogavi, ut diceretis, quid debuerim facere, quod non fecerim. Et quia non vultis respondere quod sciscitor, ego mihi respondebo ipse pro vobis, indicans, quid facturus sim.“ הָסֵר *Removendo,* scil. אָסִיר, *removebo,* frequens verbi finiti ellipsis, ut Genes. XLI, 43. Levit. II, 6. VI, 7. Vid. Waltheri *Ellipses* p. 155. seq. Jarchi: „*removere* scil. decrevi.“

מְשׂוּכָּתוֹ

מְשׂוּכָּתוֹ *Sepem ejus.* מְשׂוּכָה Kimchi idem esse notat, quod Prov. XV, 19. מְשֻׂכַת חֵדֶק, *sepimentum ex spinis contextum* (verba שׂוּךְ et שָׂכַךְ, ad quod nostrum nomen esse referendum, arguit Dagesch, literae כ inditum, non differunt significatione). Tali vero sepe circumdari addit Kimchi vineam, praeter maceriam lapideam, ne haec ipsa laedatur. וְהָיָה לְבָעֵר *Et erit ad pascendum*, ut depascatur, cf. supra III, 14. infra VI, 13. Exod. XXII, 4. פָּרֹץ *Diruendo*, scil. diruam; cf. Ps. LXXX, 13. Sive, ut Jarchi: *diruere decrevi.* גְּדֵרוֹ *Murum ejus*; nam גָּדֵר *murus* est *lapideus*, et, plane ut Arab. جَدْر, praecipue de *muro circa vineam* usurpatur, vid. Num. XXI, 24. 25. Prov. XXIV, 31. Etiamnum in Oriente vineae duplici muro solent cingi, altero viridi, altero lapideo, vid. Harmeri *Observatt.* P. III. p. 154. וְהָיָה לְמִרְמָס *Ut sit in conculcationem*, ut proteratur a pecudibus et feris bestiis in illa pascentibus. Cf. infra VII, 25. X, 6. XXVI, 6.

6. וַאֲשִׁיתֵהוּ בָתָה *Et ponam*, reddam *eam vastitatem*; sive, ut Vulgatus vertit, *ponam eam desertam*. Vocem בָּתָה veteres omnes reddunt *vastitatem*. Pluralis occurrit infra VII, 19., ubi vero Kamez transit in Patach, sequente Dagesch. Quo ex loco, si nostrum iisdem punctis instruas, בַּתָּה referendum erit ad radicem בָּתַת, quae apud Arabes adhuc superest. Iis بَتّ significat *secuit*, *resecuit*, *abrupit* aliquid, ita ut non detur regressus, et nomen بَتَات *rem abruptam*, *quae haud iterum fit*. Si igitur hanc interpretationem adsciscas, *vinea* hic significatur *prorsus desolata*. Michaelis vero in *Supplemm.* p. 174. vocem nostram utroque loco mavult legere sine Dagesch, eamque referre ad radicem בּוּת, quae apud Chaldaeos (בִּת), Syros (ܒܬ) et Arabes (بات) significat *pernoctavit*. Hinc בָּתָה esset *locus pernoctationis*, i. e. in quo greges pernoctant. Prius tamen praeferendum. Kimchi: „In vitibus, quae relictae forsan

 fuerint

fuerint in ea, non faciam quidquam culturae, ut proferant fructus; ſed eam derelinquam, ut fiat deſolatio.“ לֹא יִזָּמֵר, *Non putabitur*, tollendo palmites ſuperfluos, qui ſuccum exhauriunt, Levit. XXV, 3. Verbum עָדַר terram reſpicit, ut praecedens plantas, et ſignificat, terram ſentibus liberare et expurgare eamque circa radices plantarum aperire. Nam Aramaeis עֲדַר eſt *ſarrivit, paſtinavit*, et كِرْن *vomer*. Michaelis verbum noſtrum reddit: *daſs ihre Reyhen nicht in Ordnung erhalten werden*, quaſi eſſet Niphal a verbo עָדַר *ordinavit, ordinem inſtruxit*. Verum Niphal hujus verbi ſemper ſignificat *deſiderari*, nusquam *ordinari*. Sunt, qui collato Arabico غَمَرَ, *aqua abundavit locus*, IV. *locum aqua abundare fecit*, VIII. *pluvia madefactus et rigatus fuit*, noſtra verba reddant: *nec irrigabitur*. Sed *ſarriendi, paſtinandi* ſignificatum verbo עָדַר recte vindicat Tingstadius in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 40. veterum interpretum conſenſu infra VII, 25. Accommodatus ille eſt noſtrae orationis ſeriei. Sequitur enim ſtatim, increſcere ſentes et vepres, id quod fieri ſolet, cum ager aut vinea non colitur, i. e. non foditur, paſtinatur. וְעָלָה שָׁמִיר וָשָׁיִת *Et aſcendet, excreſcet, abibit in vepres ſpinasque*, tota, videlicet, illa vinea. Similiter Prov. XXIV, 31. וְהִנֵּה עָלָה כֻלּוֹ קִמְּשֹׂנִים, *aſcenderat, excreverat, totum illud* (כֶּרֶם, שָׂדֶה, Vs. 30., *omnis illa vinea, ille ager*) *in carduos; operuerunt faciem ejus* חֲרֻלִּים *paliuri, et maceries ejus lapidea erat deſtructa*. Cf. de hoc loquendi more Gesenii *Lehrgeb.* p. 809. וְעַל הֶעָבִים אֲצַוֶּה מֵהַמְטִיר עָלָיו מָטָר *Et nubibus interdicam, ne pluant ſuper ea.* מ ante הַמְטִיר eſt privativum, *ut non*, ut infra VIII, 11. XXIII, 1. XXIV, 10. multisque aliis locis. Nam vocabulum מִן, ex quo noſtrum מ, reſecto Nun, ortum eſt, proprie indicat *reſectionem, abruptionem*, ut intelligitur ex Arabico مَنَّ, *praecidere, abrumpere, diminuere*, hincque univerſe negat; id quod fuſius explicavit Storrius in *Obſervatt. ad Anal. et Synt. Hebr.*

Hebr. p. 252. ſeq. Chaldaeus: *Et prophetis meis praecipiam, ne prophetiarum ſuarum copiam illi faciant.* Ceterum vere animadvertit Gesenius, vatem poſtremo hoc Verſus membro parabolicâ, quam incepit, narratione de vinitore excidere, eumque, quem ejus perſonâ intelligit, Jovam, ipſum loquentem inducere, quum parabolae explicatio proximo demum Verſu ſequatur.

7. כִּי hic indicat tranſitum et adplicationem carminis, quod praeceſſit, allegorici, et recte videtur exprimi per Latinorum *jam.* כֶּרֶם יְהוָה צְבָאוֹת בֵּית יִשְׂרָאֵל *Vinea Jovae agminum* coeleſtium dei (vid. ad I, 9.), de qua Vs. 1. ſeqq., eſt *domus*, familia, gens *Iſrael.* וְאִישׁ יְהוּדָה נְטַע שַׁעֲשׁוּעָיו *Et vir*, viri, gens *Juda planta deliciarum ipſius* (cf. Prov. VIII, 31.). Hieronymus: *„Et viri Juda germen delectabile ejus,"* id eſt, Dei. Sive, ut LXX tranſtulerunt, *νεόφυτον ἠγαπημένον*, id eſt, *novella plantatio dilectiſſima.* Iſrael et Juda hoc inter ſe differunt, quod omnis populus prius appellabatur Iſrael, et poſtea regnante David ſuper tribum Judam, et Roboam, filio Salomonis, ſuper duas tribus, Judam et Benjamin, hi, qui erant in Samaria, hoc eſt, decem tribus, vocabantur Iſrael, et quibus regnant de genere David, appellabantur Juda. Et quoniam ab Iſrael vituli colebantur in Dan et in Bethel, propterea ab Aſſyriis primum capta eſt Samaria, et multo poſt tempore Judas a Chaldaeis ductus eſt in *Babylonem, quia minora peccaverant.* Unde et in Ezechiele [IV, 10.] ad utriusque populi peccata purganda, Iſrael in ſiniſtro latere ponuntur juxta Septuaginta dies centum nonaginta, ſive, ut verius in Hebraico continetur, dies trecenti nonaginta, Juda autem quadraginta dies. Hoc dico, ut comparatione Iſrael, id eſt, decem tribuum, amabilem atque dilectum oſtendam Judam, in quo erant ſacerdotes et Levitae, et dei religio verſabatur eo tempore, quo propheta Eſajas loquebatur ad populum. Et pulchre Iſrael, hoc eſt, totus populus, *domus* eſt, Judas autem, qui ſeparatis tribubus poſtea pullulavit, *novellum*

 dici-

dicitur *delectabile.* Sed et hoc notandum, quod, juxta consuetudinem prophetalem, quae prius per metaphoram dicta sunt, vel per parabolam, postea exponuntur manifestius, quod vinea et novella plantatio Israel et Judas sit." וַיְקַו לְמִשְׁפָּט *Et exspectavit* Jova (Vs. 2. 4.) *jus,* et omnium morum probitatem, cf. Mich. VI, 8. וְהִנֵּה מִשְׂפָּח *Sed en! caedes.* Nomen hoc Jarchi a verbi סָפַח *aggregandi* notione, quam 1 Sam. II, 36. XXVI, 19. obtinet, *aggregationem* videlicet peccatorum, explicat. Aliis מִשְׂפָּח est *scabies,* idem quod מִסְפַּחַת, Levit. XIII, 6. 7. 8. Ita Kimchi: „Ego, inquit, exspectavi, ut pauperibus et oppressis, quod justum esset tribuerint, verum sunt eis scabies et plaga leprae." Ita Chaldaeus: וְהָא אִנּוּן עָנְסִין *et en! sunt oppressores.* Sed videtur hoc loco proprie significari *sanguinis effusio,* collato Arabico سَفَحَ, *effudit,* aquam, lachrymas, speciatim vero hoc verbum quandoque notat, *effudit sanguinem,* unde سَفَّاحٌ significat *effusorem sanguinis, hominem cruentum, tyrannum.* Vid. Schultensii *Animadverss. Philolog.* ad h. l. צְעָקָה, *Clamor* eorum, qui injuste oppressi sunt. Cf. Job. XXXIV, 28. Genes. XVIII, 20. Observa elegantem Hebraeis paronomasiam inter מִשְׁפָּט et מִשְׂפָּח, inter צְדָקָה et צְעָקָה. Hieronymus: „Volumus Latinis insinuare auribus quod ab Hebraeis didicimus: *judicium* apud eos appellatur *Misphat, iniquitas,* sive *dissipatio,* ut interpretatus est Aquila, *Misphach.* Rursum *justitia* dicitur *Zedaka, clamor* autem appellatur *Zeaka.* Una itaque vel *addita littera,* vel mutata, sic verborum similitudinem temperavit, ut pro *Misphat,* diceret *Misphach,* et pro *Zedaka* poneret *Zeaka,* et elegantem structuram sonumque verborum juxta Hebraeam linguam redderet. Exspectavit autem Deus, ut populus Judaeorum faceret judicium, id est, uvas, et fecit iniquitatem, id est, labruscas."

8. In eo quod reliquum est Capitis evolvitur, quod involutum esse videbatur in duabus dictionibus *caedes* et

clamor

clamor (Vs. 7.). Et primum ambitionem proponit, magnum injuriae atque violentiae principium. Quae ut supra alios emineat, eos exspoliat. הוֹי Jarchi significare observat clamorem gemitumve ob poenam, quae sit ventura. מַגִּיעֵי בַיִת בְּבַיִת Vae illi *qui conjungit domum domui*, i. e. domui possessae domum nuper emtam. Idem vitium castigatur Mich. II. 2. Nehem. V, 1 — 8. Erat hoc contra leges Levit. XXV., quibus Moses sapientissime caverat, ut possessiones quaeque suis in tribubus et familiis conservarentur, et ii fundi, quos possessores sui, paupertate coacti, vendiderunt, in anno Jubilaeo restituerentur, ne earum alienatio et commixtio aequalitatem illam tolleret, quam in populo suo obtinere voluit. Cf. Michaelis *Jus Mos.* P. I. §. 73. 76. שָׂדֶה בְשָׂדֶה יַקְרִיבוּ *Agrum agro adjiciunt* s. *continuant*, vi ac fraude. Chaldaeus: חֲקַל אוּנְסָא בְּחַקְלְהוֹן מְקָרְבִין *agrum violenter agris suis jungunt.* Kimchi: „Loquitur de illis, qui attingunt confinia, ac diripiunt pauperes. Quodsi enim sit pauperi domus conjuncta domui divitis, aut ager conjunctus agro illius, venit ad eum cum astutiis, ut ab ipso capiat.“ עַד אֶפֶס מָקוֹם *Usque ad defectum loci*, quem occupent alii, ut nihil pauperibus supersit; sive, donec totum occupetur spatium, quod suae cupiditati definierunt. Chaldaeus: אָמְרִין עַד דְנַחְסִין כָּל אֲתַר *dicentes: donec possideamus omnem locum.* Hieronymus: „Pro eo quod nos diximus: *usque ad terminum loci*, LXX transtulerunt: ἵνα τοῦ πλησίον ἀφέλωνταί τι, id est, *ut auferant aliquid proximo.* Symmachus et Theodotio: *donec deficiat*, vel, *non sit locus*, ut deficiente terra nequaquam saturetur avaritia. Quod quidem et generaliter adversum omnes, quibus nihil satis est, dictum puto, et specialiter contra vineam Domini, quae pro uvis fecit labruscas, id est, pro justitia iniquitatem. Quae est enim rabies, cum tecta et agri ad depellendos imbres et ad ferendas fruges haberi debeant, ea habere cupere, in quibus cunctis habitare non possis, et quae colere non sufficias, alteriusque necessitatem tuam facere voluptatem?“ וְהוּשַׁבְתֶּם לְבַדְּכֶם בְּקֶרֶב הָאָרֶץ *Quan-*

Quandoquidem habitatores facti estis soli media in terra. Kimchi: „Existimatis, vos solos esse dignos, qui terram habitetis, eo quod sitis magni atque divites. הוּשַׁבְתֶּם, *habitare facti estis*, ex forma Hophal. Qui vero vos faciunt habitare sunt judices iniqui." Vulgatus interrogative: *Nunquid habitabitis vos soli in medio terrae?* Nunquid terra vobis propria est, et non communis cum aliis, ut a vobis solis habitandam esse existimetis? LXX: Μὴ οἰκήσετε μόνοι ἐπὶ τῆς γῆς.

9. Ante בְּאָזְנָי subaudiendum est נִגְלָה, ex Cap. XXII, 14. *Revelavit se in aureis meis Jova.* Alii supplent אָמַר, cujus ellipsis satis frequens est, vid. supra ad III, 6. Quare non est opus, ut cum Michaele *Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 110. pro בְּאָזְנָי legamus בְּאָזְנַי, quod quatuor codices Kennicottiani exhibent. Chaldaeus: *Dixit Propheta: in auribus meis audivi, hoc decretum esse a Domino.* Hieronymus: „Pro eo, quod nos juxta Hebraicum vertimus, *in auribus meis sunt haec Domini exercituum*, id est, verba, quae loquutus est Dominus, adhuc resonant in auribus meis. LXX transtulerunt: ἠκούσθη γὰρ εἰς τὰ ὦτα Κυρίου Σαβαὼθ ταῦτα, id est, *audita sunt haec in auribus Domini Sabaoth*, non quod propheta verba Domini audierit, sed in auribus Domini audita sint, quae Propheta dicturus est, quum consequentius sit intelligere, audisse Prophetam, quae Dominus sit loquutus." Sed Graecus interpres hoc potius voluisse videtur, clamorem pauperum et oppressorum (צְעָקָה Vs. 7.) ad Jovae aures pervenisse. Legit ille בְּאָזְנֵי. — אִם־לֹא *Profecto, certe*, proprie jusjurandi formula, quem expositam vide ad Deut. I, 35. Cf. infra XIV, 24. Ps. CXXXI, 2. בָּתִּים רַבִּים לְשַׁמָּה יִהְיוּ *Domus multae in desolationem*, i. e. desolatae *erunt*. Respicit Vs. 8. רַבִּים Kimchi *magnas* interpretatur, coll. Jerem. XLII, 1. רַבֵּי הַמֶּלֶךְ, *magnates regis*, „ac si dicat: aestimatae ob structuram pulcherrimam, quod mox exprimit vocibus aliis גְּדֹלִים וְטוֹבִים, *magnas et pulchras.*" Desolatae igitur erunt

לְשַׁמָּה)

(לְשַׁמָּה יִהְיוּ) illae domus מֵאֵין יוֹשֵׁב, *a defectu incolae*, incolarum, ut infra VI, 11. Jerem. XIX, 11. XLVI, 19.

10. כִּי *Nam*, „jam rationem reddit, quare domus futurae ſint deſolatae absque incolis; quia agris et vineis ſterilitas immittetur; propterea quod eripuerunt illos pauperibus, tenuis exiguusque erit eorum proventus: deficiente autem frumento deficient quoque incolae.“ Kimchi. עֲשֶׂרֶת צִמְדֵּי־כֶרֶם יַעֲשׂוּ בַּת אֶחָת *Decem jugera vineae facient Bathum unum*, tanta erit ſterilitas, ut e decem vinearum jugeribus, id eſt, ex eo ſpatio, quod arari decem jugis poteſt, tam tenuis ſit futura vindemia, ut vix tantum exprimatur muſti, quantum implere poſſet *tres amphoras*, quantum Hieronymus unum Batum capere ait. Eum ejusdem in liquidis capacitatis fuiſſe, cujus in aridis fuit Epha, patet ex Ezech. XLV, 14. Capiebat 72. Sextarios Romanos, teſte Josepho *Antiqq.* VIII, 2. 9. Ὁ *δὲ βάθος δύναται χωρῆσαι ξέστας ἑβδομήκοντα δύο.* Hieronymus: „Pro *κεραμίῳ*, id eſt, *laguncula*, quam ſoli LXX transtulerunt, omnes alii *Batum* interpretati ſunt.“ וְזֶרַע חֹמֶר יַעֲשֶׂה אֵיפָה *Et ſemen Chomeris faciet Epham*, ex copioſa Chomeris ſemente, vix decima ejus pars exarabitur. חֹמֶר erat ſacrarum menſurarum maxima, vid. Ezech. XLV, 11. אֵיפָה decima pars Chomeri, vid. Ezech. XLV, 11. Hieronymus: „Pro triginta modiis, quos nos pro *coro* poſuimus, qui hebraice dicitur *Chómer*, LXX verterunt *ἀρτάβας ἕξ*, quae menſura Aegyptiaca eſt, et facit modios viginti.“ Vid. de hac voce Jablonskii *Opuſcula* P. I. p. 39.

11. Alterum vitium redarguit vates, intemperantiam et crapulam. הוֹי מַשְׁכִּימֵי בַבֹּקֶר שֵׁכָר יִרְדֹּפוּ *Vae* his qui *mane ſurgentes potum inebriantem ſectantur*, qui mane ſurgunt, ut potationi indulgeant, ſive, ut Vulgatus vertit: *vae qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam.* Hieronymus: „Pro *ebrietate*, quam Aquila eſt interpretatus et Symmachus, LXX ipſum hebraicum poſuerunt *Siceram*, quod omnem ſignificat potionem, quae inebriare poteſt, et

ſtatum

statum mentis evertere.“ Vid. de שֵׁכָר not. ad Levit. X, 9. Judaeorum, ut plurium antiquitatis populorum disciplina maxime videtur fuisse ad sobrietatem, quae matutino et antemeridiano tempore tenui cibo contenta famem et vesperam usque, id est, ad coenae tempus, sustentabat. Mane enim cibum sumere, quasi aliquid inusitatum et rarum reprehenditur Cohel. X, 16. Jesajae vero tempore adeo erat soluta, et in omnem intemperantiam profusa Hebraeorum disciplina, ut matutinum, imo et antelucanum tempus ebrietati et epulis impenderint. מְאַחֲרֵי בַנֶּשֶׁף *Iis qui morantur* (ut Prov. XXIII, 29. 30. Genes. XXXII, 5.) ad pocula *usque ad* (ita ב sumitur quoque Genes. XI, 4. Esra IX, 7.) *crepusculum* vel *matutinum*, ut 1 Sam. XXX, 17. Job. VII, 4., q. d. compotationem per noctem, ad alterum usque mane continuant; vel, *vespertinum*, ut Job. XXIV, 15. Proverb. VII, 9., q. d. totum diem, laboribus destinatum, potando insumunt. יַיִן יַדְלִיקֵם *Vinum inflammat eos*, ut incalescant vino.

12. כִּנּוֹר *Cithara, quae plectro pulsatur*, 1 Sam. XVI, 23. Graecorum κίνυρα s. κίθαρα, quam ipsam vocem Alexandrini plerumque ponere solent. Videndus de hoc instrumento Spanhemius ad *Callimachum*, p. 466. seq. Michaelis in *Supplemm.* p. 1314. nomen ductum existimat a كنّب *cannabis*, nam pro chordis fila olim ex lino fuerunt. נֵבֶל *Nablium*, quod digitis tractabant. Suidas sub voce ψαλτήριον: ὄργανον μουσικὸν, ὅπερ καὶ ναβλα καλεῖται. Josephus *Antiqq.* VII. C. 12. §. 3. Ἡ μὲν κινύρα, δέκα χορδαῖς ἐξημμένη, τύπτεται πλήκτρῳ· ἡ δὲ νάβλα, δώδεκα φθόγγους ἔχουσα, τοῖς δακτύλοις κρούεται. De תֹּף vid. ad Exod. XV, 20. Ante מִשְׁתֵּיהֶם omissum est ב, quod saepius omitti solet, ubi ablativus loci exprimi debebat, ut Genes. XXIV, 23. הֲיֵשׁ בֵּית־אָבִיךָ מָקוֹם לָנוּ לָלִין, Genes. XXXVIII, 11. שְׁבִי אַלְמָנָה בֵּית־אָבִיךְ, Jerem. XXXVII, 4. 15. coll. Ezech. IV, 9. Mich. VI, 10. פֹּעַל יְהוָה et מַעֲשֵׂה יָדָיו *Molimina Dei* et *opera manuum ejus*, vatibus saepe sunt

mala

mala graviſſima, quae Deus praeparat impiis. Sic noſtro infra Vs. 19. X, 12. *Et fiet, cum abſolverit Jova* כָּל־מַעֲשֵׂהוּ, *omne opus ſuum in monte Zione*, intelliguntur judicia, populo foedifrago decreta. Cap. XXII, 11., ubi vates deſcribit ſtudium et artes, quibus Judaei Hieroſolyma munituri eſſent adverſus Aſſyrium in ſumma calamitate, iis impendente, hoc iis imputat vitium: *Et non reſpicietis ad eum, qui fecit illud*, i. e. qui vobis haec mala immiſit. Cf. quoque infra XXVIII, 21. Habac. I, 5. Pſ. LXIV, 10. Chaldaeus פֹּעַל יְהוָה interpretatur אוֹרַיְתָא דַיְיָ *legem Jovae*, מַעֲשֵׂה יָדָיו autem עֹבַד גְּבוּרְתֵיהּ *opus potentiae ſuae*. Hieronymus: „Arguit autem juxta conſequentiam coeptae explanationis agricolas vineae, qui imminente ſterilitate, et vicino incendio, quo vepres et ſpinae ſunt comburendae, luxuriae ſe et voluptati tradiderunt, non ſolum in veſcendo et bibendo, ſed in aurium quoque oblectatione, et in diverſis muſicae artis generibus. Qui cum iſta faciunt, opus Domini non reſpiciunt, nec conſiderant, quae ventura ſint."

13. Jam incipit enumerare infortunia, quae populum illum ebrium atque ſtolidum manent. לָכֵן גָּלָה *Propterea captivus abductus eſt*, i. e. deportabitur; Praeterito utitur more vatum pro Futuro, quia quae minatur, certiſſime ſunt futura. עַמִּי מִבְּלִי־דָעַת *Populus meus ſine ſcientia*, i. e. omni carens cogitatione eorum, quae evenire poſſent, fata imminentia haud curans. Alii vertunt: *propter inſcientiam* ſive *incogitantiam*, quod ſtupidi ſunt et ſenſibus mancipati, coll. infra XXVII, 11. Pſ. XCII, 7. XCIV, 8. Alii: *inopinato, inſperato.* כָּבוֹד ex oppoſito τοῦ הָמוֹן, *turbae, plebis*, ſignificat hic nobiliorem populi partem, *proceres, magnates*, ut infra VIII, 7. מֶלֶךְ אַשּׁוּר וְאֶת־כָּל־כְּבוֹדוֹ, XVII, 3. 4. מְתֵי רָעָב *Viri famis*, i. e. famelici; per מְתֵי enim effinguntur adjectiva, ut Geneſ. XXXIV, 30. מְתֵי מִסְפָּר, *numerabiles, pauci*, Job. XI, 11. מְתֵי שָׁוְא, *vani*. Vid. Storrii *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 243.

Chal-

Chaldaeus: וְיַקִּירֵיהוֹן מֵיתוּ בְּכַפְנָא, *et honorati eorum morientur fame.* Hunc interpretem pro מְתֵי legisse מֵתֵי, *mortui,* jam Kimchi observat. Idem reliqui veteres expresserunt, praeferuntque recepto מְתֵי Michaelis et Lowthus. Commodum sensum tamen dabit et hoc: tolerabunt famem, fame cruciabuntur. Congruit ei, quod additur: וַהֲמוֹנוֹ צִחֵה־צָמָא, *et turba,* multitudo, *ejus siti ardebit.* Kimchi: „Vocis צִחֵה explicatio petenda est ex illo vatis LVIII, 11. *Saturabit* בְּצַחְצָחוֹת *in ariditatibus animam tuam.* Significat *arentem.* Chaldaeis צַחְוָתָא est sitis [צְחוֹנָא *siccitas,* Syris ܨܚܐ *incaluit*]. Ratio vero, cur arescent, est, quia guttur eorum prae siti aresiet. Est autem צִחֵה adjectivum in statu constructo formae אִשֶּׁה, *ignitum,* Levit. I, 9." Idem Kimchi notat, dictiones, *fame cruciari* et *siti ardere,* in duas populi partes esse divisas, ut quaeque earum ad alteram sit supplenda, et de utraque parte dictum sit, eam misere perituram esse. Aliter hunc locum interpretatur Ludov. de Dieu. הָמוֹן intelligit de *multitudine opum,* de *facultatibus* et *divitiis,* ut Ps. XXXVII, 16. Eccles. V, 9. Hinc vertit: *et gloria ejus erunt famelici, et opulentia ejus arebit siti;* ut *gloria* metonymice posita sit pro *honoratis,* et *opulentia* pro *divitibus.* Sed concinnior erit sensus adscita communi interpretatione. Qui prius immoderatis epulis indulgebant et poculis, dignissimo ejus intemperantiae supplicio cruciandi, atque adeo perituri dicuntur fame ac siti.

14. Mala haec et calamitates terminantur in *exitio;* quod ut graphice pingeret vates; infert hic *mortem* sive *orcum* per prosopopoeiam sub imagine magnae belluae, quae immani rictu oris inhians improbis, prodat ingentem appetitum, illos consumendi et devorandi. לָכֵן הִרְחִיבָה שְׁאוֹל נַפְשָׁהּ *Propterea dilatabit orcus animam suam.* נֶפֶשׁ hic est *appetitus,* ut Prov. X, 3. *Non patietur Deus esurire* נֶפֶשׁ צַדִּיק *appetitum justi;* sic quoque infra apud nostrum XXXII, 6. *Dilatare* vero *appetitum* est, summa cupiditate in

in aliquid inhiare. Alii נַפְשָׁהּ positum capiunt loco pronominis reciproci, ut vertendum sit: *dilatabit sese orcus.* Eandem, quam hic, imaginem videmus Proverb. I, 12. XXX, 16. Nostrum imitatur Habacuc II, 5. Virgilius quoque *Aeneid.* VI, 273. *orco* tribuit *fauces.* Kimchi: „*Dilatabit sepulchrum spiraculum* suum ad recipiendos mortuos. *Dilatandi* verbo autem utitur ad indicandam ingentem copiam eorum, qui morientur ex Judaeis." Hieronymus: „*Infernus* autem *animam* habere dicitur, non quod animal sit, juxta errorem quorundam, sed quod verbis humanae consuetudinis rerum insensibilium exprimamus affectum; quod insatiabilis sit, et nunquam mortuorum multitudine compleatur." Jarchi: „Par referetur pari. Illi dilataverant rictum suum ad deglutiendum cibum potumque multum, atque distenderant os suum ad absorbendum: quare etiam infernus rictum suum, ut eos absorbeat." וּפָעֲרָה פִיהָ *Et distendet os suum,* eadem phrasis Ps. CXIX, 131. Job. XVI, 10. לִבְלִי־חֹק *Usque ad defectum statuti,* i. e. absque modo; fauces diducet in immensum. Jarchi phrasin Hebraeam explicat לְאֵין סוֹף *absque fine,* additque, hoc eo spectare, quod improbis illis non fuerit modus in sectandis voluptatibus. וְיָרַד הֲדָרָהּ *Et descendet* in orcum *decor ejus,* vel, terrae, vel, urbis Hierosolymorum. Ludov. de Dieu הֲמוֹן iterum intelligit de *opibus,* ut Vs. praeced., vertitque: *et descendet decor ejus, et opulentia ejus, et strepitus ejus, et exsultabundus in ea,* ita ut omnia referantur ad honoratos et divites, qui in commessationibus ac perdito luxu strepitum excitare et exsultare solent.

15. וַיִּשַּׁח אָדָם וַיִּשְׁפַּל־אִישׁ Vid. supra II, 9. וְעֵינֵי גְבֹהִים תִּשְׁפַּלְנָה Vid. II, 11. et cf. Prov. VI, 17. XXI, 4.

16. וַיִּגְבַּהּ יְהוָה צְבָאוֹת *Exaltabitur vero Jova,* Deus *agminum* coelestium (vid. ad I, 9.), ab illis nefarie contemtus, Vs. 12. 19. Cf. II, 11. III, 16. בַּמִּשְׁפָּט *Per judicium,* quod in populum peccantem exercebit. Jarchi: „Quando

„Quando Deus juſtam a vobis exiget poenam, nomen ejus in mundo extolletur.“ Nomen מִשְׁפָּט exponit gallico *juſtice*, quo poena, per ſententiam judicis prolata intelligitur. וְהָאֵל הַקָּדוֹשׁ נִקְדָּשׁ *Et Deus ſanctus ſanctus agnoſcetur* atque ut talis coletur ab iis, qui tunc ſuperſtites erunt, cf. Ezech. XXXVI, 23. 24. XXXIX, 27. Levit. X, 3. בִּצְדָקָה *Per juſtitiam*, ob judicium, quod juſte exercuit. Sanctus Deus ob juſtitiam ſancte coletur.

17. וְרָעוּ כְבָשִׂים *Et paſcentur agni*, quibus interpretum plures, quos et nos antehac ſequuti ſumus, pios, mites, ſignificari exiſtimant, qui tanquam agni imbecilles a potentiorum vi atque inclementia opprimebantur, juſto Dei judicio (de quo Vs. 16.) paſcua, a quibus expulſi erant, recuperabunt, eisque tranquille fruentur. Ita magno conſenſu Hebraei, auctore Chaldaeo: וְיִתְפַּרְנְסוּן צַדִּיקַיָּא, *et paſcentur juſti*. Favet huic interpretationi locus parallelus infra XIV, 30., ubi de Judaeis duro tyrannorum jugo liberandis dicitur: *Paſcentur* (וְרָעוּ) *tenuium primogeniti, et pauperes tute cubabunt*. Eandem imaginem pluribus exornavit Ezechiel, XXXIV, 13—17. Cf. Zephan. III, 13. Magis tamen jam placet Lud. de Dieu ſententia, a Geſenio quoque adſcita, praedicere vatem, fore, ut loca amoena, ubi divites delectabantur et pingueſcebant, vertantur in deſerta, ſiantque paſcua agnorum, qui ibi ſecure paſcent, divitibus illis morte abſumtis, Vs. 14. כְּדָבְרָם alii vertunt *ſecundum morem ſuum*, ſ. more ſuo, ut דֹּבֶר idem ſit quod דִּבְרָה, *ductus, mos, ratio, conſuetudo*, quod Hebraei recentiores dicunt כְּמִנְהָגָם (ita Symmachus: κατὰ τὴν τάξιν αὐτῶν, et Vulgatus: *juxta ordinem ſuum*), alii *juxta caulas ſuas*, ut דֹּבֶר ſumitur Mich. II, 12., ubi Deus congregatas Judaeorum et Iſraelitarum reliquias ſimul collocaturus dicitur tanquam Boſranas oves, כְּעֵדֶר בְּתוֹךְ הַדָּבְרוֹ, *ſicut gregem in ſua caula*, qua a ferarum impetu ſint tuti. Alii: *ductu ſuo*, quo nempe ducuntur a paſtore. Jejune. Elegantiorem ſenſum praebet a Lowthio propoſita interpretatio,

tatio, ex qua hoc dicit vates, agnos nemine prohibente, *secundum ductum eorum*, i. e. suo ipsorum ductu, lubitu ac arbitratu suo pasturos esse. Chaldaeus capit significatione sermonis, nam vertit: כְּמָא דַאֲמִיר עֲלֵיהוֹן *sicut de iis dictum*, sive, quemadmodum iis promissum est. Jarchi: „Magistri nostri כְּדָבְרָם exponunt allegorice כְּדִבֵּר בָּם, *sicut dictum est de iis* [מְדַבֵּר בָּךְ Ps. LXXXVII, 3.], i. e. evenient illis quae in vatum consolationibus promissa erant." Hieronymus: „Pro *pascentibus agnis juxta ordinem suum*, quod in bonam partem accipitur, nescio quid volentes LXX transtulerunt: *βοσκηθήσονται διηρπασμένοι ὡς ταῦροι*, id est, *pascentur direpti quasi tauri*, pro *agnis tauros* intelligentes." Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. C. XLI. T. I. p. 439. edit. Lips. illos suo in codice וְרָעוּ כְבָשִׂים כְּהַפָּרִים legisse conjicit, Cappellus vero *Crit. S.* L. IV. C. I. (P. II. p. 519. edit. Vogel-Scharsenberg.) וְרָעוּ כְּבָשִׁים כְּאַבִּירִים, „nam כָּבַשׁ est *subigere, per vim opprimere*, et אַבִּירִים nonnumqnam de *tauris* dicitur." Poterat tamen Graecus interpres כְּבָשִׂים, uti nos, legere; sed pro metaphorica dictione propriam substituere, ex ea, quam nos supra, sub hujus notae initio dedimus, interpretatione. Recte vero Bochartus l. c. monet, voces *ὡς ταῦροι* non cohaerere cum proxima *διηρπασμένοι*, sed cum *βοσκηθήσονται*, ut sit sensus, fore, ut, qui direpti fuerant, jam libere pascantur ut tauri. וְחָרְבוֹת מֵחִים גָּרִים יֹאכֵלוּ *Et vastatas pinguium terras advenae comedent*, id est, Chaldaeo explicante, וְנִכְסֵי רַשִׁיעַיָּא צַדִּיקַיָּא יַחְסְנוּן, *et facultates impiorum possidebunt justi.* Jarchi: „Domos impiorum, quae sunt pingues, justi, qui sunt tanquam advenae, comedent." Kimchi: „Domos vastatas *pinguium*, id est, divitum, qui alios opprimebant, *advenae vorabunt*, id est, pauperes, qui ab eis fugerant, venient ad illas habitandas, et ad comedendam portionem eorum." מֵחִים Hebraei שְׁמֵנִים, *pingues*, explicant, et hoc loco, et altero, quo occurrit eadem vox plene scripta, Ps. LXVI, 15. עֹלוֹת מֵחִים *Holocausta pinguium tibi offeram.* A מֹחַ, *medulla*, proprie designat *medullatos*, *μεμυελωμένους*. Sic Arabibus a no-

a nomine ܡܘܚ, *medulla*, est verbum ܐܡܘܚ, *medullosa, pinguis evasit ovis*, et ܡܡܘܚܬܐ, *medullata*, dicitur pinguis ovis. Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. C. XLV. T. I. p. 524 edit. Lipf. De *pinguibus* pro *divitibus* dictis vid. not. ad Pf. XXII, 80. גָּרִים *Peregrinis* f. *advenis* cum Gesenio denotari putamus pastores Scenitas finitimorum populorum, praesertim Arabum, qui ut olim Hebraei, ab omni retro tempore Palaestinam cum suis gregibus pererrabant. Cf. J. D. Michaelis Commentat. *de Nomadibus Palaestinae* in *Syntagm. Commentatt.* P. I. p. 210. seqq. LXX: Τὰς ἐρήμους τῶν ἀπειλημμένων ἄρνες φάγονται. Sed pro ἀπειλημμένων, *eorum, qui capti sunt*, Arabicus interpres in Polyglottis, qui e Graeco vertit, in suo codice ἀπειλημένων legisse apparet inde, quod posuit: خَرِبَاتُ ٱلْمُتَهَدَّدِينَ, *ruinas eorum, qui minis territi sunt.* Pro ἀπειλημμένων Bochartus l. c. ἀπαλειφομένων, *eorum, qui deleti sunt*, legendum censet. Sine necessitate. Pro dictione allegorica interpres posuit propriam, dum *pinguibus* f. medulla praeditis (מֵחִים) intellexit divites in exteras terras deportatos. Syrus, qui חָרְבוֹת מֵחִים vertit ܘܚܘܪ̈ܒܐ ܕܡܬܚܝܢ, *et ruinas, quae restauratae sunt*, retulit מֵחִים ad verbum חָיָה, quod *restaurare* significat Nehem. III, 34. et 1 Paral. XI, 8. Vulgatus: *et deserta in ubertatem versa advenae comedent.* מֵחִים cepit de agris pascuisque pinguibus, ut hic sit sensus: loca a potentioribus vacua, deserta atque sterilia, propter eorum iniquitatem, facta, jam postquam in pauperum potestatem transierint, foecunda, horum usui destinata erunt. Jos. Frid. Schelling in *Animadverss. philol. critt. in difficiliora loca Jesajae* (Lipf. 1797.) p. 1. vatem hoc Versu novam jam desolatae et vacuefactae terrae faciem depingere ait ita, ut ovium gregibus quaevis loca pascendo obire, et in quibus alias non licuisset pascuis discurrere, nulloque impediente ea depascere, liberum tunc futurum esse significet.

sicet. . Vertit locum ita: *Pascent tum agni suo lubitu, et arva depopulata oves pingues palantes depascent.* „Nimirum," inquit, „מֵחִים, *oves pingues,* גָּרִים dicuntur, quod solitos pascuorum fines excedunt, atque in arvis depopulatis quasi *peregrinantur*, h. e. libere discurrunt. Hac ratione גָּרִים in hoc altero membro idem fere alia loquendi forma dicit, quod per כְּדָבְרָם in priori innuitur." Sed *palandi* notio plane est aliena a verbo גּוּר, quod *commorari* potius in loco aliquo ut *hospes* aut *advena* denotat, unde גָּרִים 2 Sam. IV, 3. sunt *advenae*. Cf. Levit. XIX, 33. 34. (הַגֵּר הַגָּר אִתְּכֶם, *peregrinus, qui commoratur vobiscum*, s. *inter vos*). Quare Kimchi nostrum גָּרִים recte exposuit: שיבאו לגור בהם, *qui venient, ut inter eos habitent.*

18. הוֹי מֹשְׁכֵי הֶעָוֹן *Vae trahentibus*, sive, ut alii volunt, *protrahentibus*, in longum producentibus (Ps. XXXVI, 11. CIX, 12. Nehem. IX, 30.) *delictum*, בְּחַבְלֵי שָׁוְא *cum funibus vanitatis*, i. e. filis vanissimis, tenuissimis, quibus nihil est firmitatis aut soliditatis; וְכַעֲבוֹת הָעֲגָלָה חַטָּאָה *sed instar funis plaustri* fit *peccatum*, quae Chaldaeus sic exponit: וַי דְּמִשְׁרָן לְמֶחֱטֵי צִבְחַר נָגְדִין חוֹבִין בְּחַבְלֵי לְמָא אָזְלִין וְסָגַן עַד דְּתַקִּיפִין וְכִבְרִילַת עֲגָלְתָא חוֹבִין *vae iis qui incipiunt pusillum peccare, trahentes peccata in funiculis vanitatis; augentur et crescunt, donec fortiora facta sint, et quasi vinculum plaustri peccata.* Hieronymus: „Quod autem juxta Hebraicum et omnes alios interpretes appellantur *funiculi vanitatis*, hoc significat, quod facientibus peccatum facile texitur, et tam inane et futile est, ut aranearum fila texuntur; sed cum inde voluerimus exire, foedissimis vinculis nectimur." Jarchi: „Vae illis, qui malam cupiditatem attrahunt paulatim, initio funibus vanissimis, qui sunt instar fili telarum araneae; sed cum attracta est prava cupiditas, magis magisque invalescit, donec fiat sicut funis plaustri, cui currus alligatur ad trahendum." Eum sensum expressit, qui novissime ex Hebraeis Jesajam teutonice reddidit, Dav. Ottenzoser: *Weh denen, die mit dünnen Schnürchen Laster an sich ziehen! dichtem Wagenseil*

werden

werden ihre Sünden gleich! In Commentario hebraico ſermone conſcripto, quem verſioni ſuae addidit interpres, obſervat, ſenſu noſtrum locum non differre ab illo doctorum veterum effato, quod legitur in codice Talmudico *Succah: Prava cupiditas initio ſimilis eſt filo araneae, poſtea, ubi aſſenſeris, ſimilis ſit funi plauſtri,* quo impius ita tenetur conſtrictus, ut ſeſe expedire nequeat. Cf. Proverb. V, 22. עֲוֹנוֹתָיו יִלְכְּדֻנוֹ אֶת־הָרָשָׁע, *delicta ſua capiunt impium,* וּבְחַבְלֵי חַטָּאתוֹ יִתָּמֵךְ, *et funibus peccati ſui conſtrictus tenetur,* ita ut eo pereat, Vs. 23. Alii aliter noſtrum locum exponunt. Kimchi: „Dicit per ſimilitudinem, quemadmodum trahat quis plauſtrum onerarium cum laqueis et funibus, ita attrahere illos ad ſe cum vi delicta. Funes vero eorum ſunt funes *vanitatis* et *mendacii,* et peccatum tractionis ſunt cupiditatum lenocinia et voluptatum illecebrae, quibus homo ad delicta committenda inducitur. Ipſi igitur attrahunt peccatum ad ſuum arbitrium, cum ſeſe aſſueſaciunt oblectamentis vinique potationi." Interpretatio parum dilucida. Cocceius: „Vae qui peccatum peccato, falſitatem falſitati jungitis ratiociniis temere excogitatis." Id Vitringa ſequutus. Alii de iis agi volunt, qui poenas divinas adventuras eſſe negantes (Vs. 19.), ſecuri decreverint dies ſuos in peccatis transigere, et ad hoc ſibi licentiam parent aliis aliisque peccatis connexis. Ita Kocherus: „Videntur illi notari, qui fruſtra retinente conſcientia, evictis impedimentis omnibus, non ipſi modo praefracte et pertinaciter peccant, ſed et alios ad peccandum inducunt doctrina *fallaci* (הַשָּׁוְא), mendaciisque crimini obtentis." Quae omnes interpretationes tamen coactiores videntur. Nos cum Dathio, aliisque interpretibus, quibus nuper et Gesenius acceſſit, עָוֹן et חַטָּאָה, metonymice effectum, i. e. poenas et judicia divina indicare putamus, ut Geneſ. XIX, 15. XX, 9. Zach. XIV, 19. al., ut *funibus poenas divinas ad ſe trahere* dicantur profani iſti homines, qui prophetae minas contemnerent et judicia divina provocarent, quaſi eorum videndorum deſiderio tenerentur.

19.

19. Pergit vates in describendis impiis illis, de quibus Versu 18. loqui coeperat. יְמַהֵר *Acceleret,* ut 2 Sam. XV, 14. יָחִישָׁה *propere producat,* ut infra LX, 22. מַעֲשֵׂהוּ *Opus suum,* id. est, Jarchio exponente, „supplicium, quod ipse dixit se immissurum esse, לְמַעַן נִרְאֶה, *ut videamus.* cujus verbum sit ad effectum perventurum," Dei, an nostrum. Kimchi: „Quotiescunque, inquit Deus, ego ad eos prophetas mitto, qui illis poenas immittendas denuncient, respondent: nequaquam nos credimus, *acceleret, festinet opus suum,* ultionis videlicet, ut videamus, num prophetae nostri vera pronuncient; nunc enim haud credimus." Tam longe erant, ut propheticis minis deterrerentur, ut potius aerumnosum illud tempus viderentur optare. In quale hominum genus Amos V, 18. *Heu, qui Jovae diem cupitis!* Nec non Jerem. XVII, 15. *Isti sic ad me dicunt:* אַיֵּה דְבַר־יְהוָה יָבוֹא נָא *ubi est Jovae praedictio? eveniat sane.* וְתִקְרַב וְתָבוֹאָה עֲצַת קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל וְנֵדָעָה *Appropinquet eveniatque consilium Venerandi Israelis,* i. e. quod decrevit nobis immittere quem Israelitae Deum suum reverentur, *ut id cognoscamus.* Hieronymus: „Vae vobis, qui putatis diem judicii non futurum, vel non venturam captivitatem, quam propheticus sermo praedicit; qui dicitis ad prophetam: usquequo nobis Dei minaris iram? volumus eam scire, jam veniat. Hoc autem per ironiam loquuntur, quoniam eam non putant esse venturam, sed simulari a propheta."

20. הוֹי הָאֹמְרִים לָרַע טוֹב וְלַטּוֹב רָע *Vae illis, qui dicunt malo bonum,* qui malo boni, *et bono mali nomen tribuunt.* Significantur tales homines, qui omnia turbant, et pervertunt; qui omnia boni et mali discrimina conantur pervertere. Chaldaeus: *Vae, qui dicunt impiis, quibus omnia prospere succedunt in hac vita: vos estis boni, et mansuetis dicunt: vos estis impii.* Jarchi innui existimat illos, qui probant laudantque cultum idolorum, rejiciunt vero Jovae cultum, tanquam aliquid mali. Quae verbis propriis dixerat, repetit jam loquutionibus figuratis. שָׂמִים

חֹשֶׁךְ לְאוֹר וְאוֹר לְחֹשֶׁךְ *Qui ponunt*, convertunt, *tenebras in lucem, lucem vero in tenebras.* Similis formula, sed diversa sensu, legitur Job. XVII, 12. לַיְלָה לְיוֹם יָשִׂימוּ, ad quem loc. vid. not. Chaldaeus: *Nonne cum venerit lux justis, tenebrae erunt impiis?* Jarchi: „De re, quae ipsis allatura est tenebras, ipsi dicunt, illam eis lucem adferre.“ שָׂמִים מַר לְמָתוֹק וּמָתוֹק לְמָר *Qui convertunt amarum in dulce, et dulce in amarum.* Chaldaeus: *Dulcia erunt verba legis operantibus ea, venietque amaritudo impiis, intelligentque, in fine amarum esse peccatum facientibus.* Jarchi haec verba iterum refert ad illos, qui cultum Jovae, qui est dulcis, amarum judicent. Kimchi totius Versus sensum hoc modo declarat: „Mala sua facinora ipsi bona dicunt; occupare vero sese legis et sapientiae studio, rem malam molestiaeque plenam reputant. Quare ita se habent, perinde ac si mutarent tenebras in lucem; quandoquidem cum intellectu non distinguunt, quid sit bonum, quid malum, ideoque sunt similes illis, qui sensibus nihil discernunt, quosque fallit visus et gustus.“

21. הוֹי חֲכָמִים בְּעֵינֵיהֶם *Vae, qui sapientes in suis oculis*, qui sibi ipsi sapientes videntur, qui falsa sapientiae opinione inflati sunt, unde pudet eos, ab aliis discere, et monitiones Dei aliorumque contemnunt. Cf. Prov. III, 7. וְנֶגֶד פְּנֵיהֶם נְבֹנִים *Et coram facie ipsorum*, suo judicio sunt *prudentes*.

22. הוֹי גִּבּוֹרִים לִשְׁתּוֹת יָיִן *Vae* illis, *qui fortes sunt ad potandum vinum*, quales supra Vs. 11. et infra LVI, 12. describuntur. Illos taxat, qui quum ad cetera molles sint et effeminati, strenuum tamen animum et indomitum animum ad pocula et ebrietatem praestant. Nam quicquid virium habent et ingenii, id totum ad luxum et voluptatem conferunt. Ita Kimchi. וְאַנְשֵׁי־חַיִל לִמְסֹךְ שֵׁכָר *Et robusti ad miscendum temetum.* Plures interpretes innui existimant mixtionem vini cum aqua; J. D. Michaelis vero vinum medicatum, admixtis, ut fortius fiat, aromatum

variis

variis generibus, aut aliis inebriantibus. Doederlein cum Harmere *Observatt. super Or.* P. I. p. 346. loquutionem *merum miscere* interpretatur: plurimas antiqui vini lagenas epotare; dum enim aperiuntur, miscetur cum faece vinum. Ita Chaldaeus: לְהִתְרְוָאָה מִן עַתִּיק *ad ebriandum se ex* vino *antiquo.* Cf. Prov. XXIII, 29. 30.

23. Initio Versus plures subaudiunt הוֹי, *vae!* Sed Gesenius eosdem illos ebriosos homines, de quibus Versu praecedente, nunc et injustos judices, qui muneribus corrupti jus pervertunt, describi observat, ut infra XXVIII, 7. 8. 9. מַצְדִּיקֵי רָשָׁע *Qui justum declarant impium* in judicio, Deut. XXV, 1. עֵקֶב שֹׁחַד *Munere mercedis,* Chaldaeus: חֲלַף דִּמְקַבְּלִין מִנֵּיהּ מָמוֹן דִּשְׁקַר, *pro eo quod acceperunt ab eis divitias iniquas.* Corrupta judicia largitionibus questus erat et supra I, 23. וְצִדְקַת צַדִּיקִים יָסִירוּ מִמֶּנּוּ *Et justitiam justorum removent ab eo,* unoquoque eorum, insontibus suum jus eripiunt, innocentes declarant reos et suppliciis obnoxios.

24. Reliqua carminis pars sceleratis illis omnibusque contaminatis flagitiis gravissima supplicia denunciat. לָכֵן כֶּאֱכֹל קַשׁ *Proprie sicut stipulam consumit,* Exod. XV, 7. לְשׁוֹן אֵשׁ *lingua ignis,* i. e. flamma; sic dicta quod speciem linguae prae se fert; nam rubet et in acutiem tendit. „Flamma ingens ligna depascens sese sponte sua discindit in partes, a basi quidem toti flammeae moli haerente latas, ab extrema vero contractiores, quae est linguae forma, eaedem sese movent agilitate, linguas exsertas animalium noxiorum imitante, et se conjiciunt in res vicinas, quae iis pabulum fieri possunt. Jesajas, ubi linguam igni tribuit, ipsum vorantem horrifice pingebat. In pentecoste Christiana vero Act. II, 3. fuerunt quoque *linguae igneae,* sed beneficae, non noxiae, *διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός.*" Gussetius, sub voce לָשׁוֹן. Similiter Virgilius *Aeneid.* II, 684. *flammam* dicit *lambere comas.* Ceterum Jarchi verba hebraea כֶּאֱכֹל קַשׁ לְשׁוֹן אֵשׁ posita observat pro eo, quod

 clarius

clarius esset כְּאֱכֹל אֵשׁ קַשׁ לְשׁוֹן הָאֵשׁ, et Kimchi notat, ex linguae usu alias praeponi agentem patienti; ubi vero res adeo sit perspicua, ut errori nullus plane sit locus, praeponi patientem agenti, ut hic; res enim ipsa docet, ignem devorare stipulam, non hanc illum; coll. infra LXIV, 1. Job. XIV, 19. וַחֲשַׁשׁ לֶהָבָה *Et foenum flammae*, i. e. inflammatum aut flagrans. Vel: *foenum in flamma*, sive *per flammam*, subaudito ב ante לֶהָבָה, ut Exod. XXXI, 17. שֵׁשֶׁת יָמִים, in *sex diebus fecit Jova coelum et terram.* חֲשַׁשׁ idem quod Arabum حشيش et حشيشة *herba siccata, pabulum siccum, foenum*; a حش in quarta conjug. *aruit.* Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 982. Chaldaeus pro voce hebraea posuit עֲמִירָא, quod Jarchi *stipulas spicarum* interpretatur. Convenit cum Syriaco ܚܫܝܫܐ, *gramen, herba, foenum*, quod interpres Syriacus Jesaj. XL, 6. pro hebraeo חָצִיר, et Matth. VI, 30. pro Graeco χόρτος posuit (cf. J. D. Michaelis ad Castelli *Lexic. Syriac.*), et cum Arabico غشيم, *herba virens, cui supereminent sicca, quae ad hujus caules germinat.* Kochero חֲשַׁשׁ est *palea, stramen herbaeve arentes incitando alendoque igni*, collato Arabico حشّ, *palea, confractum sparsumque stramen*, a حشّ, *excitavit, incitavit.* יִרְפֶּה *Remittit*, i. e. solvitur, exstinguitur. LXX: Καὶ (ὃν τρόπον) συγκαυθήσεται ὑπὸ Φλογὸς ἀνειμένης. Kocherus: „*Et stramen flammae remittit, concidit.* יִרְפֶּה ex Kal intransitive de igne *remittente, deficiente*, in cinerem *concidente*; id ἀνειμένης apud LXX, nam altera lectio ἀνημμένης minus convenit.“ Vulgatus: *et* (sicut) *calor flammae exurit.* Sensum utcunque expressit. Syrus: ܡܢ ܫܠܗܒܝܬܐ ܕܡܬܪܦܝܐ ܢܬܐܟܠܘܢ *a flamma, quae remittitur, consumentur.* Graecam versionem

sionem eum imitatum esse apparet. Saadias: وَٱلْهَشِيمُ كَمَا يَأْكُلُهُ ٱللَّهِيبُ *et pabulum aridum fractum quemadmodum consumit flamma.* שָׁרְשָׁם Sic *radix* et robur *eorum*, ut infra XIV, 30. Hos. IX, 16. Mal. III, 19. Job. XVIII, 16. Chaldaeus: חוּקְפְּהוֹן, *fortitudo eorum.* כַּמָּק *Sicut tabes*, id est, Jarchio explicante, sicut res quae tabescit, a מָקַק; cf. supra III, 24. Kimchi confert illud Talmudis: מקק של ספרים, de *libris, qui blattis et putredine consumuntur.* Chaldaeus: כְּשִׁבָּב, *sicut caries.* Saadias: كَدُقّ, *instar marcoris s. tabiei.* LXX: ὡς χνοῦς. Vulgatus: *quasi favilla.* Syrus: ܐܝܟ ܐܒܩܐ, *sicut pulvis.* Id placuit Michaeli, pro מַק legenti מָק, quod conveniat cum صوق, *pulvis.* Et sunt libri typis exarati, quos De-Rossi indicavit, in quibus מָק cum Camez reperitur. Sed *pulvis* Hebraeis est אָבָק, aut עָפָר, nusquam מָק. „Nescio," inquit De-Rossi in *Scholiis Critt.* ad h. l., „cur Michaelis, qui nostro huic vocabulo praeeuntibus veteribus et Arabibus *pulveris* vel *cineris* significationem vindicat in *Supplemm.* l. l., scribat hoc Jesajae loco ad radicem מָקַק, *contabescere*, sibi videri vix referendum, malitque *pulverem* esse. Nec enim de arbore, ut ipse sibi suadet et subdit, igne combusta et in cinerem resoluta est sermo, sed de radice, quae putrescit. Ita quidem vertit Syrus, sed LXX, qui habent hic χνοῦς, non κονιορτός, ut Cap. III, 24., incertum plane est, an legerint כמץ, vel potius כמץ, ut certe videtur legisse Vulgatus, qui transfert *quasi favilla* [Sed מֹץ est *gluma*, vid. infra XXIX, 5. Ps. I, 4.]. Lexicon Hebraicum manuale Simonis ex novissima Eichhornii editione parum accurate notat p. 900., in plerisque editionibus legi מַק a מָקַק, in posteriori tamen loco, seu nostro hoc, nonnullas, veluti Stephani, Maii, Vanderhooghtianam, cum Camez legere, ac si quaedam Capite III., pleraeque Cap. V. aliter legerent.

Priori

Priori loco editiones omnes a me collatae habent Patach, poſteriores omnes Camez, binis illis exceptis, quas ſupra produximus [Biblia Soncinenſia anno 1488. edita et Jeſajas ac Jeremias Ulyſſipone 1492.]." וּפִרְחָם *Et flos*, gemma, *eorum*, ut infra XVIII, 5. Chaldaeus: וּמָמוֹן אוּנְסֵיהוֹן, *et pecunia rapinae ſuae.* כָּאָבָק יַעֲלֶה *Sicut pulvis aſcendet*, et evolabit, evaneſcet. Jarchi: „Magnitudo eorum non ſecus ac pulvis, qui a vento commotus aſcendit et removebitur, tolletur." כִּי מָאֲסוּ אֵת תּוֹרַת יְהוָֹה צְבָאוֹת *Nam repudiarunt legem Jovae*, Dei *agminum*, haec reſpondebit poena divinae legi tam impudenter conculcatae. וְאֵת אִמְרַת קְדוֹשׁ־יִשְׂרָאֵל נִאֵצוּ *Et eloquium Venerandi Iſraelis ſpreverunt*, divina oracula deriſerunt et reſpuerunt. De verbo נָאַץ vid. not. ad I, 4.

25. עַל־כֵּן *Propterea*, propter illa iſtorum ſcelera. חָרָה אַף־יְהוָֹה בְּעַמּוֹ *Exarſit ira Jovae in populum ſuum*, ut Num. XI, 33. 2 Reg. XXIII, 26. Hoſ. VIII, 3. וַיֵּט יָדוֹ עָלָיו *Et extendet manum ſuam contra eum*, ad plagam eis infligendam. Chaldaeus: וַאֲרִים מְחַת גְּבוּרְתֵּיהּ עֲלֵיהוֹן, *et levavit plagam potentiae ſuae contra eos*, quomodo idem interpres eandem phraſin reddit Ezech. VI, 14. Cf. Exod. VII, 19. VIII, 1. וַיַּכֵּהוּ וַיִּרְגְּזוּ הֶהָרִים *Et percutiet eum ita ut commoveantur montes*, quibus Jarchi reges principesque ſignificari exiſtimat. Alii haec de tempore praeterito ſumenda, proprieque intelligenda de ingenti illo terrae motu, regnante Uſia, cujus mentio Amos I, 1. Zachar. XIV, 5., arbitrantur. Quam ſententiam pluribus commendavit S. H. Manger in Prolegomm. *Commentar. in Hoſeam* p. 13. ſeqq. Ea tamen minime probari poteſt, quum vates de poenis futuris agat. Kimchi pro metaphoricis habet: ut quaſi contremiſcant terrae fundamenta prae terrore. Cf. infra XIV, 16. Pſ. XVIII, 8. וַתְּהִי נִבְלָתָם כַּסּוּחָה בְּקֶרֶב חוּצוֹת *Eruntque eorum cadavera ſicut ſordes in medio platearum.* In כַּסּוּחָה veteribus omnibus כ ſimilitudinis particula viſa, ſolae literae סוּחָה nomen, quod eodem, quem סְחִי Thren. III,

III, 45. habet, significatu, *purgamentorum, fordium, quae aqua inducta scopis everruntur* (a סָחָה, *abluit, abrasit,* Ezech. XXVI, 4.) ceperunt. LXX: ὡς κοπρία ἐν μέσῳ ὁδοῦ. Vulgatus: *quasi stercus.* Syrus: ܐܝܟ ܛܝܢܐ, *sicut lutum.* Chaldaeus: כְּחַיחָתָא, *quasi stercus.* JARCHI: „Sicut sputum et vomitus, qui e corpore humano ejicitur, quod est res rejectanea; idem quod apud Talmudicos סְחִי, et Thren. III, 45. obvium." Sane verba secundae et tertiae radicalis quiescentis saepe a se invicem significationes mutuantur. KIMCHIO vero litera כ in כַּסּוּחָה est radicalis, ut sit nomen formae שַׁלְּחָה, Cantic. IV, 2. Quum כָּסַח et Hebraeis et Aramaeis et Arabibus *succidit, amputavit* denotet (unde Levit. XXV, 4. pro Hebraeo לֹא תִזְמֹר Onkelos posuit לָא תִכְסַח); Kimchi nostra verba ita interpretatur: *cadavera eorum amputata;* mutilata, *in plateis jacent.* Quod DAV. OTTENZOSER vernacule sic expressit: *Verstümmelte Leichen liegen in der Strafsen Mitte.* Sed כָּסַח verbum esse *amputandis plantis* proprium, docent tam ea loca, quibus in V. T. occurrit, quam illius usus apud Aramaeos, quibus praesertim de *vitium amputatione* dicitur. Vid. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1318. Arabibus vero كَسَحَ non solum *amputavit, evulsit plantam,* sed praeterea etiam *verrit, everrit domum, purgavit limo puteum* significat, unde كُسَاحَة *purgamentum, quod everrendo rejicitur.* Quare Saadias nostrum כַּסּוּחָה vertit مكسوحة, *quod everritur.* Aethiopice autem כסח est *stercus, excrementum,* quo Phil. III, 8. graecum σκύβαλα interpres Aethiopicus reddit. Ceterum ad rem confer infra X, 6. Zachar. X, 5. בְּכָל־זֹאת *In omnibus hisce,* quae iis obventura sunt, ut Jarchi addit. לֹא־שָׁב אַפּוֹ *Non aversa est ira ejus,* ut sibi blandiebantur, Jerem. II, 35. JARCHI: „Non emendati fuerunt in operibus suis, ut iram Dei a se averterent." וְעוֹד יָדוֹ נְטוּיָה *Et adhuc manus sua extensa* ad plagas eis infli-

infligendas. Cf. infra IX, 11. 16. X, 4. Chaldaeus: *Omnibus his non ſunt converſi a criminibus ſuis, ut averteretur furor ejus ab illis, ſed adhuc ſcelera eorum invaleſcunt; et iterum plaga ejus futura eſt, ut vindictam ſumat ab eis.* Hoſtes barbaros, vehementes et violentos Deum illis immiſſurum eſſe minatur.

26. Inde ab hoc Verſu deſcribitur expeditiſſimi exercitus adventus improviſus, qui, impetu hoſtili cum horrendis clamoribus, barritum vocant, pro more veterum conjunctis (Vs. 29.), tantum terrorem injiciet Judaeis, ut velut deliquium paſſi, obſcura omnia circum ſe videant. נָשָׂא־נֵס לַגּוֹיִם מֵרָחוֹק *Elevabit ſignum gentibus e longinquo,* ex longinquo Deus populos ad Iſraelitas puniendos accerſet; id quod terribilius. Siſtit Deum ut ducem ejus exercitus, a quo caedes Judaeis comparata eſt. Eſt autem ducis, ſignum elevare, delectus habere, aciem armis et bellicis artibus inſtruere. Quae omnia praeſtabit ſummus hic imperator ea ſolertia, ut nulla excogitari poſſit major, et ea celeritate, ut Judaei imminere ſibi hoſtem prius adſpexerint, quam venturum putarent. Primum igitur eſt, ut milites ſigno erecto convocentur. Id indicat נָשָׂא־נֵס, ut infra XI, 12. XIII, 2. XVIII, 3. XLIX, 21. Jarchi: „Deus gentibus innuet ſigno, ut ſeſe congregent, et contra Judaeos veniant. *Signi* vero *ſublatio* eſt tanquam pertica longa, cujus ſummitati aſſigunt linteum, imponuntque vertici montis excelſi, unde eminus conſpicuum eſt, quo ſignificatur hominibus ut ſeſe congregent. *Perticae* longae ſignificatu נֵס legitur et Num. XXI, 9.“ Ejusmodi ſignum militare deſcribit Curtius L. V. c. 2. *Tuba, quum caſtra movere vellet* (Alexander), *ſignum dabat, cujus ſonitus, plerumque tumultuantium fremitu exoriente, haud ſatis exaudiebatur. Ergo perticam, quae undique conſpici poſſet, ſupra praetorium ſtatuit, ex qua ſignum eminebat, pariter omnibus conſpicuum.* Caesar *de Bello Gall.* L. II, c. 20. *Caeſari omnia uno tempore erunt agenda: vexillum*

lum proponendum, quod erat inſigne, cum ad arma concurri oporteret. Cf. Lydii *Synt. de re militari* L. I. C. II. Michaelis in *Supplemm.* p. 1648. ſub נֵס intelligit *malum, in cujus ſummo copia picis accenditur (Stange mit Pechfäſſern)*; idemque infra XIII, 2. aliisque locis, ubi in montibus ſignum elevari, aut remotis populis erigi viam monſtraturum dicitur. Talia viae ſigna, أعلام, dicta, hiſtoria Arabum jam ante Joſuae tempora tribuit Abrahamo, intima Africae occidentalis adeunti et exploranti; utque redire viam poſſet, ejusmodi malos erigenti. Vid. Schultensii *Hiſtor. Imper. Vetuſt. Joctanidar.* p. 7. et 53. וְשָׁרַק לוֹ *Sibilabit ei,* per ſibilum advocabit. Jarchi verbum שָׁרַק exponit gallico *ſiffler (pfeiffen).* Alluditur, ut patet ex loco noſtro ſimillimo, infra VII, 18., ad apiarios, qui apes ſibilo ad alvearia ſua perducere ſolent. Cyrillus ad h. l.: *Δέχεται δὲ τοῦτο ὡς ἀπὸ τῆς συνηθείας τῆς ἐπὶ τῶν μυιῶν. Ἐν ἔθει γὰρ πώς ἐστι τοῖς μελισσοκόμοις συρίζειν αὐταῖς· οὕτω τε τῶν σίμβλων ἀποφέρειν εἰς ἄνθη, καὶ πόας, καὶ μὴν καὶ ἀνακομίζειν ἐξ ἀγρῶν, οἶκοί τε αὐτὰς ἐναυλίζεσθαι ποιεῖν. Sumit hoc rurſus ex muſcarum* (i. e. apum) *conſuetudine. Solent enim apiarii iis aſſibilare, et ita ex alvearibus ad flores et herbas eas educere, et ex agris revocare, domique ut immorentur, efficere.* Cf. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. C. X. T. III. p. 358. edit. Lipſ. – Sententia igitur ſimplex eſt, Deum congregaturum eſſe populos magna copia, et collectos inſtar apum, leviſſimo imperio ſuae voluntatis adducturum in Judaeam ad exſequendam vindictam ſuam. Sic plane ut apud Zachariam X, 8. de Iſraelitis recolligendis in Cananaeam: אֶשְׁרְקָה לָהֶם וַאֲקַבְּצֵם *ſibilabo eis eosque congregabo.* E quo loco ſimul apparet, לוֹ noſtro loco non eſſe *ſibi* vertendum, uti Druſius fecit, ſed *ei,* ſcil. צָבָא *exercitui,* ſive אוֹיֵב, *hoſti.* מִקְצֵה הָאָרֶץ *De extremitate terrae,* uti denunciatur illis, qui leges divinas contemnerent, Deut. XXVIII, 49. יִשָּׂא יְהוָה עָלֶיךָ גּוֹי מֵרָחֹק מִקְצֵה הָאָרֶץ, *adducet in te Jova gentem remotam usque*

usque ab extremis orbis terrarum finibus, aquila velociorem, gentem ignotae vobis linguae, gentem ita crudelem, ut neque senes revereatur, neque puerorum miserescat. Frustra laborant interpretes in definiendis populis, de quibus cogitarit vates, quos alii Romanos, alii Chaldaeos, alii Assyrios esse volunt. Gesenius collato loco infra VII, 18., ubi Jova Assyrios et Aegyptios ad Judaeos castigandos per sibilum advocaturus dicitur, eosdem illos populos vatem et hoc loco in mente habuisse putat. Sed hic in universum gentes barbaras, longinquas, lingua, cultu, moribus plane alienas a Judaeis, quod auget terrorem, in eos adducendas minatur. Sic Livius Lib. V, C. 37. de Gallis loquitur tanquam de *inusitato atque inaudito hoste, ab oceano, terrarumque ultimis oris bellum ciente.* וְהִנֵּה מְהֵרָה קַל יָבוֹא *Et ecce cito velociter veniet.* Chaldaeus: וְהָא בִּפְרִיעַ מַלְךְ בְּמַשְׁרְיָתֵיהּ כְּעַנְנִין קַלִּילִין יֵיתֵי, *et ecce cito veniet rex cum exercitu suo sicut nubes leves.* Voces מְהֵרָה et קַל adverbialiter adhibentur per ellipsin praefixi בְּ, ut Num. XVII, 11. Deut. XI, 17. Jos. VIII, 19. Ceterum non est haesitandum in eo, quod verba in hoc Versu in tempore praeterito posita sunt. Nam in vaticinatione Praeteritum vel Praesens pro Futuro usurpatur, ut res futurae tanquam praesentes spectentur, et quo magis eae ipsa etiam orationis forma ob oculos ponuntur, hoc vehementius animum commoveant.

27. Indefessus vigor, vigilantia, strenuitas, alacritas, disciplina militaris exacta adventantis describitur exercitus. אֵין עָיֵף *Nullus est defessus,* Deut. XXV, 18. 2 Sam. XVI, 14. וְאֵין־כּוֹשֵׁל בּוֹ *Nec impingens,* sive *labans in eo* exercitu (vid. ad Vs. 26.). Non impingent ad impedimenta in via, cf. infra LXIII, 13. Jerem. XXXI, 9. לֹא יָנוּם וְלֹא יִישָׁן *Non dormitabit nec dormiet.* „נוּם minus, quam יָשֵׁן. Est enim illud sopor ille, qui somnum praecedit, et ita proponitur, quasi αἰτιολογικῶς dicat: *non dormitabit, quare nec dormiet:* sicut duo priora verba אֵין עָיֵף וְאֵין־כּוֹשֵׁל connectun-

nectuntur eadem ratione causali: *non erunt defessi, quapropter non cespitabunt.*" Gussetius. וְלֹא נִפְתַּח *Nec solvetur*, ut idem verbum Genes. XXIV, 32. de *camelis* onere et clitellis *solutis* dicitur. אֵזוֹר חֲלָצָיו *Cingulum lumborum suorum*, perpetuo erunt accincti et parati vel itineri, vel actioni, cf. 1 Reg. XVIII, 46. 2 Reg. IX, 1. Ps. XLV, 4. אֵזוֹר proprie est *cingulum*, quo veteres adstringebant vestes, quoties ad iter ingrediendum, sive ad aliud quodvis negotium peragendum se pararent, ut expeditior esset incessus, neque vestibus laxioribus et demissioribus, huc illuc diffluentibus, impediantur. Ubi vero sermo de militibus, nomine אֵזוֹר videtur *militare cingulum* indicari, cui gladius insertus, quod apud Hebraeos non ex utroque humero ad pectus descendebat, quemadmodum olim apud Graecos, sed renes tantum *stringebat*, unde omnibus, qui aedificandis Hierosolymae moenibus operam praestabans, edixisse dicitur Nehemias, ut *gladio accinctos renes* habeant, Nehem. IV, 18. Et Ezech. XXIII, 15. milites Babylonii dicuntur *accincti* fuisse *cingulo lumbos suos*. Hinc balteorum sive cingulorum nomine omnis armatura per Synecdochen designata videtur. Arabes virum bellicosum رجل حكي الازار *virum cingulo accinctum* appellare, auctor est Giggejus. Huc refer illud Homeri *Iliad.* K. 77. 78.

Πὰρ' δὲ ζωστὴρ κεῖτο παναίολος, ᾧ ῥ' ὁ γεραιὸς
Ζώννυθ' ὅτ' ἐς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσοιτο.

Prope etiam balteus jacebat valde varius, quo senex cingebatur, quando ad bellum perniciosum armaretur. Valerius Flaccus *Argonaut.* V, 578.

Quis procul ille virum nobis, quem balteus asper
Subligat, et stricto stat proximus armiger arcis?

Pausanias in *Boeot.* Τὸ δὲ ἐνδύναι τὰ ὅπλα ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ ζωννύεσθαι. Cum igitur noster militum *cingula non esse solvenda* ait, tantumdem id erit, ac si dixisset, illos numquam inermes fore. וְלֹא נִתַּק שְׂרוֹךְ נְעָלָיו *Nec*

Nec rumpetur corrigia calcei sui; subnectuntur ii loris cancellorum in modum pedibus, plantas tantummodo munientes. Vid. Lydium l. c. L. III. C. 2. p. 45. Kimchi: „Pernoctabit loricatus in acie; neque balteum dissolvet, aut solvet a militari calceamento corrigiam.“ Sed de *solvendo* verbum נִתַּק, quod *rumpendi, avellendi* notionem obtinere constat, usurpatum fuisse vix verisimile. Hoc potius vult, corrigias, quibus calceamenta militum adstringuntur, ita esse firmas et durabiles, ut non rumpantur, nec opus sit, illis subinde alias substituere, quod exercitus progressui moram et impedimentum inferret.

28. Superiore commate milites descripserat, hoc, militiae instrumenta ad usum paratissima. אֲשֶׁר חִצָּיו שְׁנוּנִים *Cujus tela, s. sagittae sunt acutae,* Ps. XLV, 6. CXX, 4. וְכָל־קַשְּׁתֹתָיו דְּרֻכוֹת *Et omnes arcus ejus tensi,* proprie: *calcati,* quod quum veteres orientales populi arcus haberent magnos, subinde staturam hominis longitudine aequantes, eos tendendo calcaverint, imposito videlicet iis pede sinistro, de quo insignis est Arriani locus, quem attulimus ad Ps. XI, 11. LXX: Καὶ τὰ τόξα αὐτῶν ἐντεταμένα. Vulgatus: *et omnes arcus ejus extenti.* Chaldaeus: וְכָל קַשְׁתָּתֵיהּ מְתִיחָן, quod idem. Huic vero interpretationi obstare putat Michaelis in *Supplemm.* p. 466. tria potissimum loca (praeter nostrum Jerem. IX, 2. Ps. LXIV, 14.), quibus illa non convenire videatur. Ac quidem quod ad nostrum locum attinet, *Michaelis opinatur,* haec verba vix significare posse, ut vertere solent: *et omnes arcus illorum tensi;* nullius enim exercitus arcus semper, etiam in proficiscendo, tensos esse, amissuros enim esse, si ita gestarentur, vim suam elasticam. Quare punctis mutatis efferendum putat דֹּרְכוֹת, vertendumque: *arcus ejus sunt adsequentes,* i. e. metam adtingentes, verbo דָּרַךְ tribuens *adsequendi* significationem, quam Arabum درك in Conjug. IV. habet. Male vero verbo hebraico toties in V. T. *calcandi* notione obvio significatio affingitur peregrina, alii dialecto priva. Vividior

dior praeterea erit imago, interpretatione vulgari retenta. Hoſtium appropinquantium celeritas tanta ſiſtitur, ut ne arcum quidem in proficiſcendo remittant, verum ſemper ad aggrediendum ſint parati. פַּרְסוֹת סוּסָיו כַּצַּר נֶחְשָׁבוּ *Ungulae equorum ſuorum inſtar ſaxi reputantur.* צַר, quod alias anguſtiam denotat, h. l. idem volunt eſſe, quod צֹר *petra.* Ita LXX: ὡς στερεὰ πέτρα. Chaldaeus: כְּטִינָרָא תַקִּיפִין *ſicut petrae fortiſſimae.* Vulgatus: *ut ſilex.* Commode C. B. Michaelis, referente ita filio, Joanne Davide, in *Supplemm.* p. 2156. ad ſuorum bibliorum marginem contulit Arabicum ظُرٌ, *lapis,* in ſpecie, *acutus cultri inſtar,* et ظُرَرٌ, *ſilex attritu ignem edens.* Ei igitur equorum ungulae comparantur ob firmitatem et duritiem, qua fit, ut non atterantur curſu, et viae aſperitate. Nempe veteres equorum ungulas ſoleis ferreis non veſtiebant (nam quod Arabes equorum ungulas ſolea ferrea نَعْل, veſtiunt, ut Geſenius monet, ſerioris temporis mos videtur); unde ungularum firmitas inter praecipuas equorum virtutes numerari ſolebat. Sic in *Hippico* Xenophon vult, ut in equis maxime ſollicite ſimus περὶ τῶν ὁπλῶν ὅπως καρτεραὶ ἔσονται, *de ungula ut firma ſit.* Equos hujusmodi Homerus χαλκόποδας appellat, veluti *Iliad.* Θ. 41.

— ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω,

curri adaptavit aeripedes equos. Et *Odyſſ.* Φ. 30. eosdem vocat κρατερώνυχας, *fortes ungulis.* Plura vid. in Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. C. IX. T. I. p. 120. edit. Lipſ. גַּלְגִּלָּיו *Rotae ejus,* i. e. curruum, quibus in praeliis utebantur, vid. Joſ. XVII, 16. Jud. I, 10. IV, 3. 7. Nah. II, 5. Cf. Jacob. Lydii *Syntagm. Milit.* L. III. Cap. X. Dilherri *Disputt. acadd.* Tom. I. p. 129. Comparantur cum סוּפָה, *turbine,* tam ob velocitatem, quam ob vim ingentem, qua omnia dejiciunt et ſecum proripiunt. Cf. infra LXVI, 15.

29. Nec vigilantia, nec labor indefeſſus, aut diſciplina, et inſtrumentorum militarium cura ſufficiunt militibus ad rem bene gerendam. Requiritur praeterea audacia, animus imperterritus et generoſus, vindictae, gloriae, aut praedae cupiditas, quae illos inflammet. Quales ut copias hoſtiles depingat propheta, adhibet imaginem leaenae et leonum juvenum, imperterritorum, nihil timentium periculi, et praedae, quam coram oculis habent, intentorum. שְׁאָגָה לוֹ *Rugitus* eſt *ei* hoſti, Zachar. XI, 3. Job. IV, 10. כַּלָּבִיא *Inſtar leaenae* (coll. Arabico لباة, لبوة et لبية, vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. C. I. T. II. p. 11. edit. Lipſ.), quae leonem aequat, aut etiam ſuperat audacia et ſaevitia. Cf. Num. XXIII, 24. Unde Herodotus III, 108. Ἡ δὴ λέαινα ἐὸν ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον. Vid. Bochartum l. c. p. 12. De *rugitu* leonum vid. eundem C. II. p. 26. 27. Ei hoſtium truculentorum barritus et Jerem. II, 15. comparatur. וְשָׁאַג (ita enim legendum, quod in textu ſcribitur, pro quo ad marginem יִשְׁאַג, Futurum, legendum praecipitur) *Et rugiet*, Amos III, 8. Sunt, quibus י ante שָׁאַג indicet Fut. 3. perſ. ſingul., decerptum de pronomine 3. perſ. הוּא, ut in וְצָפַן, Proverb. II, 7. et וְדָכָה, Pſ. X, 10. Vide Storrii *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 138. et Hezelii *Ausführliche hebräiſche Sprachlehre*, p. 255. Invenitur tamen יִשְׁאַג in textu codd. nonnullorum, in Bibliis Complutenſibus, et in Jeſaja Polyglotto Baſileenſi. כַּכְּפִירִים *Inſtar leonum juvenum*, Ezech. XIX, 2. 3. Vid. Bochartum l. c. C. I. p. 4. et Michaelis *Supplemm.* p. 1335. וְיִנְהֹם *Et fremit*, nonniſi de leunculis uſurpatur, vid. Prov. XIX, 12. XX, 2., et cf. Bochartum p. 28. וְיֹאחֵז טֶרֶף *Et capiet praedam*; poſt leonis rugitum ſtatim ſequitur ſtrages et dilaceratio. Neque enim acri illo et contento rugitu rugire ſolet, niſi cum videt praedam, in quam protinus irruat. Vid. Bochartum l. c. p. 26. Kimchi: „Non eſt rugitus ac fremitus ejus fruſtra, ſed quum ceperit praedam, uti dicitur Amos III, 4. *Nunquid rugiet leo in ſylva,*

quando

quando ei non fuerit praeda?" וְיַפְלִיט *Et evadere faciet* eam, praedam, i. e. in tutum locum adducet, securam á manu omnium eam eripere atque asserere volentium. Eodem sensu הִפְלִיט et Mich. VI, 14. occurrit. וְאֵין מַצִּיל *Nec erit, qui eripiat,* ut Ps. VII, 3., tam mordicus praedam tenebit, ut nullus eam ex illius unguibus expediat.

30. וְיִנְהֹם עָלָיו בַּיּוֹם הַהוּא כְּנַהֲמַת־יָם *Fremetque* hostilis exercitus, *contra eum,* populum Judaicum, *instar fremitus maris,* veniet contra Judaeos hostis infensus cum sonitu horribili ex armorum strepitu, buccinarum clangore, et barbarae vocis horrisono ululatu, non secus atque si mare saeviens cum ingenti fragore vastos devolvat atque frementes fluctus in objectas rupes. וְנִבַּט לָאָרֶץ *Et si adspexerit* populus Judaeorum *ad terram,* humana auxilia circumspiciens; uti Chaldaeus explicat: וְאִם יִבְעוֹן רַשִׁיעַיָּא סְעִיד מִיָּתְבֵי אַרְעָא *quodsi quaesiverint impii auxilium ab habitatoribus terrae.* נִבַּט Piel, ut infra XXII, 8. 11. Sed Vulgatus, qui *adspiciemus in terram* vertit, cepit pro prima persona pluralis Futur. Kal, ut sit sensus: tunc si *respiciamus terram,* patriam nostram, nil nisi tenebrae ibi erunt. Alii cum Jarchio capiunt pro Niphal, impersonaliter: *respicietur in terram* hanc, de qua agitur, et ecce omnibus in eam respicientibus apparebit חֹשֶׁךְ, *caligo,* nihil lucis, nihil solatii et laetitiae, nihil auxilii a Deo aut hominibus exspectandi superest miseris, omnia sunt desperata, merae tenebrae et caligines. Cf. infra LIX, 9. Amos V, 18. 20. Thren. III, 2. Verba צַר וָאוֹר, *angustia et lux,* varii explicant varie. Vitringa: *angustum erit et lux,* h. e. *lux erit angusta.* Kocherus: *lux angustissima,* i. e. fortuna maligna, fere ut Virgilius *Aeneid. VI,* 270.

Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in sylvis. — —

Conferre jubet אֵין וַעֲצָרָה supra I, 13., ubi not. vid. Ludov. de Dieu: *angustia est et lux,* i. e. simul et angustia et lux est;

eſt; ne lux quidem anguſtiam pellit. Mallem: *anguſtia fiet ipſa etiam lux,* i. e. et ſicubi etiam aliquod auxilium videatur populo adfulgere, tamen mox in meram anguſtiam convertetur: ſi forte ſpes aliqua ſalutis aliunde affulgeat, ipſa quoque populum confundet et anguſtia afficiet. Pluribus verbis idem exprimitur infra LIX, 9. 10. Similiter Gesenius haec verba de lucis et anguſtiae, i. e. ſpei et metus viciſſitudine, ut fit in turbulentis rerum publicarum temporibus, intelligit. Jarchi refert, eſſe, qui צַר *lunam,* אור vero *ſolem* interpretarentur. Ita Saadias,* qui verba צַר וָאוֹר חָשַׁךְ ſic reddit: وَٱلْقَمَرُ وَٱلشَّمْسُ قَدْ أَظْلَمْ *et luna atque ſol obſcuratur.* צַר *lunam* exponit et Hillerus in *Onomaſt.* S. Indic. Locor. Script. S., contractum illud nomen exiſtimans ex צְהַר, *ſplendor,* quemadmodum צֶרֶת, feminae alcujus nomen 1 Paral. IV, 7., contracte ſic dictum pro צְהֶרֶת, *ſplendula,* ſive *ſplendor.* Senſus, adſcita *lunae* ſignificatione, prodit idoneus et facilis; modo illa argumentis ſat firmis niteretur. Jarchi ipſe verba noſtra ſenſu convenire ait cum loco infra XXXI, 3. וְכָשַׁל עוֹזֵר וְנָפַל עָזֻר, *corruetque adjutor, concidetque adjutus, ſimulque conſicientur univerſi.* Ita et hoc loco verbis צַר וָאוֹר vatem hoc ſibi velle, tam ei, qui in calamitate verſetur, dum in eum anguſtiae irruant, quam ei, qui huic lucem, auxilium afferre ſtudeat, ambobus fore tenebras. Kimchi relicta interpunctione Maſorethica jungit צַר חָשַׁךְ, vertitque: *et en! tenebrae anguſtiae,* i. e. angore, metuque plenae; cf. infra VIII, 22. *Et terram reſpiciet,* וְהִנֵּה צָרָה וַחֲשֵׁכָה, *et en! anguſtia et caligo.* Tum: וָאוֹר חָשַׁךְ, *et lux ipſa obſcuratur.* Ita et Vulgatus: *et ecce tenebrae tribulationis; et lux obtenebrata eſt in caligine ejus.* Sed qui accentibus diſtinxerunt textum hebraeum gravibus rationibus permotos, traditionemque, cui multum eſſet auctoritatis, ſequutos eſſe credibile eſt, dum accentu diſtinctivo majore, *Sakeph-katon,* nominibus חשך et וָאוֹר impoſitis, ea ab iis, quae ſequuntur, ſepararent. Praeterea verba צַר וָאוֹר, quae accentu

centu Munach, voci צַר supposito, conjunguntur, non esse divellenda, significarunt et illi, qui puncta vocalia apposuere, eo quod copulam ו nomini אור non cum Schva, sed cum Camez praefigerent. Sic תֹהוּ וָבֹהוּ Genes. I, 2., פַּחַד וָפַחַת וָפָח infra XXIV, 17. Exempla plura nominum hac ratione arctius conjunctorum vid. in Wasmuthii *Hebraism. Restitut.* Reg. XVIII. p. 52. Membr. IV. p. 52. Haud minor interpretum dissensus est circa postremam Versus nostri phrasin, חָשַׁךְ בַּעֲרִיפֶיהָ. Veteres nihil lucis praebent. Alexandrinus: ἐν τῇ ἀπορίᾳ αὐτῶν. Dathius eum interpretem nomen quoddam a verbo עָטַף, *deliquium animi passus est*, ut Thren. II, 19., deductum legisse conjicit. Nec expressit interpres verbum חָשַׁךְ, uti nec Vulgatus, cujus verba paullo superius adduximus. Syrus: ܘܢܘܗܪܐ ܢܚܫܟ ܒܥܡܛܢܗܘܢ *et lux obtenebrescit in caligine eorum.* Chaldaeus verba hebraea inde a וְהִנֵּה-חָשַׁךְ liberiore paraphrasi ita expressit: עָקָא וּתְבַר אֵיתֵי עֲלֵיהוֹן בְּרַם צַדִּיקַיָּא דִּיהוֹן בְּשַׁעְתָּא הַהִיא יִתְכַּסּוּן מִן קֳדָם בִּישְׁתָּא *angustiam et confractionem inducet super eos; sed justi, qui erunt in illa hora, protegentur a facie mali.* Jarchi, cum quo Hebraeorum plerique consentiunt, a *stillandi* significatione, quam verbum עָרַף Deut. XXXII, 2. obtinet, *vapores nebulasque*, quibus humidum et caliginosum redditur coelum, sive aer, nomine עֲרִיפִים indicari existimat. Hinc Saadias: في اقطارها *in stillationibus ejus (terrae).* Possit nomen Arabicum et *tractus* denotare, quomodo Paulus cepit; sed existimo, Saadiam notionem vocis hebraeae a suis receptam exprimere voluisse. Eandem illam expressit Ottenzoser: *Triefende Dünste verdunkeln Sonn' und Mond.* Quum Hos. X, 2. verbum עָרַף *destruendi* significatu occurrat (יַעֲרֹף מִזְבְּחוֹתָם, *destruet altaria eorum*), Hebraeorum alii, Kimchio memorati, עֲרִיפִים interpretantur *destructiones, ruinas.* Id commendavit Hoheisel in *Observatt. philologg. exegett.* p. 52., qui verborum חָשַׁךְ בַּעֲרִיפֶיהָ sensum hunc esse vult:

 obscu-

obſcurabitur lux in ruinis ejus, terrae et urbis, ſ. tum, cum pervertetur atque vaſtabitur. Jos. Frid. Schelling in *Animadverſſ. philologg. critt. in loca difficiliora Jeſajae* p. 5., recenſitis et dijudicatis aliorum quorundam recentiorum interpretationibus, nomini עֲרִיפִים ſignificationem *ſiderum* tribuit, quae in Caſtelli *Lexic. Heptagl.* nomini عَرِيفَة adſcribitur, unde locum noſtrum hoc modo explicat: (populus) *intuetur terram, et ecce! denſa caligo; quin lux obtenebrata eſt in ſideribus ejus.* Verum Arabum عَرِيفَة *ſidera* notare, praeter Caſtellum nemo tradit, nec quo auctore illi nomini eam ſignificationem tribuerit, indicavit. Tingstadius in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 33. עֲרִיף ſignificatu haud diverſum putat ab עָרַב *tenebrari,* locumque noſtrum ſic vertit: *Intueberis terram, et ecce! tenebrae anguſtiarum! Solis lumen propter tenebras ejus* (terrae) *obſcuratur.* Addit, nomen עֲרִיף ejusdem eſſe ſignificatus cum עֲרָפֶל, cui additum ל ſervile vim ſenſus augeat atque intendat. Nobis tamen magis arridet *nubium* ſignificatio, quae cognata eſt cum *vaporum* vel *nebularum* notione, quam Hebraei nomini עֲרִיפִים tribuunt. Hinc verba חָשַׁךְ בַּעֲרִיפֶיהָ vertimus: *caligo ingruet in nubibus ejus,* terrae, i. e. in coelo, quod terram illam circumtegit.

Cap. V, 1. *Canam pro amico meo carmen amici mei de ejus vinea.*

2. *Habebat amicus meus vineam in quodam pingui colle, quam ſepivit, elapidavit, generoſa vite conſevit, in eaque media conſtruxit turrim, nec non torcular in ea excidit. Sed quum uvas edituram ſperaret, edidit labruſcas.*

3. *Nunc, Hieroſolymitani et Judaei, judicate inter me meamque vineam.*

4.

4. Quid amplius faciendum fuit meae vineae, quod ei non fecerim? Cur sperante me eam uvas edituram edidit labruscas?

5. Itaque volo vobis ostendere, quid sim facturus meae vineae: ejus sepem auferam, ut depascatur; maceriem diruam, ut proteratur;

6. Eamque in tantam redigam vastitatem, ut neque putetur, nec pastinetur, orianturque in ea vepres atque spinae; tum autem nubibus vetabo, ne pluviam pluant in eam.

7. Jam Jovae, agminum Dei, vinea est Israelitica domus, et Judaei ejus deliciarum plantarium; a quibus quum jus speraret, ecce caedes! quum justitiam, ecce clamorem!

8. Vae! qui domos domibus conjungitis, fundos fundis continuatis, eousque ut nullo restante loco soli in media terra sedem habeatis.

9. Haec mihi in aurem dixit Jova, agminum Deus: multae erunt domus desolatae incolarum defectu.

10. Nam decem vineae jugera bathum duntaxat facient, et seminis modii decem reddent unum modium.

11. Vae! qui mane surgunt, ut potationi indulgeant, et statim a diluculo vino incalescunt,

12. Qui convivia citharis, nablis, tympanis, tibiis, vino celebrantes Jovae facta non spectant, ejus manuum opus non considerant.

13. Quamobrem exsulabit imprudens meus populus, ejusque et nobilitas fame conficietur, et vulgus siti arescet.

14. Itaque pandet orcus suum spiraculum, et fauces diducet in immensum, eoque descendent clari juxta ac plebeji, locupletes atque exsultantes.

15. Deprimentur homines, dejicienturque viri, et superborum supercilia demittentur.

16. *Extolletur vero Jova, agminum Deus, per judicium, sanctusque Deus ob justitiam sancte coletur.*

17. *Tum agni pascentur arbitratu suo, et vastata loca carpent arietes peregrini.*

18. *Vae! qui delictorum poenas funibus nequitiae et peccatorum poenas quasi plaustri loris attrahunt.*

19. *Atque ita dicunt: acceleret, properet illius opus, ut id videamus! appropinquet eveniatque Sancti Israelitarum consilium, ut id cognoscamus.*

20. *Vae! qui malum bonum, et bonum malum dicunt, qui tenebras in lucem, et lucem in tenebras convertunt; qui amarum in dulce, et in amarum dulce mutant.*

21. *Vae! qui sibi sapientes videntur, suoque judicio sunt prudentes.*

22. *Vae! qui ad potandum vinum fortes sunt, et ad fundendum temetum robusti;*

23. *Qui sontes absolvunt ob munera, et insontibus suum jus eripiunt.*

24. *Quamobrem ut lambens ignis stipulam consumit, ut festucam flamma conficit, sic illorum stirps tanquam putre quiddam erit, et flos eorum quasi pulvis abibit: nam Jovae, agminum Dei, legem repudiarunt, et Sancti Israelitarum dicta contemserunt.*

25. *Hac de causa incensus in suum populum Jova eum porrecta manu ita percutiet, ut ipsi montes cohorrescant, adeo ut eorum cadavera mediis in viis tanquam sordes jaceant. Et tamen ne sic quidem pacatus habebit adhuc porrectam manum.*

26. *Tum signum externis procul extollet, et eos ab ultimis usque terris sibilo vocabit; et ecce e vestigio leves aderunt, ita ut nullus sit eorum, qui defatigetur aut impingat;*

27.

27. *Nemo dormitator aut somniculosus, nemo, cujus aut laterum balteus solvatur, aut calceamenti corrigia rumpatur.*

28. *Erunt eorum, et acutae sagittae, et arcus omnes intenti; equorum ungulas silices esse putes; et rotas turbines;*

29. *Fremitus eorum erit, qualis est leaenae, fremunt sicut scymni, qui praedam frendentes corripiunt eamque abducunt, ut nemo eripere possit.*

30. *Frementque tum in eum instar marini fremitus, ut si terram adspicias, videas caliginem, angustiae lucisque vicissitudinem, atque caligo ingruet in ejus nubibus.*

IV.

Cap. VI.

Argumentum.

Illuftris fpecies Dei in fua majeftate et gloria objicitur oculis prophetae (Vs. 1.), quem laudant cuique affiftunt alati Seraphi (Vs. 2. 3.). Hujus adfpectus magnificentia et majeftate perculfus vates vitam fuam periclitari putat, fuae fibi indignitatis et vitiofitatis confcius (Vs. 4.). Poftquam vero Seraphus ab inuftis labiis candenti carbone impuritatem deterfit (Vs. 5. 6.), offert fe vates ultro, in quamcunque Deus provinciam et minifterium vocet (Vs. 7.). Cui ad extremum Deus id dat in mandatis, ut Judaeorum genti caecitatem et obftinationem denunciet et exprobret (Vs. 9.), et quod propterea illi iterum atque iterum infortunium impendeat (Vs. 10 — 13.).

Doederlein vifionem divinam, quae Verfibus feptem prioribus narratur, oraculo, feu potius orationi feveriori, quae fequitur, introductoriam effe cenfet. Praevidiffe prophetam, quantam fibi invidiam oratione invectiva in populi impietatem et minis plena creaturus effet, nifi auctoritate divina praemuniretur. Ad hanc igitur aut cavendam, aut emolliendam, excitandamque attentionem, vatem tradere, fe non fine numinis admonitu talia edicere, fed divinitus inftructum confirmatumque publice cenforis officio defungi. Ceterum omnem hanc repraefentationem fymbolicam effe, variis compofitam figuris, aliis ex hiftoria, aliis ex ingenio

et

et fabula, aliis ex cultu Judaico petitis, ad depingendam summi omnium Imperatoris majestatem aptissimis. Nos tamen haud dubitamus iis accedere interpretibus, qui solennem inaugurationem ad munus prophetae gerendum hoc carmine describi statuunt. Suadent id et carminis sublimitas et similes visiones, quibus ad munus propheticum inaugurati sunt Jeremias Cap. I. et Ezechiel Cap. I. Atque quemadmodum Jeremiae deprecanti munus propheticum sibi oblatum, cui se imparem sentit, Deus animum addit tactoque ejus ore prophetam consecrat, munerisque partibus instruit; ita et Noster haud parem muneri prophetae gerendo se sentiens labiis contactis igneo lapide a sua immunditie liberatur; et hoc ipso ad suum munus inauguratur. Sic et alii vates, quibus numen sanctissimum visu sese offerret, suae infirmitatis memores, se tanta visione indignos judicarunt. Vid. Ezech. I, 28. Daniel VIII, 17. 18. X, 9. 10. Apoc. I, 17. Erit igitur hoc Carmen omnium qui Jesajas edidit primum; nec obstat huic sententiae libri inscriptio, in qua Jesajas sub Usia prophetae munere fungi coepisse dicitur. Quum vero quae hoc Capite describitur visio eo quo Usias rex obiit anno objecta fuerit (Vs. 1.), aliquot menses ante regis mortem id accidisse necesse est. Cur vero qui Jesajana vaticinia in unum volumen collegerunt, hoc, quod temporis ratione omnium primum est, non in libri fronte collocarint, ratio probabilis nunc vix reddi poterit.

Carmini huic explicando Viri Docti haud pauci singularem operam impenderunt. Quorum scripta, quotquot nobis innotuerunt, jam recensebimus.

Hieronymus sub Commentarii in hoc Caput initio: „De hac visione ante annos circiter triginta, quum essem Constantinopoli et apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejusdem urbis Episcopum, Sanctarum Scripturarum studiis erudirer, scio me brevem dictasse subitumque tractatum, ut experimentum caperem ingenioli mei,

mei, et amicis jubentibus obedirem." Ille tractatus idem videtur, qui hodienum exstat inter Hieronymi Epistolas, Damasco inscriptus est, legiturque in Hieronymi Operum edit. Francofurt. T. III. p. 77. seqq., edit. Martianaii T. IV. p. 1120.; edit. Vallars. T. III. p. 500. Explicatio satis prolixa, sed tota allegorica et mystica.

Jo. Georg. Abicht Differtat. *de Domino Esajae viso et Trisagio celebrato*, Gedani, 1718. Repet. in *Thesauro Novo Theolog. Philolog.* s. *Sylloge Differtatt. Exegeticar. in V. et N. T. e Museo Conr. Ikenii et Theod. Hasaei*, T. I. (Amstelaed. 1732. fol.) p. 865. seqq.

Herm. Witsius in *Miscellann. SS.* T. II. Exercit. I.

Joa. Marckius in *Exercitatt. Textuall. ad selecta loca V. T.* Exercitat. XIV. p. 440. seqq.

Guil. Ern. Ewald *Exercitat. de gloria Messiae in visione prophetica demonstrata*, in *Emblematt. SS.* P. III. p. 445. seqq.

Jo. Phil. Cassel *Commentat. exeget. philolog. de gloria Jesu Christi in regno gratiae ad illustrandam visionem propheticam* Jesaj. VI, 1—4. Magdeburgi, 1743. in quat.

Jo. Godofr. Eichhornii hujus carminis versio teutonica et explicatio, quae in *Repertorii Literat. bibl. et oriental.* ab ipso editi T. XVI. p. 285. exstat, repetita legitur in Anthologia, cui epigraphe: *Blumen althebräischer Dichtkunst*, p. 285. seqq., et in *den Hebräischen Propheten* P. I. p. 144. seqq.

J. G. Mosche nostram pericopam illustravit in opere periodico *der Bibelfreund* T. II. p. 232. seqq.

J. G. Eckermann *Theologische Beyträge* T. I. Fasc. I. p. 79. et Fasc. II. p. 67. seqq.

C. F. Guil. Sachs *Commentatio ad libri Esajae Cap. VI*, 1—13. Hal. Saxon. 1806. in quat.

---

1. בִּשְׁנַת־מוֹת הַמֶּלֶךְ עֻזִּיָּהוּ *In anno mortis regis Usiae*, quo mortuus est rex Usias; cf. similem phrasin infra XIV, 28. Sed Chaldaeus: בְּשַׁתָּא דְּאִתְנְגַע בַּהּ מַלְכָּא עֻזִּיָּה, *in eo anno quo lepra percussus est Usias rex.* Id sequuntur praeter Jarchium plures Hebraeorum interpretes; nam ex eorum placitis leprosus pro mortuo habebatur. Verum locus parallelus nostri vatis modo indicatus arguit, verba nostra simpliciter esse intelligenda de obitu Usiae regis. Et quemadmodum illud vaticinium, cui XIV, 28. inscribitur בִּשְׁנַת־מוֹת הַמֶּלֶךְ אָחָז, plures volunt Ahaso mortuo editum esse, ita et nostrum, cui eadem epigraphe, non *ante*, sed *post* mortem Usiae proditum statuunt. Ea Hieronymi est sententia in utraque hujus Carminis expositione. Ita enim ille in priore ad Damasum: „Regnavit Ozias annis quinquaginta duobus, quo tempore apud Latinos Amulius, apud Athenienses Agamestor undecim annis imperabat. Post cujus mortem Esajas propheta hanc visionem, quam explanare nunc nitimur, vidit, id est, eo anno, quo Romulus, Romani imperii conditor, natus est. . . . . . Vivente leproso rege, et, quantum in se est, sacerdotium dissipante, Esajas visionem videre non potuit. Quamdiu ille regnum tenuit in Juda, propheta oculos non levavit ad coelum; non ei sunt reserata coelestia, non apparuit Dominus Sabaoth, nec in mysterio fidei ter Sancti nomen auditum est. Quando vero ille mortuus est, universa, quae subsequens sermo monstravit, aperto sese lumine prodiderunt.“ Non hoc vult Hieronymus, hoc carmen omnium, quae Jesajas edidit vaticinium, esse primum, sed, *primam* esse *visionem*, quae illi divinitus oblata esset. Idem Hieronymus in Commentario: „Sub quatuor regibus prophetasse Esajam super Judam et Hierusalem, primae visionis [rectius dixisset: *vaticinii*] titulo demonstratum est [I, 1. vid. ad eum loc. not.]. Mortuo ergo Uzia, sub quo dicta sunt universa, quae supra exposuimus, successit filius ejus, Joatham, qui regnavit annis sedecim, et fecit rectum in conspectu Domini, et portam templi aedificavit excelsam. Quo imperante vidit

Esajas

Esajas sedentem Dominum super solium excelsum et elevatum, ut habitum regnantis ostenderet." Sed vere monuit Gesenius, visio, quae hoc Capite describitur, si vati objecta fuisset mortuo Usia, credibile esse, primum annum Jothami, successoris Usiae in regno, notari. Caussam quidem, cur in hac inscriptione tempus oblatae vati visionis morte decedentis potius, quam regno tunc regnantis regis, Jothami, notetur, Chr. Aug. Crusius in Progr. *de aera Jothamica* (Lips. 1756.), tradit hanc: „Annus ille, quo rex Usias mortuus est, Jothamicus secundus quidem, sed regni Jothami primus erat, ideoque nomen, si a Jothamo appellabatur, ambiguum erat. Nam eo tempore, quo Usias senex functiones sacerdotii sibi arrogans in Sanctuario lepra percussus erat, ideoque cum contumelia *separatim* degere cogebatur, et Jothamus domui regiae praeerat, etsi regio nomine non utens, vivente patre, qui sequenti anno decessit, anni Jothamici, ut aera secundaria, aliquandiu numerati sunt, etiam post ejus mortem, quam ob causam annus Ahasi tertius nuncupatur quoque vicesimus Jothamicus. Casus autem ille, quo adfectatio sacerdotii in rege ceteroquin probato confestim lepra lethali vindicabatur, in historia religionis V. T. permagni ponderis est, ostenditque, quam divina et inviolabilis sit constitutio per Mosen facta. Hinc operae pretium utique fuit, annos ab hoc termino numerare, sed non tristi nomine, quodque in defunctum videri posset contumeliosum, annos leprae Usiae." Quod quidem argute excogitatum, sed parum verisimile est. Nec valet hujusmodi ratio epigraphes oraculi XIV, 28. praemissae. וָאֶרְאֶה *Vidi* oculis mentis; nam de visione phantastica, quae prophetae vigilanti et in ἔκστασιν rapto obtigerit, ea omnia, quae hac pericopa narrantur, intelligenda esse, inter Hebraeos recte observat Abarbenel, haud longe diversus a Maimonide, qui in *More Nebochim* P. II. C. XLV. Jesajae hoc visum in somnio prophetico obtigisse contendit, quod ipsum a visione ecstatica parum, aut nihil differt. Eadem ratio visionum est, quae narrantur a Micha 1 Reg. XXII,

XXII, 19., Amoſo VII, 1. VIII, 1. IX, 1., Jeremia I, 11. 12. 13., Ezechiele I, 1. X, 1., Daniele VII, 13. אֶת־אֲדֹנָי *Dominum*, Jovam, Iſraelitarum regem, ut diſerte Vs. 5. appellatur. Chaldaeus יָת יְקָרָא דַיְיָ, *gloriam Jovae*, poſuit, ut innueret, vatem non vidiſſe ipſum Deum, cujus מַהוּת ſive מְצִיאוּת, *eſſentiam, ſubſtantiam*, uti Hebraeorum philoſophi loquuntur, mortalium nemo vel oculis uſurpare, vel imaginandi vi repraeſentare ſibi poteſt, ſed ſymbolicum quoddam phantasma, quod Deum repraeſentaret. Specie humana autem vatem animo concepiſſe Jovam ſuum, patet inde, quod throno eum inſidentem ſplendidaque trabea indutum deſcribit. Et Ezechiel numen in viſione ſibi oblatum deſcribit I, 26. דְּמוּת כְּמַרְאֵה אָדָם *figura humanae ſimili.* Interpretum antiquiorum et recentiorum haud pauci eum, qui hic deſcribitur אֲדֹנָי, *Deum filium* fuiſſe exiſtimant ob locum Joh. XII, 41. Sed non ſunt inferenda Jeſajae ſerioris theologiae Judaicae placita. Vid. Eckermannum locis in Argumento laudatis. Ceterum in Codd. 61. Kennicottianis MSS. et 54. De-Roſſianis vox אֲדֹנָי textus hodierni permutatur cum voce יְהוָה. Certe pluribus aliis locis Judaei ſuperſtitione ducti, pro יְהוָה poſuerunt אֲדֹנָי. Verba יֹשֵׁב עַל־כִּסֵּא רָם וְנִשָּׂא vulgo vertunt: *ſedentem ſuper throno alto et elato*, notatque Kimchi, cui et Gesenius adſtipulatur, רָם et נִשָּׂא eſſe adjectiva ſubſtantivi כִּסֵּא. Sed eſt docta Abarbenelis obſervatio, voces illas aeque commode referri poſſe ad Deum, ut ſenſus ſit, ſpeciem, quae occuparet thronum, viſam eſſe auguſtam, et humana longe majorem. Certe haec ipſa epitheta alibi Dei tribuuntur, et apud ipſum noſtrum prophetam infra LVII, 15. *Nam ſic ait* רָם וְנִשָּׂא *altus et elatus, habitans aeternitatem.* Cf. Pſ. XCIX, 2. Ad Deum, non ad thronum, referenda eſſe adjectiva רָם et נִשָּׂא, indicarunt et illi, qui Accentus appoſuerunt, uti oſtendit H. B. Starckius in *Nott. Sell.* ad h. l., et G. C. Dachsèl in *Bibliis accentuatis* P. II. p. 21., qui locum noſtrum docent ſic vertendum: *vidi Dominum throno inſidentem, excelſum et elevatum* (*Ich ſah den Herrn hoch und*

und erhaben sitzen auf einem Thron). וְשׁוּלָיו *Et fimbriae ejus*, i. e. orae, partes extremae vestis amplae et magnificae, qua indutus esset. שׁוּלַיִם non sunt *orae stragulorum* sive *tapetum*, quibus thronus tectus fuerit (cujusmodi a Plutarcho in Vita Alexandri *ἁλουργὰ καὶ ποικίλα περιβόλαια* dicuntur), ut vult Aben-Esra; sed *fimbriae vestis*, ut Exod. XXVIII, 33. 34. Orientalium dignitas enim, Doederlein recte observat, aestimatur ex laciniis laxioribus, quas opulentiores et reges pone se trahunt. Ejusmodi erant stolae Medorum; vid. Brissonium *de regno Persar.* L. II. §. 186. p. 247. edit. Sylburg. Summum imperatorem vestimenti lacinias non alias, quam quae omnia circa se obtegunt, habere decet. Jarchi: „Indicantur fimbriae inferioris pallii Dei. Vidi, inquit vates, illum sedentem super solio suo in coelis; pedes autem ejus fuerunt in templo; videlicet scabellum pedum ejus fuit in Sanctuario." Vid. 1 Paral. XXVIII, 2. Thren. II, 1. Ps. XCIX, 5. coll. Ezech. XLIII, 7. et infra LX, 13. Hieronymus: *Et ea, quae sub ipso erant, implebant templum.* Imitatus est Symmachum et Theodotionem, qui vocem שׁוּלַיִם generaliori significatione pro *extremis* et *infimis* acceperunt (*τὰ πρὸς ποδῶν αὐτοῦ*). Ratio haud dubie iis fuit, quod non satis decorum divinae majestati putarint, visum esse Deum a propheta trabea indutum. Forsan idem movit τοὺς LXX, ut verba verterint: *Καὶ πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ*, quod ipsum quoque irrepsit in versionem Hieronymi, ex margine, uti credibile est, a librario intrusum in textum. Quod figurate dictum est in Hebraeo instituerunt illi *proprie* reddere. Familiare id Chaldaeo, qui et hoc loco non neglexit. Sic enim ille hemistichium posterius reddit: וּמִזִּיו יְקָרֵיהּ אִתְמְלֵי הֵיכְלָא, *et a splendore gloriae ejus impletum est templum.* הֵיכָל, quod proprie aedificium quodvis magnum et capax significat, ut Arabum هَيْكَلٌ, *palatium*, quo significatu infra XXXIX, 7. 1 Reg. XXI, 1. Dan. IV, 1. occurrit, mox dicitur de *templo*, Jovae palatio, et de tota quidem aede sacra,

ſacra, cum porticibus atriisque ſuis, veluti Pſ. XLVIII, 10. LXVIII, 30. infra XLIV, 28., mox vero de *media* ejus *parte,* inter porticum et adytum, quae *Sanctum* dicebatur, quadraginta cubitos longa, viginti lata, pars igitur domus capaciſſima, vid. 1 Reg. VI, 3. 4. Ezech. XLI, 1—4. Quid vero hoc loco intelligendum ſit per הֵיכָל, non conſentiunt interpretes. Sunt, qui exiſtiment, oblatum fuiſſe Jeſajae Deum throno inſidentem extra templum in *coelo,* auguſta adeo ſpecie, et tam lata et fluxa veſte, ut illius fimbriae implerint templum. Ita Chaldaeus: *Vidi gloriam Domini reſidentem ſuper ſolium excelſum et elevatum* בִּשְׁמֵי מְרוֹמָא *in coelis ſupremis.* Videtur ejus menti obverſatus eſſe locus infra LXVI, 1. *Dicit Jova:* הַשָּׁמַיִם כִּסְאִי וְהָאָרֶץ הֲדֹם רַגְלָי *coelum eſt thronum meum et terra ſcabellum pedum meorum.* Sed noſtri loci alia plane eſt ratio. De eo recte Grotius: „Viſum eſt vati tribunal (כִּסֵּא) erectum in Templo tanquam in Dei regia, ut ex ſequentibus apparebit." Primo enim dicuntur fimbriae veſtis repleſſe templum, hoc eſt, ipſam templi aedem, quod intelligi nequit, niſi ſupponatur Deus in ipſo viſus ſediſſe templo. Templum enim quum ſuperne clauſum tectumque eſſet, non potuit trabeae regalis lacinia impleſſe templum, ſi Deus apparuerit vati extra templum. Tum, poſtquam dictum eſſet (Vs. 2. 3.), Seraphos gloriam majeſtatemque Dei concorde voce praedicaſſe, additur Vs. 4., commotos eſſe poſtes limitis a voce clamantium. Quomodo vero, ſi haec acclamatio in ipſo templo facta non ſit? Porro, quod ſubſequitur, domum repletam eſſe fumo, idem evincit. Denique diſerta altaris mentio Vs. 6. extra omnem dubitationem ponit, ſcenam hujus viſi poni in templo. Translatum igitur in ſpiritu ſe vidit vates in templum, ubi contemplatus eſt Jovam in ipſo adyto, ſanctiſſimo templi penetrali, eodem in loco, ubi ſedes erat arcae foederis, throni Jovani imago, ſedentem in throno, auguſta ſpecie, tam laxa et fluxa veſte, majeſtatis indice, ut orae, ſive fimbriae ejus largae protenſae fuerint in templum, hoc eſt, mediam templi partem, huic penetrali

con-

contiguam, velo et intermurali intermedio, quae Sanctum (הֵיכָל) ab adyto (דְּבִיר) diviserunt, remotis.

2. Summi regis throno adstant ministri coelestes. שְׂרָפִים ceteris V. T. locis Num. XXI, 6. Deuter. VIII, 15., infra apud Nostrum XIV, 29. XXX, 6., sunt *serpentes alati*, qui eos, quos mordent, lethali ardore afficiunt, a שָׂרַף, cui *urendi* notionem inesse constat. Nostro vero loco eo nomine ministros spiritusve coelestes significari, docet res ipsa; cf. Vs. 6. Hinc Chaldaeus שַׁמָּשִׁין קַדִּישִׁין, *ministros sanctos* vertit. Eos nomine illo appellat vates, quasi *ardentes* dicat, quod natura eorum cogitabatur tanquam ignis quidam flammans, lucida, subtilissima et purissima. Vid. Ps. CIV, 4. Hebr. I, 7., et cf. Genes. III, 24. 2 Reg. II, 11. VI, 17. Matth. XXVIII, 3. *Animantes igneam praeferentes* speciem Cherubos describit Ezechiel I, 13. *Adspectus animantium erat tanquam carbones ignis, ardentes instar taedarum.* Elegit vates illud ipsum שְׂרָפִים nomen, non solum quod serpentibus ita appellatis *volatus* tribuitur infra XIV, 29., ut hic ministris coelestibus, verum etiam ideo, quod, quemadmodum illi serpentes contactu suo alios urunt et inflammant, ita et Seraphi, Spiritus coelestes, eo vatis lapide ignito, tangerent, Vs. 6. 7. Hieronymus: „*Seraphim* interpretantur *ἐμπρηστὰς*, quod nos dicere possumus *incendentes* sive *comburentes*, juxta illud, quod alibi (Ps. CIV, 4.) legimus: *Qui fecit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem.*" Ex Hebraeis Abul-Walid quoque שְׂרָפִים exponit ملايكة نارية *angelos igneos*, referente Gesenio, sed ideo improbante, quod שָׂרַף *urere*, non vero *lucere* significat. Quod nos tamen haud movet, ut illam interpretationem repudiandam censeamus; nam ignis qui *ardet* et *lucet*. Ipse Vir Doctissimus hebraeum nomen mallet *nobiles* significare, collato Arabico شَرِيف et شَارِف, a شَرُفَ *excelsus et nobilis fuit, eminuit.* Sed eum significatum radicem et Hebraico usu obtinuisse, haud con-

conſtat. Aramaeis certe ille ignotus eſt. Quod quum Gesenius ipſe perpendiſſe videatur, שְׂרָפִים vero ceteris, quibus legitur locis *ſerpentes alatos* denotare videret, *Seraphos* h. l. animantia allegorica ſive ſymbolica Cheruborum inſtar, ex variorum animalium formis compoſita fuiſſe conjicit, quibus praeter alas volucrium et pedes hominum (יְכַסֶּה רַגְלָיו) forſan ſerpentum caput fuerit. Aliena tamen ab hoc loco videntur quae Vir Doctiſſimus attulit de ſerpentibus ſacris, quos Aegyptii coluere. De numero eorum nihil memorat vates; cogitaſſe autem illos ſibi in duos ordines diviſos, ex eorum *ἀντιφωνίᾳ* liquere videtur. עֹמְדִים *Stabant,* ut miniſtri, 1 Reg. X, 8. XXII, 19. מִמַּעַל לוֹ *Circa, juxta eum,* qua ſignificatione cognata particula מֵעַל occurrit Jerem. XXXVI, 21. Neh. III, 28. XII, 37. 2 Chron. XXVI, 19. Similiter Geneſ. XVIII, 8. Abrahamus angelis hoſpitibus poſtquam appoſuiſſet cibos, dicitur עֹמֵד עֲלֵיהֶם *coram eis* ſive *juxta eos adſtitiſſe* ſub arbore. Recte igitur noſtro loco LXX: *Κύκλῳ αὐτοῦ.* Kimchi: סמוך לו *prope ipſum,* Aben-Esra: עומדים עליו מימינו ומשמאלו, *ſtantes juxta eum, a dextra et ſiniſtra ejus.* Vitringa retinet uſitatiorem particulae מִמַּעַל ſignificationem, *ſuper, ſupra;* prophetam enim putat ſignificare voluiſſe, Seraphos ſibi in hoc viſo objectos eſſe tanquam miniſtros coeleſtes, qui venerint ex ſuperiore loco, et utrinque ad latera throni conſtiterint in hunc modum, ut viſi ſint eo, qui ſedebat in throno, paullo ſuperiores; non *plane* ſupra throni verticem, ſed *a latere* paullo remotiores et ſuperiores rege thronum inſidente. Sed nusquam legimus angelos *ſupra* Jovam, verum Jovam potius *ſupra* angelos, ut Ezech. X, 4. 18., et angelos *ante* vel *coram* ipſo, Dan. VII, 10. Apoc. IV, 6., uti decet miniſtros. Chaldaeus pro מִמַּעַל לוֹ poſuit בִּרוּמָא קֳדָמוֹהִי *in excelſo coram ipſo.* Quod ſequutus Jarchi, מִמַּעַל exponit *in coelo,* et לוֹ *ei,* i. e. ad ſerviendum, miniſtrandum ei. Conſtat ſaltem hinc, neque Chaldaeum poſuiſſe Séraphos *ſupra thronum,* hoc eſt, ſervos ſupra dominum. Neque placet tamen Chaldaei interpretatio;

nam

nam post מִמַּעַל Lamed ante pronomina et nomina redundare solet, vid. Genes. XXII, 9. Levit. XI, 21. Jerem. XLIII, 10. al. שֵׁשׁ כְּנָפַיִם שֵׁשׁ כְּנָפַיִם לְאֶחָד *Sex alae unicuique eorum.* Repetitio phraseos indicat distributionem, ut Num. XIV, 34. יוֹם לַשָּׁנָה יוֹם לַשָּׁנָה *diem pro anno diem pro anno* posui tibi, i. e. quemlibet diem pro quolibet anno. Cf. Num. XVII, 21. Levit. XXIV, 8. Alis instructos ministros illos vates describit, ut eos expeditissimos esse doceat ad jussa domini exequenda. Unde barbari quoque poetae Mercurium suum alatum faciunt, uti Doederlein observat. בִּשְׁתַּיִם יְכַסֶּה פָנָיו *Binis tegebat faciem suam,* i. e. quisque eorum binis velabat faciem, ut Amos VI, 9. 10. *Si residui fuerint in una domo viri decem; morientur* illi: וּנְשָׂאוֹ *et tollet eum,* h. e. unumquemque eorum, *consanguineus ejus cet.* Tegebant autem faciem, ne intuerentur majestatem divinam, ut recte Jarchi observat. Hinc Chaldaeus addit: דְּלָא חָזֵי, *ne videret* scil. Deum. Cf. Exod. III, 6. 1 Reg. XIX, 13. Est majestatis regiae apud principes Orientales, subditorum oculis sese subtrahere. Quantum autem regem, quem adspicere nobilissimis etiam ministris nefas est! Sic coram Imperatore Turcico, ut de la Valle in *Itinerum Commentar.* T. I. Epist. V. p. 58. vers. germ. narrat, nobiles, *Pascha* dicti, capitibus demissis et manibus circa medium corpus plicatis, stare solent. וּבִשְׁתַּיִם יְכַסֶּה רַגְלָיו *Binisque* alis *tegebat* unusquisque *pedes suos,* i. e. mediam et inferiorem corporis partem, ut רַגְלַיִם infra VII, 20., et aliis locis secundum nonnullos interpretes post Grotium, de iis corporis partibus dici solet, quas velari jubet pudor, vid. Exod. IV, 25. (ubi vid. Schol.), Deut. XXVIII, 57., Ezech. XVI, 25. Confer, quae modo ex *de la Vallio* notavimus. Chaldaeus: וּבִתְרֵין מְכַסֵּי גְוִיתֵיהּ דְּלָא מִתְחֲזֵי, *et cum duabus velabat corpus suum, ne videretur.* Jarchi: „*Velabant pedes* prae verecundia, ne ostenderent totum corpus coram creatore suo." וּבִשְׁתַּיִם יְעוֹפֵף *Et cum binis* quisque *volabat,* quod Chaldaeus recte וּבִתְרֵין מְשַׁמֵּשׁ, *et cum duabus ministrabat* vertit; cf. enim Vs. 6.

3. וְקָרָא זֶה אֶל־זֶה *Et clamabat hic ad hunc*, unus ad alterum, ut Exod. XIV, 20., i. e. alternis choris canebant, ita ut primus chorus inciperet קָדוֹשׁ, alter responderet קָדוֹשׁ, uterque chorus dein simul caneret קָדוֹשׁ, et reliqua verba, quae in hoc Vs. sequuntur. Cujusmodi ἀντιφωνίας antiquissimis jam temporibus usitatas fuisse, patet ex Exod. XV, 20. 21. Ps. CXXXVI, 1. 1 Sam. XVIII, 5. Cf. Lowthum *de sacra poesi Hebraeor.* Prael. XV. p. 361. seq. ed. Goetting. sec. s. p. 207. ed. Lips. Ceterum, quod dicitur, *clamasse* זֶה אֶל־זֶה *hunc ad illum*, quosdam in hanc induxit sententiam, duos tantummodo Seraphos esse intelligendos; male. Notum enim est, formulas synonymas אִישׁ אָחִיו, זֶה וָזֶה, אַחַת וְאַחַת, אִישׁ רְעֵהוּ, aeque de pluribus, ac de duobus usurpari; vid. Exod. XIV, 20. XXXVI, 10. Jesaj. XIX, 18. Jerem. XLVI, 16. קָדוֹשׁ *Venerabilis*, *omni cultu prosequendus*, ut Hos. XI, 9. Jesaj. XLIII, 4. Vid. quae de hac voce disputarunt Zachariae *Bibl. Theol.* T. I. p. 240. seq. P. II. praefat.; Doederlein *Institt. Theol. Christ.* P. I. p. 278. 279. edit. quart.; Hufnagel *Handbuch der bibl. Theol.* P. I. p. 321. seq. In trina vocis קָדוֹשׁ repetitione aliquid mysterii latere, tam Judaei, quam Christiani interpretes opinati sunt. Et ex illis quidem antiquissimus, qui nobis superest, Chaldaeus, verba hebraea sic exposuit: *Sanctus in coelis excelsis, domo majestatis suae; Sanctus super terram, opus potentiae suae; Sanctus in seculum et secula seculorum Jova Deus exercituum.* Kimchi numerum ternarium refert ad tres mundos: „mundum superiorem, qui est mundus angelorum et animarum, mundum medium, qui est mundus orbium et stellarum, et mundum inferiorem, cujus partem facit homo." Interpretes vero Christiani et veteres et recentiores longe plerique *Sancti* nomine ter repetito trinitatis mysterium spectari sibi persuadent. Verum recte Grotius trinam vocis unius repetitionem vehementius affirmare observat, allatis locis Ezech. XXI, 32. Jerem. XXII, 29. Et Jo. Buxtorfius Nepos, in *Catalectis* Cap. LXX. p. 75. illos reprehendens, qui ad

adstruenda maximi momenti dogmata argumenta promiscue coacervant, ne praetermissis quidem imbecillioribus, in quorum censum et refert argumentum, quod nonnulli ad probandum Trinitatis dogma reperiisse visi sunt in trina divinae sanctitatis repetitione, quem Jesajas a Seraphis factam esse refert, ita scribit: „Ejusmodi sane repetitiones et alias in sacris paginis offendere est mysterio carentes, nec aliud quid innuentes, praeter eximiam rei, de qua agitur, praestantiam, vel singularem quandam affectus vehementiam. Ita Judaei olim clamabant: הֵיכַל יְהוָֹה הֵיכַל יְהוָֹה הֵיכַל יְהוָֹה *templum Jovae, templum Jovae, templum Jovae*, Jerem. VII, 4. Et Cap. XXII, 29. Jeremias infit: אֶרֶץ אֶרֶץ אָרֶץ *o terra! terra! terra! audi verbum Jovae.* Ezech. XXI, 27. similis occurrit repetitio: עַוָּה עַוָּה עַוָּה אֲשִׂימֶנָּה, *perversam, perversam, perversam ponam eam*, scil. coronam. Subjiciam his locum 2 Sam. XVIII, 33. בְּנִי אַבְשָׁלוֹם בְּנִי בְנִי *fili mi Absalom, fili mi! fili mi!* Itaque Angeli simili hic repetitione utentes partim zelum produnt et ardorem, quo flagrant celebrandae sanctitatis divinae, partim etiam perfectionem atque excellentiam ejus extollere satagunt." Similia apud Graecos et Romanos exempla sunt obvia, qui *τριμέγιστον*, id est *termaximum* vocarunt Mercurium, et honores *tergeminos* amplissimos vocant. In verbis מְלֹא כָל־הָאָרֶץ כְּבוֹדוֹ *plenitudo omnis terrae gloria ejus*, vox *gloria* accipi potest vel ut subjectum, vel ut praedicatum. Si ut praedicatum, sensus erit: *quicquid implet terram*, est *gloria ejus*, sive, facit ad gloriam ejus. Ita Piscator: „Omnia creata, quae sunt in terra, testantur, ostendunt, Deum esse dignum omni gloria et laude. In iis enim relucet gloria omnipotentiae et virtutis Dei." De Dieu: „Quicquid in tota terra est, quicquid uspiam terrarum reperitur, est ipsius gloria." Sic saepe מְלֹא sumi solet, quando cum הָאָרֶץ, aut alio simili nomine conjungitur, ut Ps. XXIV, 1. *Domini est terra* וּמְלוֹאָהּ *et plenitudo ejus*, i. e. quicquid in ea est. Num. XXII, 18. *Si dederit mihi Balacus* מְלֹא־בֵיתוֹ כֶּסֶף *quantum capere domus ejus possit*

possit argenti. Cui interpretationi Kimchi quoque favet: „Vult dicere, animantia, germina, et similia omnia esse ejus gloriam, quia ipse omnia creavit, et omnium horum caussa celebraturae illum sunt creaturae intelligentes.“ Si vero כָּבוֹד accipias ut subjectum, sententia erit haec: *gloria Dei est plenitudo* totius terrae, h. e. implet totam terram. Ita veteres omnes. Tunc כָּבוֹד hic idem erit quod תְּהִלָּה, *laus*, ut Hab. III, 3. וּתְהִלָּתוֹ מָלְאָה הָאָרֶץ, *laude ejus plena est terra.* Eodem significatu כָּבוֹד occurrit in locis parallelis, Num. XIV, 21. Ps. LXXII, 19. Quidquid sumas, non est opus, cum J. D. Michaelis, quem et Hensleerus sequitur, pro מְלֹא legere מָלֵא. Sensus semper idem manet: in cunctis orbis terrarum regionibus majestas Jovae celebretur! Dignissimus est, cujus fama ab omnibus terrae incolis divulgetur!

4. וַיָּנֻעוּ *Commovebantur*, VII, 2. XIX, 1. Exod. XX, 15. אַמּוֹת הַסִּפִּים LXX reddunt ὑπέρθυρον, Vulgatus: *superliminaria cardinum.* Syrus: ܐܣܩܘܦܬܐ ܕܬܪ̈ܥܐ *limina portarum.* Chaldaeus: אַלְוַת סִפֵּי הֵיכְלָא *postes liminum templi*; uti Buxtorfius vertit. Est tamen ut Hebraici אַיִל ita Chaldaici אַלְוַת significatio non satis certa; vid. not. ad Ezech. XL, 9. Kimchi quidem סִפִּים *postes*, אַמּוֹת vero *superliminaria*, quae sunt super postes intus et foris, et incurva figura formantur, significare ait. Jarchi nomine אַמּוֹת *postes* (מְזוּזוֹת) liminum sive januae denotari ait, qui nomen inde sint adepti, quod mensurantur mensura cubitorum (quos אַמּוֹת alias significat, veluti Genes. VI, 15. Exod. XXVI, 16.) quoad altitudinem et latitudinem. Consentit Gussetius, qui sub voce אַמָּה C. verba nostra vertenda ait *postes liminum.* „סַף,“ ait, „est *limen inferius* januae, ut patet e Jud. XIX, 27. 1 Reg. XIV, 17.; אַמָּה vero est nomen *cubiti*, postea usurpatum ad *postem* designandum; apte: revera ut cubitus a brachio distinguitur, dum elatus angulum rectum cum ipso format; ejusmodi angulum in objecto naturali apparentem imitatur in arte postis in extremo limine

erectus. Postem hic אַמָּה esse, ostendit ejus connexio cum limine. Cur numero plurali ponantur postes, nemo causam nescit. Sed cur etiam סִפִּים, *limina?* Ut obiter hoc addam, plures in templo erant portae, quae hoc terrae motu concuterentur.“ J. D. Michaelis אַמּוֹת הַסִּפִּים vertit *superliminaria* (propr. *summitates liminum*), *Oberschwellen*, quod Orientales omne summum rei *matrem* dicere solent; e. g. أُمّ الرأس, *vertex capitis* et *montis*, أُمّ الرمح, *vexillum hastae*, cet. Sed *matres* hebraice sunt אַמּוֹת, vid. Thren. II, 12. V, 3. Jerem. XVI, 3. al. Koppius contendit, סִפִּים esse *columnas ante palatium*, et hinc *atrium* ipsum, *columnis ornatum*, collato Syriaco ܣܦܐ, quod praeter alia etiam *vestibulum* notat. Verum hanc significationem vox Syriaca procul dubio a primaria, *limen*, accepit. Columnae significatio a Koppio plane precario adsumta est. His tamen omnibus verisimilior Gesenii sententia, אמות הַסִּפִּים esse *bases liminum*, אַמּוֹת (ab אַמָּה i. q. אֵם *metropolis*) collato cum Arabico أُمّ, quod proprie quidem *matrem*, hinc vero et *radicem*, *principium*, *basin* rei denotat, Talmudicis quoque אַמַּת רֵיחַיָּא est *basis lapidum molarium*; vid. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 113. *Bases liminum* videtur et Saadias intellexisse, qui ملابن السكّفات *lateres liminum* reddidit, et Abul. Walid, Gesenio laudatus, qui ملابن الاعتاب exponit, quod idem significat. Verbum יָנֻעוּ hic convenit nomini posteriori recto, quum deberet priori regenti (הַמְנוּעֲנָה); de quo Hebraicae linguae idiotismo vid. supra ad Cap. II, 11. מִקּוֹל הַקּוֹרֵא *A voce clamantis* cujusque Seraphi, Vs. 3. וְהַבַּיִת יִמָּלֵא עָשָׁן *Et domus replebatur fumo.* Interpretes nonnulli illud, quod limina tremebant et templum fumo implebatur, signum irae divinae in populum Israeliticum (Vs. 9.) existimant. Sed non est dubium, illis divinam majestatem, qualis antiquis objici solebat, demonstrari; ad quam etiam spectant et prolixae vesti-

vestimentorum laciniae, et illa de sanctitate tergeminata Seraphorum acclamatio. Recte DOEDERLEIN: „Utrumque Numinis praesentis et annuentis symbolum; *alterum* ex profanis scriptoribus haud ignotum, juxta illud VIRGILII *Aeneid. VI*, 255.

— — juga coepta moveri
Adventante Dea — —;

alterum ex historia sacra petitum, 1 Reg. VIII, 10. 11.“ Cf. Exod. XL, 34. Ezech. X, 4. Apocal. XV, 8.

5. וָאֹמַר Unde et ego perterrefactus *dixi*. הוֹי לִי *Vae mihi!* dolentis exclamatio, ut infra XXIV, 16. כִּי־נִדְמֵיתִי *Nam perii, pereundum mihi est!* Actum est de me! Formula hominis graviore aliquo casu, qui exitium sibi minari videtur, dejecti et consternati. Verbum hebraicum JARCHI recte h. l. *exscindendi*, *pereundi* notionem obtinere observat, ut in illo Zephan. I, 11. כִּי־נִדְמָה כָּל־עַם כְּנַעַן *nam exscindetur omnis populus Canaanis.* Cf. Jerem. VI, 2. Hos. IV, 5. KOCHERUS: „Recte transferunt *perii*, *interii*, sive a primigenia potestate *linendi*, unde compositum *delere*; sive a significatione *tacendi*, unde Niphal *interimi*, *perire*, tanquam ad aeternum *silentium* redigi; quale forsan הַצְמִית, *perdidit*, ab Arabico صمت, *siluit*, *conticuit*.“ Addit JARCHI: „*Perii*, ait vates, quoniam non sum dignus, qui adspiciam faciem majestatis divinae; quemadmodum Manoach (Jud. XIII, 22.) dixit: *moriemur, quoniam Deum vidimus*.“ Recte. Vates vitam suam periclitari putat, quod Deum perspexerit, ex communi populorum persuasione; vid. Exod. XXIV, 10. 11. Jud. VI, 22. Add. J. E. FABRI Not. 44. ad HARMERI *Observatt. super Orient.* T. II. p. 96. LXX: *Ὅτι κατανένυγμαι*, *quod compunctus sum*, veluti dolore, et metu, et anxietate animi. Similiter Syrus: ܬܡܗ ܐܢܐ *stupeo.* Verbi נִדְמֵיתִי *cessationem motus* seu *actionis*, ut Jerem. XIV, 17. Thren. III, 49. significari putarunt, qualis esse debuit in homine stupefacto formidine

a tanto

a tanto objecto incuſſa. Hieronymus: *Quia tacui.* Ad quod in Commentario: „Plangit ſe propheta, quia non fuit dignus laudare Dominum Sabaoth cum Seraphim, quos angelicas fortitudines intelligimus. Non fuit autem auſus laudare Dominum, quia labia habebat immunda. Et propterea labia habebat immunda, quia cum peccatore populo verſabatur. Vel certe ita intelligendum: quia tacui, et non audacter Oziam, impium regem, corripui, ideo labia mea immunda ſunt, et laudes Domini cum angelis cantare non audeo.“ Kimchi pater quoque, referente filio, נִדְמֵיתִי expoſuit כשתקתי, *ſilui.* Idem placuit J. D. Michaeli, qui in *Biblioth. Orient.* P. X. p. 218. 219. XIV. p. 116. XVIII. p. 78. et in *Supplemm.* p. 499., ſententiam hanc eſſe ait: Vae mihi, cui has inter feſtas acclamationes tacendum eſt, cui non licet, ſuperiorem vocibus vocem miſcere. Impurus enim ſum labiis. Non vereri vatem, ne poenas ſilentii repentina morte det: ſed dolere, ſibi ſilendum eſſe. Sane *ſilendi* ſignificatio in tribus inter ſe cognatis radicibus, דום, דָּמָה et דָּמַם aequaliter regnat, ut non ſit neceſſe, cum Michaele mutatis punctis נִדְמֹתִי (a דָּמַם) legere. At tamen interpretatio vulgaris praeferenda videtur ob ea, quae ſub fin. Vs. noſtri legimus, *vidi Deum exercituum.* Nec, quod ad iſtam interpretationem commendandam addit Michaelis, niſi de ſilentio haec verba intelligerentur, rationem nullam reddi poſſe, cur vates *labiis* ſe pollutum dicat, nec potius ſive ſimpliciter *impurum*, ſive, quod uſitatius, *impurum manibus;* nec id, inquam, me movet, ut interpretationem vulgarem relinquam. Non eſt argutandum in poeta. *Labiorum immunditie* poetice exprimitur humanae naturae indignitas et vitioſitas; unde quoque univerſus *populus Iſraeliticus pollutus labiis* dicitur. Recte Chaldaeus עַם־טְמֵא־שְׂפָתַיִם vertit: עַמָּא דְמִגְעַל בְּחוֹבִין *populus qui pollutus eſt peccatis.*

6. Ad וַיָּעָף notat Kimchi, Ain hoc loco ſignari cum Camez-chatuph, loco vero 2 Sam. XXI, 15. legi וַיָּעַף cum Patach

Patach, ob ſignificationis diverſitatem; illo enim Samuëlis loco verbum hebraeum *defatigandi*, hoc noſtro vero *volandi* notione uſurpari. רִצְפָּה non eſt *pruna*, ut Hebraei exponunt, ſed, uti recte Hieronymus, *calculus*, *ignitus* videlicet et *candefactus*, qualis Arabice iisdem litteris et vocalibus رَضْفَةٌ dicitur. Hujusmodi lapidum apud Arabes multiplex uſus eſt. Iis enim lac coquere, carnes ad eſum aſſare, ſtigmata etiam et cauteria vivae carni imprimere et inurere ſolent. Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. XXXIV. p. 328. T. I. p. 337. edit. Lipſ. Videntur quoque in altari hujusmodi fuiſſe lapides, quorum contactu caro victimarum, quae Deo offerebantur, vel coqueretur, vel conſumeretur citius. Ante בְּמֶלְקַחַיִם, *cum forcipe*, ut Exod. XXV, 38. XXXVII, 23. omiſſum eſt pronomen relativum אֲשֶׁר, ut ſaepe, e. c. Pſ. XLIX, 21. נִמְשַׁל כַּבְּהֵמוֹת נִדְמוּ *Similis eſt jumentis*, quae *exſcinduntur*. Job. III, 5. יוֹם (אֲשֶׁר) אִוָּלֶד בּוֹ, *dies, quo ſum natus*. Cf. infra XLII, 16. מֵעַל־הַמִּזְבֵּחַ *Ab altari*, quod erat in atrio, ut notat Jarchi. Cf. Levit. XVI, 12. Num. XVII, 11. Chaldaeus haec parabolice interpretatur: *Et volavit ad me unus ex miniſtris, in cujus ore erat verbum, quod acceperat a conſpectu majeſtatis ejus ſuper thronum gloriae in coelis excelſis ex altari.*

7. וַיַּגַּע עַל־פִּי *Adtigitque os meum*, ut Jerem. I, 9. Dan. X, 16. נָגַע זֶה עַל־שְׂפָתֶיךָ, *adtigit hic*, calculus ignitus *labia tua*. וְסָר עֲוֹנֶךָ *Et receſſit-iniquitas tua*, abolita eſt, X, 27. XXVII, 9. Prov. XXVII, 22. וְחַטָּאתְךָ תְּכֻפָּר *Et peccatum tuum obliteratur*, expiatum eſt, XXII, 14. Exod. XXIX, 33. Lapis ignitus ſacer, ab altari ſumtus, quidquid tetigerit, ſacrum reddit. Igni alias quoque vis *purgandi*, quod metalla igne a ſcoriis purgantur, et hinc metaphorice a *peccatis expiandi* tribuitur; vid. Malach. III, 2. 3. Omne igitur impedimentum, quod a peccato natum eſſet, calculo ardente admoto labiis prophetae, ab ore jam purificato removebatur. Quaſi dicat Deus: non impediunt dehinc iſta,

quae

quae metuis, quo minus ad meas laudes et judicia praedicanda tuo utar miniſterio. Sub עָוֹן et חַטָּאת Doederlein intelligit facinus illud a propheta commiſſum, quod ad ſancta regis adyta oculis penetraverit. Sed quum vatis inauguratio ad munus propheticum hoc carmine deſcribatur, verbis: *abiit iniquitas tua, et peccatum tuum expiatum eſt,* ſignificatur, Jeſajam jam non amplius indignum eſſe viſionibus divinis. Voluit Deus, ut hunc tactum pro ſigno haberet mutati ſtatus; non hominem plebejum eum amplius eſſe, ſed amicum nunciumque Dei, qui ipſi dona ad munus propheticum neceſſaria largitus ſit; atque ad illud capeſſendum aptum dignumque reddiderit. Chaldaeus: *Et diſpoſuit in ore meo, et dixit: en! poſui verba prophetiae meae in ore tuo, et recedent delicta tua, et peccata tua expiabuntur.*

8. Vates liberatus ab indignitatis ſuae conſcientia paratiſſimum ſe jam ſentiebat ad ſerviendum tanto regi cum miniſtris ceteris, Seraphis. Quum igitur audiret quaerentem Dominum, quem ad magnam aliquam provinciam habiturus eſſet miniſtrum, jam audacior factus, ultro ſe offert. מִי יֵלֶךְ לָנוּ *Quis ibit nobis,* i. e. pro nobis, ad noſtra mandata exſequenda, ut Kimchi explicat, qui praeterea obſervat, uſurpari pluralem, לָנוּ, quod Deus cum Seraphis loquutus, et conſilium cum eis iniens de hac re inducatur. Indignum id Deo Michaelis cenſet. Sed quum hoc viſo Deus ſiſtatur ut rex, omnesque illius imagines deſumtae ſint ab aula regia; Jova haud incommode deſcribi poſſit inſtar regis, e ſolio conſiliarios ſuos interrogantis de eo, quem miſſurus eſſet ad Judaeos, ut mandata ad eos ferret. Malo tamen לָנוּ pro ſimplici Plurali majeſtatico habere, quo Deus de ſe loquens utitur. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 663. 799. Hieronymus: „Pro eo, quod et nos, et alii omnes interpretes transtulerunt *nobis,* quod Hebraice dicitur *lanu,* neſcio quid volentes LXX poſuerunt πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον, id eſt. *ad populum iſtum,* quod penitus in Hebraeo non habe-

habetur [Videtur Graecus interpres oculo aberraffe in Verfum fequentem, ubi legitur לָלָם הַזֶּה]. Quando autem ex Dei perfona dicitur *nobis*, illo fenfu accipiendum eft, quo et in Genefi legitur [I, 26.]: *Faciamus hominem ad imaginem et fimilitudinem noftrum*, ut facramentum indicet Trinitatis. Quando enim in Evangelio [Joa. X, 30.] legimus dicentem Dominum: *Ego et pater unum fumus*, et *unum* ad naturam referimus, *fumus* ad perfonarum diverfitatem. Sic Domino jubente Trinitas imperat. Propterea autem non dicit Dominus, quem ire praecipiat, fed proponit audientibus optionem, ut voluntas praemium confequatur. Et propheta non temeritate et arrogantia propriae confcientiae fe ire promittit, fed fiducia, quoniam purgata funt labia ejus, et ablata iniquitas, mundatumque peccatum.“ Chaldaeus: וּמַן יֵיזֵיל לְאַלָּפָא *et quis ibit ad docendum?* Nec Syrus לָנוּ expreffit. Quum effent, qui ex hoc Verfu colligerent, hoc carmen effe omnium, quae Jefajas edidit, primum; hanc fententiam Kimchi in Praefatione ad fuum Commentarium in noftrum prophetam refutare ftudet hac obfervatione: „Ex illo Capitis VI, 8. *Quem mittam?* conftat, exftitiffe Jefajae aetate et alios, praeter ipfum, prophetas; et revera vixit tunc Amofus, Zacharias, intelligens vifionem Dei, et Hofeas, Beeri filius. Ait: *quem mittam?* nimirum qui reprehendere fciat populum hunc: mifi enim ad eum prophetas, et nihil profecerunt: refpondit Jefajas: *ecce ego, mitte me!* quafi dicat: en! ego adhuc exifto; quod fi adhuc nihil profeci, forfan proficiam in pofterum.“ Qui fenfus verbis mero ex lubitu infertur.

9. שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ וְאַל תָּבִינוּ וּרְאוּ רָאוֹ וְאַל תֵּדָעוּ *Audite audiendo, nec intelligetis, et videte videndo, nec cognofcetis*, id eft, explicante Kimchio, vos auditis verba prophetarum, vos redarguentium, fed non intelligitis, et videtis admiranda opera creatoris, et non cognofcitis. Ita Chaldaeus: דְשָׁמְעִין מִשְׁמַע וְלָא מִסְתַּכְּלִין וַחֲזוּ מֶחְזָא וְלָא יָדְעִין *quod audiant audiendo, nec intelligant, et videant videndo,*

dendo, et non intelligant. Voces שִׁמְעוּ et רְאוּ, formae imperativae, accepit pro praeteritis, שָׁמְעוּ et רָאוּ. Sunt autem potius Imperativi capiendi pro Futuris, quod maxime uſitatum eſt prophetis; e. c. infra VIII, 10. עֻצוּ עֵצָה וְתֻפָר דַּבְּרוּ דָבָר וְלֹא יָקוּם, i. e. *conſilia inite, ſed diſſolventur; decernite rem, ſed irrita erit.* Add. infra XXIX, 9. LIV, 1. Cf. C. L. Hoheisel *Obſervatt. philologg.* p. 53. ſeqq. Hic vero Infinitivi Imperativis additi ſunt ad exprimendam *continuitatis* et *ſtudii* notionem; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 779. 781. Senſus igitur: denuncia huic populo, divino judicio ſic decretum ſtatutumque eſſe, ut, quum Judaei iterum iterumque audiant vatum monita, ad ea tamen non advertant animum; et quum videant vel admiranda creatoris opera, vel, uti vult Jarchi, portenta, quibus vates futura praenunciant, nil tamen intelligant. Cf. Ezech. XII, 2. et Matth. XIII, 14., et Paulus Act. XVIII, 26., qui τοὺς LXX ſequutus: Ἀκοῇ ἀκούσετε καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε. Ceterum proverbiales hae loquutiones ſunt, Graecis quoque uſitatae. Sic Demoſthenes *contra Ariſtogit. I.* ſub fin.: ὥστε τὸ τῆς παροιμίας, ὁρῶντας μὴ ὁρᾷν, καὶ ἀκούοντας μὴ ἀκούειν.

10. Vates hic *indurare* jubetur animum Judaeorum, h. e. *praenunciare,* quod Deus illum *induraturus,* ſive permiſſurus ſit, ut induretur (cf. not. ad Exod. IV, 21.), iſtosque homines, quorum aures nullis monitis pateant, ſurditati ſuae et poenis imminentibus ſit relicturus. Saepe vero prophetae *facere* dicuntur, *quae fore praenunciant,* ut *exſtirpare, perdere, occidere,* pro *exitii denunciatione* (Jerem. I, 10. coll. 9., et XXXI, 28. Hoſ. VI, 5. Ezech. XLIII, 3.); *impertiri alicui aliquid* (Geneſ. XXVII, 37.) pro *divini muneris praedictione* (Vs. 28.), poſitum eſt. Plura exempla collecta invenies apud Glassium *Phil. S.* L. I. Tract. III. Can. XV. p. 216. edit. Dath. Gesenius Imperativos hoc Verſu poſitos ſimpliciter pro Futuris capit; hoc ſenſu: *indurabis eorum animos, ſurdas reddes eorum aures,*

aures, coecabis eorum oculos, i. e. tantum abeſt, ut tuis monitis hunc populum ad frugem reducas, ut potius eum obſtinatiorem reddas; ſuo enim fato ad interitum properant. Quam interpretationem dubito multos aſſenſores nacturam eſſe. In translatione teutonica Vir Doctiſſimus locum ſic reddidit ac ſi in fonte verba intranſitiva poſita ſint: *Verſtockt ſeyn wird das Herz dieſes Volks, ſeine Ohren taub, ſeine Augen verblendet.* Quod magis cum vulgo recepta interpretatione, quam ſupra propoſuimus, convenit. Homines, quorum *cor pingue* eſt (שְׁמֵנֵי־לֵב), iidem ſunt, quos Latini ſimili metaphora *pingues, hebetes ingenio* appellant. Pſ. CXIX, 70. טָפַשׁ כַּחֵלֶב לִבָּם, *arvina velut obductum eſt cor eorum,* i. e. omni ſenſu et intelligentia carent. וְאָזְנָיו הַכְבֵּד *Et aures ejus aggrava,* i. e. denuncia illis, aures eorum veluti mole aliqua obturandas, ſordibusque aut alia re aliqua fore implendas, ne poſſint exaudire. וְעֵינָיו הָשַׁע *Et oculos ejus illine,* dic eos caecos fore. הָשַׁע eſt a שָׁעַע, quod convenit cum Syriaco ܫܥܐ, *oblinere, obducere,* quo ipſo verbo h. l. Syrus interpres utitur. Jarchi et Kimchi noſtrum שׁעע per טוּחַ exponunt, obſervantque, Levit. XIV, 42. verba וְטָח אֶת־הַבָּיִת, *oblinat hanc domum,* ab Onkeloſo reddi וִישׁוּעַ יַת־בֵּיתָא. Cf. infra XLIV, 18. *Non cognoverunt neque intellexerunt,* כִּי טַח מֵרְאוֹת עֵינֵיהֶם, *quia oblinivit viſum oculorum ſuorum.* LXX: Καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, quod retinuerunt Matthaeus XIII, 15. et Lucas Actor. XXVIII, 27. Arabicus in Polyglottis interpres Graecum καμμύειν expreſſit verbi غَمَّضَ Conjug. II., *contractis palpebris arctavit oculum,* et eodem verbo uſus eſt Saadias, qui ex Hebraeo vertit. Vulgatus: *et oculos ejus claude.* Chaldaeus: וְעֵינוֹהִי עַמְעֵם, *et oculos ejus obſcura.* פֶּן־יִרְאֶה בְעֵינָיו Eo eventu *ne videat oculis* ſuis. Particulam פֶּן ante verba וְשָׁמַע, יָבִין, שָׁב et רָפָא ſubaudiendam eſſe, vix monitu opus. וּלְבָבוֹ autem pro וּבִלְבָבוֹ poſitum. וָשָׁב *Et ne ſe convertat,* ne vitam in melius mutet. וְרָפָא לוֹ *Et ne ſanetur ipſi,* i. e. medicina, ſanatio ipſi obtingat, ne ſalu-

salutem a me consequatur. Aut mutata persona: *et sanitatem praestet ei*, sanetve eum Deus. Ita esset personae enallage, pro אֶרְפָּה, aut רְפָאתִי, quomodo habent LXX ἰάσομαι, vel, ut habent Matthaeus et Lucas, ἰάσωμαι, *sanem*. Kimchi sanationem animae, quae fit condonatio peccatorum, intelligendam ait, collato Ps. XLI, 5. רְפָאָה נַפְשִׁי *sana animam meam*, *quia peccavi*, i. e. ignosce mihi. Adde Ps. CIII, 3. *Qui condonat omnes iniquitates tuas*, הָרֹפֵא לְכָל־תַּחֲלוּאָיְכִי, *qui sanat omnes aegritudines tuas*. Et 2 Chron. XXX, 20. *Et exaudivit Dominus Hiskiam*, וַיִּרְפָּא אֶת־הָעָם, *et sanavit populum*, id est, ei ignovit, ita ut ex peccati reatu, tanquam ex morbo convalesceret. Hinc Chaldaeus nostram phrasin וְרָפָא לוֹ vertit: וְיִשְׁתְּבֵק לְהוֹן *et remittatur iis*. Et Marcus, qui hunc ipsum locum Cap. IV, 12. Evangelii adducit, haec ultima sic παραφράζει: *Ne forte se convertant*, καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα. Arabibus quoque عافية et *sanationem* et *peccatorum condonationem* significare, ut in Abilfedae *Annall.* T. II. p. 266. T. III. p. 296. observat Gesenius.

11. Non est ausus propheta opponere se pro populo, aut orare, ut indignationem illam Deus, aut supplicium temperet. Rogat tamen de duratione aut effectu illius obdurationis et caecitatis: וָאֹמַר עַד־מָתַי אֲדֹנָי *Et dixi: quamdiu, Domine?* sive, ut Vulgatus vertit, *usquequo?* quousque perventura est pervicacis populi durities? aut quem modum habiturus est animi tui furor, quem Judaeae gentis intemperies inflammat? Cui respondet Deus: עַד אֲשֶׁר אִם־שָׁאוּ עָרִים *eo usque* procedet et populi vaesania et indignatio mea, donec *vastatae fuerint urbes*. De שָׁאָה, i. q. Arabum ثأى, *disrumpi cum frangore*, quod et infra XXXVII, 26. de urbium excidio dicitur, cf. Schultens *Clav. Dialector.* p. 303. et *Commentar. ad Prov.* I, 27. עַד אֲשֶׁר אִם Kimchi notat dictum esse pro עַד כִּי *usque quando*, ut אִם pro כִּי, *cum*, *quando*, et Levit. II, 14. Num. XXXVI, 4. dicitur. מֵאֵין יוֹשֵׁב *Ita ut non sit qui habitet* in iis, ut raros habeant

inco-

incolas. Eadem phrasis supra V, 9. Et fieri tamen potest, ut in urbibus desolatis, in quibus rari sunt incolae, supersint sparsim domus aliquae, quae a paucis adhuc habitentur: sed neque illud futurum esse ait, dum addit: וּבָתִּים מֵאֵין אָדָם *et domus* scil. שָׁאוּ, destruentur, *ut nullus* exstet *homo*, qui *in iis* degat. Sed vastatis urbibus et urbium aedificiis, in agris tamen, qui cultores suos absque aliorum commercio sustinent, probabile videri poterat, aliquos superfuturos. Verum illud etiam temperamentum Deus praescindit, subdit enim: וְהָאֲדָמָה תִּשָּׁאֶה שְׁמָמָה, *et terra vastata* reddita sit *solitudo*, donec relegatis civibus deserta regio in solitudinem redigetur. Hanc gradationem in hoc Versu esse, observat KIMCHI.

12. וְרִחַק יְהוָה אֶת־הָאָדָם *Et elongabit Jova hominem*, ablegabit longe a terra patria suos habitatores. וְרַבָּה הָעֲזוּבָה בְּקֶרֶב הָאָרֶץ *Et magna* s. *multa erit derelictio in medio terrae*, magna erit terrae desolatio. רַבָּה KIMCHI exponit זמן רב *multum temporis*, per longum tempus. Sed rectius JARCHI: ירבו מקומות עוזבים בקרב הארץ *multi loci erunt derelicti in terra.* עֲזוּבָה hic est nomen formae מְלוּכָה, infra XXXIV, 12. „Si enim," ait GUSSETIUS, „sumseris ut *Participium* in foeminino genere, ex more linguae, ad substantivum subaudiendum positum, tunc exponendum erit, res derelictas multas exsistere in terra Judaica, qua loquutione intelligi viderentur opes multae, contra mentem auctoris omnia loca expilata significantis." Similem tamen sensum his verbis induxerunt LXX, qui verterunt: Καὶ πληθυνθήσονται οἱ ἐγκαταλειφθέντες ἐπὶ τῆς γῆς. Quod sequutus HIERONYMUS: *et multiplicabitur, quae derelicta fuerat in medio terrae*, sed in Commentario sic exponit: „Et nequaquam in Judaea, ut prius, sed in cunctis gentibus Judaeorum populus multiplicetur." Verum עֲזוּבָה de locorum desolatione capiendum esse, non dubium, cf. infra XVII, 2. Jerem. IV, 29. Zephan. II, 4.

13.

13. וְעוֹד בָּהּ עֲשִׂירִיָּה *Quodsi in ea* terra *adhuc* superstes fuerit *pars decima*, sive, et decima quaedam pars in ea superstes erit. וְשָׁבָה וְהָיְתָה לְבָעֵר *Revertetur et erit* (*μέλλουσα*) *ad incendendum*, sive *rursus* (vid. Storrii *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 325.) *erit* (*destinata*) ad *τὸ incendere*, i. e. illa quoque pars decima delebitur. Notum est, verbo substantivo, ad quod עָתִיד (*paratus*, hinc, *futurus*, vid. Deut. XXXII, 34.), aut simile quoddam adjectivum subaudiendum est, Infinitivum cum Lamed ita saepe jungi, ut *futuri* vim obtineat. Cf. Genes. XV, 12. 2 Sam. XVIII, 3. Sensus igitur erit hic: si forte in terra illa, sic desolata, aliqui adhuc, veluti decima quaedam pars, superfuerint, qui aliquando radices de novo agere in terra, et eam implere possent, ne his quidem parsurum esse Deum; sed illos novo quodam et iterato Dei judicio sic esse feriendos, ut ipsi quoque illi cum ceteris, sive potius, post ceteros, interituri sint. Quae sententia quum durior nonnullis visa esset, haec verba in hunc sensum flectere studuerunt, ac si poena, quam vates Vs. praeced. minatur, hic mitigaretur. Tunc *decima parte* intelligendi erunt *pii* et *probi*, qui in populo superfuturi essent post primam illam calamitatem. Nec tamen hi interpretes singula verba uno modo interpretantur. Chaldaeus ita vertit: *et relinquetur in ea unus ex decem justis, et convertentur, et erunt in combustionem; sicut terebinthus* cet. Quibus lucem dabit Jarchii interpretatio: „Etiam in illas reliquias vertam manum meam, veluti una post aliam sequutura purificatione, et erunt in combustionem, usquequo in iis non superfuerunt alii, quam justi perfecti, qui toto corde se ad me convertent.“ Sic possit conferri locus noster cum eo Zachariae Cap. XIII, 9., ubi de *tertia parte*, post duas excisas superstite, dicitur: *et ducam tertiam illam partem in ignem, et conflabo eos, ut conflatur argentum.* Et nostri vatis Cap. I, 25. *et conflabo ad puritatem scorias tuas.* Verum recte monet Vitringa, huic interpretationi obstare verbi בִּעֵר significationem, quae in Piel est, *incendere*;

dere, vel, *depafci*; et hoc quidem frequentiffime, ut fupra Cap. III, 14. Non enim omne, quod *inceuditur*, hoc ipfo *purgatur*, fed, exceptis metallis, et rebus durioribus, *confumitur*; unde בָּעַר Hebraeis eft כִּלָּיוֹן *perfecta deftructio*, *πανολεθρία*. Veluti Num. XXIV, 22. כִּי אִם יִהְיֶה לְבָעֵר קָיִן *quin Kain erit ad eliminandum*, i. e. fede et loco fuo movebitur. Aliter verba noftra exponit Ludov. de Dieu; quamquam ipfe quoque putat, haec verba addita effe eo confilio, ut poenae, quae vates Vs. praeced. minatur, feveritatis aliquid adimeretur. Sumit ille verbum בָּעַר h. l. *active*, et hoc quidem fenfu: *decima pars adhuc fupererit*, *eaque revertetur*, *nempe e captivitate*, *et erit ad urendum aut ad depafcendum*, nempe *hoftes*. Sed haec expofitio violenta eft et coacta, et obftat manifefte *ufus* vocis בָּעַר; quem probavimus ex Numerorum loco, modo laudato. Deinde fatis notum eft, verbum שׁוּב, conjunctum cum alio verbo finito, fignificare iterationem. Cappellus priora noftri Verfus verba, וְעוֹד בָּהּ עֲשִׂרִיָּה, veluti per modum *παρενθέσεως* legit atque ea, quae Deus dixerat de excaecatione Judaeae gentis, fic intelligenda putat, ut excipiatur *decima* quaedam *pars*, quae fit piorum, quos Deus exemturus fit fupplicio, toti genti decreto; reliquos vero de novo tradendos effe exterminio. Sententia, fi eam in fe fpectes, non eft inconcinna quidem; fed ut cum iis, quae fequuntur, cohaereat, pariter coacta. *Decima* enim illa *pars*, fi ad *pios* pertineret, debebat ab aliis aliqua nota diftingui; quod cum non factum fit; id, quod fequitur, *et rurfus erit in depaftionem*, multo facilius ad *decimam* illam *partem*, quam alio refertur. Retinendum igitur erit is, quem fupra indicavimus fenfus: decimam quoque illam partem, quae fuperfutura effet, rurfus fuccubituram novo exterminii judicio. Quae interpretatio confirmatur parallelo Ezechielis loco, V, 1—5., ubi vates a Jova jubetur, *pilos capitis et barbae* (totum populum indicantes) *radere*, eosque in *tres partes*, varie confumendas, dividere; *partem* autem *exiguam* involvere *alis pallii*, et *ex ea*, quae fer-

servanda esse videbatur, rursus aliquos conjicere in ignem, ad idem exemplum perdendos. כָּאֵלָה וְכָאַלּוֹן אֲשֶׁר בְּשַׁלֶּכֶת מַצֶּבֶת בָּם זֶרַע קֹדֶשׁ מַצַּבְתָּהּ *Qualis terebinthus aut quercus, quarum, cum dejiciuntur, stipes manet,* ita *semen sanctum stipes illius* terrae. De שַׁלֶּכֶת discrepant interpretes. Sunt, qui voce illa intelligant *aggerem* aggestum, qui a domo Salomonis in templum ferebatur, roboribus magnarum arborum suffultum, qui nomen dederit portae *templi*, inde dictae portae *Schallecheth* (1 Chron. XXIV, 16.). Alii cum Aben-Esra fingunt, apud portam illam *Schallecheth* fuisse duas arbores robustissimas, et optime radicatas, ad quas hic alludatur. Cappellus vero voce שַׁלֶּכֶת intelligendam existimat *sylvam caeduam,* sive *saltum caeduum,* magnis consitum arboribus, quae caesae repullulant identidem et novos stolones emittunt. Elegans sententia; modo ea, quam Cappellus sumit, vocis hebraeae significatio probari possit. Alii שַׁלֶּכֶת habent pro *nomine participiali* (a שָׁלַךְ, unde Hiphil הִשְׁלִיךְ, *jacere, projicere, dejicere*), vertuntque: *in dejectione:* quod duplicem admittit sensum, *activum* et *passivum*. Si *active* sumas, vertendum erit: *dum abjiciunt* folia, ut significetur arbor, quae tempore hyemis ipsa folia sua dejicit, frondem atque ornatum demittit, et plane videtur emori ac marcescere. Sane nomina hujus formae *habitum* aut *qualitatem*, pleraque *vitiosum,* s. morbum, denotant, veluti דַּלֶּקֶת *febris ardens,* Deut. XXVIII, 22., בַּהֶרֶת, *papula alba,* Levit. XIII, 23. 24. 28. saepius, יַבֶּלֶת, *verruca, verrucosum,* Levit. XXII, 22., יַבֶּשֶׁת, *siccitas,* קָרַחַת, *calvities,* al. Quodsi vero שַׁלֶּכֶת passive acceperis, denotabitur arbor, quae caesa ferro, dejicitur atque prosternitur, vel fronde et ramis ita nudatur, ut solus stipes et truncus ei supersit; quo fortior erit metaphora. מַצֶּבֶת quum proprie sit *omne firmum* et *stabile,* et hoc nostro loco, flagitante contextu, erit id, quo nititur arbor, *truncus, stipes.* Michaelis in *Supplemm.* p. 1665. vocabulum nostrum refert ad نَصَبَ, *statuere, plantare,* et Syriacum

ܢܨܒ,

نصب, unde نصاب, *radix, stemma.* מַצֶּבֶת vero, *radicem,* hic poni censet pro *primo germine, ex quo arbor nascitur, et quod nucleo continetur.* Hinc verba אֲשֶׁר בְּשַׁלֶּכֶת מַצֶּבֶת בָּם vertit: *quarum in decidua glande est radix seu germen.* Sed שַׁלֶּכֶת esse *deciduam glandem,* non est verisimile. בָּם, *in illis* scil. est, erit, manet; numero quidem ad arborem utramque, sed genere ad אַלּוֹן, nomen propius, sexusque potioris, referendum. Multi libri veteres pro בָּם legunt בָּהּ, *in ea,* scil. *terra.* Quod vero Lowthus, qui hanc interpretationem praefert, Alexandrinos et Syrum testes addit; id an recte fiat, dubito. Nam, ut recte Kocherus observat, αὐτῆς apud Alexandrinos ad praecedens *βάλανος*, genere femineo, Pronomen vero masculinum apud Syrum ad ܒܠܘܛܐ spectat. Retinenda lectio Masorethica; quippe difficilior, et sensum bonum fundens. Affixum in voce מַצַּבְתָּהּ referendum est non ad עֲשִׂירִיָּה, ut nonnulli fecerunt, sed ad הָאָרֶץ, quod tamen procul dubio metonymice accipiendum est de *arbore,* olim in illa terra plantata, quae est gens Judaica. Chaldaeus vertit בְּצִבְתְּהוֹן, *plantatio eorum,* non quod מַצַּבְתָּם legit, quod Michaelis probat, sed quod suffixum femininum ad terrae incolas recte retulit. Imaginem Michaelis desumtam putat a terebinthis et quercubus, quae in loco natali vix, nisi vi, plane intereunt, nova arbore, sive ex semine antiquae terebinthi sparso, sive ex radicis surculo, semper revirescente. Sic circa Hebronem ne nunc quidem interciderunt terebinthi; vid. ad Genes. XIII, 18. Chaldaeus totum Versum ita exponit: *Et relinquentur in ea* terra *unus ex decem justis, et revertentur et erunt in combustionem, sicut terebinthus, et sicut quercus, quarum cum defluunt folia, videntur quasi aridae, sed adhuc retinent humorem, ut sufficiant sustinendo semini; sic exules Israelis congregabuntur et redibunt in terram suam, nam semen sanctum est plantatio eorum.* Id sequuti Jarchi et Kimchi: licet terebinthus et quercus hyeme abjiciant folia et omnem extrinsecum virorem, ut

 nuda

nuda remaneat ſtipes; ea ipſa tamen retinet vigorem, quo transacta hyeme iterum frondes et folia producunt. Sic Deus populum Judaicum univerſum non delebit, ſed reliquias quasdam, et ſemen ſanctum, unde Sanctiſſimus, i. e. Meſſias proditurus eſt, conſervabit. In hunc modum hujus commatis ſenſum et recte Doederlein expreſſit: paucos inſtantem calamitatem eſſe evaſuros, qui tamen evaſerint ex multis pauci, neutiquam tutos fore, ſed repetitis exiliis obnoxios; quamquam multiplici infortunio univerſa gens Judaeorum non ſit penitus exſtirpanda, quippe propter ſanctas origines duratura ac perennis.

Cap. VI, 1. *Quo anno mortuus eſt rex Uſias, ego ſedentem in throno altum et elatum Dominum vidi, cujus laciniae fanum replebant,*

2. *Circumſtantibus eum Seraphis, ſenas alas habentibus, quarum binis facies ſuas, alteris pedes tegebant, tertiis volabant,*

3. *Et alius ad alium clamabant his verbis: Sanctus, Sanctus, Sanctus Jova, agminum Deus, cujus gloria plenus eſt univerſus orbis!*

4. *Ad hujus clamoris ſonum commotis veſtibuli liminum baſibus, totaque aede repleta fumo,*

5. *Ego ita dixi: Hei mihi! perii, qui quum et ipſe homo ſim immundis labiis, et inter homines labiis immundos habitem, regem Jovam, agminum Deum, viderim meis oculis.*

6. *Tum ad me advolavit unus de Seraphis, habens in manu candentem carbonem, quem forcipe ſumſerat ex ara,*

7. *Quem admovit ori meo, atque ita dixit: ſimulatque tua labra tetigit hic carbo, abiit culpa tua, peccatoque tuo data venia eſt.*

8. *His*

8. *Hic ego Domini vocem audivi ita dicentis: quemnam mittam? aut quis nobis ibit? Et ego, ecce me, inquam, mitte me.*

9. *Atque ille: i nunciatum isti populo in hunc modum: audite et ne intelligite; videte, et ne cognoscite.*

10. *Oblina istius populi cor, ejusque et aures adgrava, et oculos hebeta, ne oculis videat, nec auribus audiat, nec corde intelligat, nec reversus sanetur.*

11. *Atque ego: quousque, Domine? Et ille: donec ita vastentur urbes, ut nullus sit incola, ita domus, ut ibi nemo sit, terraque vastata desoletur,*

12. *Adeo remotis per Jovam hominibus, ut sit in media terra vasta solitudo.*

13. *Quumque fuerit adhuc in ea denarius numerus, iterum depopulabitur, ut terebinthus aut quercus, quarum, cum dejicientur, stipes manet, ita semen sanctum stipes illius terrae erit.*

V.

Cap. VII—XII.

Sex, quae jam sequuntur, Capitibus (VII — XII.) peculiaris quaedam suisque propriis circumscripta limitibus pars constituitur hujus, quod a *Jesaja nomen gerit*, vaticiniorum syntagmatis. Praenunciantur fata non solum regni utriusque, Judaici et Israelitici, verum quoque eorum populorum, quibuscum Judaeis et Israelitis illa aetate aliqua intercedebat ratio, Syrorum atque Assyriorum. Oraculorum summa haec: castigatis severe Judaeis et Israelitis, ob gravissima crimina, quibus utraque gens Deo vindici obstricta erat ad poenam, deletis vero plane illis ipsis hostibus, quibus Numen ad suum populum puniendum usus esset, fore, ut rege quodam prodigiose nascituro aureum redeat seculum. Omne autem, quod sex hisce Capitibus decurrit vaticinium, est bipartitum; pars prior (VII, 1. — IX, 6.) ad *Judaeos* spectat, eorumque hostes, *Israelitas* et *Syros*; posterior (IX, 7. — XII, 6.) ad *Israelitas*, et, qui eorum rempublicam everterunt, Assyrios; utraque terminatur magnifica descriptione illustris illius atque divini herois, quo auspice placidissima pax et tranquillitas per orbem regnabunt. Ceterum totus hic libellus vaticinus, qui Capp. VII — XII. constituitur, concinnatus est ex pluribus singulis oraculis, quae diversis temporibus sunt edita. Nam quum vaticinia Cap. VII. seqq. primis regni Ahasi annis sint prolata; ea, quae X, 11. leguntur, Samaria ab Assyriis capta, id vero est, sexto Hiskiae anno, sunt enunciata. vid. 2 Reg. XVIII, 10. Cf.

Cf. not. ad X, 8. 9. 10. Sed illa quoque, quae in Ahasi regnum cadunt, vario tempore sunt edita, vid. VIII, 1. 5.

Sam. Bohlii *Commentarius Biblico-Rabbinicus super Orationem tertiam Esajanam Capp. VII — XII. absolutam.* Stetini, 1636. 4. Repetitus in *Thesauro Theolog. Philologico, sive Sylloge Dissertatt. elegantior. ad selectiora et illustriora V. et N. T. loca.* (Amstelaed. 1701. fol.) Vol. I. p. 705. seqq.

Christ. Aug. Crusii *Gnomon ad prophetiam de Immanuele Jesaj. VII — XII.*, Progr. fest. Nativ. Christi, 1772. 4., quod una cum alio ejusmodi gnomone ad Jesaj. LII, 13. — LX. germanice conversum edidit et inscripsit: *Gnomon oder Zeiger zum richtigen Verstande der zwey wichtigsten Stücke des Propheten Jesajae, vom Immanuel, und vom Werke Gottes, das der erniedrigte und hernach erhöhete Christus vollführet, Jes. 7 — 12. Cap. 52, 13. — Cap. 60.*, Christ. Gottl. Schmidt, V. D. M., tunc apud Plausigenses, tum apud Schoenfeldenses in agro Lips., Lipsiae, 1774. in octon.

Jo. Theoph. Plüschke *Immanuel; Parallele zwischen Jesaj. VII. und Matth. I. Mit kritischen und exegetischen Bemerkungen. In den Analekten für das Studium der exegetischen und dogmatischen Theologie*, a Keilio et Tzschirnero editt. Vol. I. P. II. Lips. 1813. p. 43. seqq.

Jo. Christ. Frid. Steudel *loci Jesaj. VII, 1 — IX, 6. interpretandi tentamen.* Tubing. 1815. in quat.

Cap.

Cap. VII.

Argumentum.

Conjurant contra regem Ahasum populumque Judaicum, adversis bellis jam saepe debilitatum et attritum, duo reges, Syriae atque Samariae (Vs. 1.). Quorum armis quum Rex resistere se posse diffideret; auxiliares Assyriorum copias conducere meditabatur. Huic a Jova libertatem et salutem promittit Jesajas; insuper duorum regum et duorum etiam regnorum hostilium interitum (Vs. 2—9.). Offert deinde, quo magis Regis, ac procerum de genere Davidico animos confirmet, signum quodcunque velis oblatae salutis. Quod Rex vaesanus religionis specie recusavit (Vs. 10—12.). Sed vates nihilominus promissa praestat, et illius insperati eventus signum praenunciat nasciturum e virgine Immanuelem (Vs. 13. 14.). Tum tempus definit praedicto duorum regnorum excidio (Vs. 15. 16.). Sed Judaeae quoque ab iisdem Assyriis, quorum copias auxiliares rex advocaverat, mala minatur multo graviora, quam inde a diviso regno experta fuerit (Vs. 17—25.).

Quaerunt interpretes, quo tempore ea, quae hisce oraculis occasionem dederunt (Vs. 1—4.), contigerint? Ubi illud quidem certum est, intra tres priores regni Ahasi annos ea contigisse, siquidem Pecachus, rex Israeliticus, non ultra tertium Ahasi annum superstes fuit; 2 Reg. XV, 27. Atque historia quidem librorum Regum habet, antequam narrasset mortem Jothami, 2 Reg. XV, 37., circa illud tempus Deum *immittere coepisse in Judaeam copias Rezinis et* Pe-

Pecachi; mox post mentionem factam obitus Jothami, et suscepti ab Achaso regni, commemorat Achasi impietatem et defectionem a Jova, et subjungit XVI, 1—6., *tum temporis Rezinem et Pecachum expeditionem suscepisse adversus Achasum, eumque obsedisse Hierosolymis, sed absque successu.* Sed auctor libri Chronicorum, postquam ipse quoque memorasset Achasi impietatam et flagitia, subjicit, 2 Chron. XXVIII, 1. seqq., Deum tradidisse Achasum his nimirum de caussis potestati regis Syriae, qui ipsum magna clade affecerit, et multos captivos abduxerit Damascum; simul etiam illum traditum esse in potestatem regis Israelis, qui pariter magnam in Judaeia commiserit caedem hominum, ad centum et viginti millia virorum fortium, et captivos etiam fecerit majore adhuc numero, sed ad orationem seriam Odedi prophetae postmodum dimissos. Quae quum ita habeant, quaeritur, an expeditio haec, cujus mentio est in historia Chronicorum, eadem sit, quae memoratur hoc Jesajae Capite et in historia Regum. De qua enim hoc Jesajae loco sermo est, eandem esse expeditionem, quae in libro Regum memoratur, non est dubium, quum eadem utrobique verba usurpentur. Sed Jesajae promissio de irrito successu expeditionis regum Syriae et Israelis non satis videtur convenire historiae libri Chronicorum, quae tradit, Judaeos hoc tempore magnam ab utroque rege cladem accepisse. Hic vero Historici et interpretes hujus loci in diversa abeunt. Multi existimant, expeditiones esse diversas, sed utra praecesserit, vel sequuta sit, inter illos non convenit. Grotius et Usserius (*Annall. ad A. M.* 3262. *p.* 51.) putant, expeditionem eam, cujus hic, et in libro Regum mentio fit, esse priorem, eamque incidisse in annum Ahasi primum; sed expeditionem historiae Chronicorum esse posteriorem, et factam anno Ahasi secundo. Alii contra opinantur, eam expeditionem, quae hic et in Regum libro narratur, esse posteriorem, illam vero quae in libro Chronicorum memoratur, esse primam, in qua Syri et Israelitae divisis copiis in Judaeam irruisse, et duabus cladibus Ahasum

ſum attriviſſe videntur. Quae ſententia priori praeferenda videtur, et a Vitringa his maxime rationibus confirmatur. „Expeditionem regum Syriae et Iſrael in Judaeam, quam liber Regum et vates noſter deſcribunt, eſſe poſteriorem, adparet 1) ex eo, quod ad illam Ahaſus et Judaei tantopere commovebantur (vid. infra Vs. 2.). Quod ſi vero Ahaſus tunc producere potuit exercitum ſupra centum millia virorum fortium, nulla fuit cauſſa, ante eventum, in omni proelio dubium, tanti metus. Patet igitur, illum exercitum jam antea in prima expeditione, quae 2 Chron. XXVIII. deſcribitur, fuiſſe caeſum; vid. Vs. 6. cap. cit. 2) Non potuerunt hi reges conſilium inire de obſidendis Hieroſolymis, niſi jam antea fudiſſent Ahaſi copias, ejusque fregiſſent vires, quae decedente Jothamo plane adhuc integrae erant. 3) Patet ex Vs. 20. Cap. noſtri, Ahaſum cogitaſſe de auxilio regis Aſſyriae, quod non feciſſe putandus eſt, niſi deſperatis rebus, poſt magnam jam acceptam cladem. Cf. quae ad Vs. 1. ex Hieronymo afferemus." Plüschke l. l. (p. 46.) et Gesenius tamen eam, quam Chronicorum auctor deſcribit, expeditionem haud diverſam putant ab ea, de qua hoc Jeſajae Capite et 2 Reg. XVI, 1. ſeqq. agitur, ſed Chronicorum ſcriptorem ſuam narrationem exaggeraſſe eo conſilio, quod ſibi in opere ſuo concinnando propoſitum haberet, accommodate, rebus, puta, in facto poſitis demonſtrare, impios reges ſemper maximas calamitates ſubiiſſe. Nos vero, etſi facile demus, numerum exercitus Ahaſi incredibilem in modum exaggeratum eſſe (quod ipſum tamen et in plerisque et Hebraeorum et aliorum Orientis populorum libris hiſtoricis ſaepenumero deprehendimus), tamen quae in Regum libris haud memorata ſoli Chronicorum libri narrant ab eorum auctore conficta pronunciare, cauti antiquitatis ſcrutatoris haud eſſe ducimus. Reges Syriae et Iſraelis contra Judaeam expeditiones una plures ſuſcepiſſe, concludi poteſt inde, quod 2 Reg. XV, 37. dicitur, circa illud tempus (ſub finem regnantis Jothami), *coepiſſe* Jovam Rezinem et Pecachum in Judaeam immittere.

Hoc

• Hoc Caput Commentario historico et versione vernacula eleganter illustratum a J. G. Eichhorn legitur in *Biblioth. Literat. Bibl. Univ.* P. IV. p. 450. seqq., et in Anthologia, quae inscribitur: *Blumen althebräischer Dichtkunst,* p. 306. seqq.; atque in *den biblischen Propheten* P. I. p. 167. seqq.

---

1. עָלָה hic sensu militari s. *de expeditione bellica* usurpatur, ut Jos. VIII, 1.: *Tecum ducito universum militarem populum; surgeque,* עֲלֵה הָעַי, *et ascende Aium,* i. e. eam urbem obsidione cingas. Jud. I, 3. 4. עֲלֵה אִתִּי בְגוֹרָלִי וְנִלָּחֲמָה בַּכְּנַעֲנִי; 1 Reg. XV, 17. וַיַּעַל בַּעְשָׁא מֶלֶךְ־יִשְׂרָאֵל עַל־יְהוּדָה Alia hujus usus exempla attulit C. B. Michaelis in Dissertat. *de notione Superi et Inferi* in Commentatt. *Theologg.* a Kuinoelio et Velthusenio editt. T. V. p. 442. §. 30., ubi observat, objectum bello oppetendum Hebraeis concipi ut *fastigium* ab oppugnante superandum, unde fieri, ut qui regi, populo, regioni, urbi bellum inferunt, *adscendere adversus eos* dicantur, quoquo modo se cetera iter habeat, sine respectu ad situm loci editiorem. Non erat igitur, cur Gesenius Vitringam erroris insimularet, quod עָלָה h. l. significationem supra indicatam obtinere diceret, quamvis concedendum sit, Vitringam minus accurate Graecorum ἀναβαίνειν et ἀνάβασις ad illustrandum Hebraicum verbum huc traxisse. לַמִּלְחָמָה עָלֶיהָ *Ad bellandum adversus eam,* nomen positum pro Infinitivo, ut Deut. X, 12. לְיִרְאָה *ad timorem Dominum Deum tuum,* i. e. ad timendum, ut timeas: add. Judic. XVI, 23. Vid. Glassii *Phil. S.* L. I. Tract. III. Can. XLI. p. 293. edit. Dath. וְלֹא יָכֹל לְהִלָּחֵם עָלֶיהָ *Sed non valuit pugnare adversus eam,* quae verba nos olim cum Vitringa interpretati sumus: non praevaluit pugnando, bellum gerendo, proeliando adversus eam. Sed potius cum Steudelio et Gesenio interpretandum est: *non potuerunt eam oppugnare.* יָכֹל, inquit Steudelius, „non tam opes defuisse, hic significat, quam, intervenisse aliquid, quod impe-

impedimento esset, quo minus urbs oppugnaretur. Scilicet nuncium de impetu ab Assyriorum rege in Syriam facto (cf. 2 Reg. XVI, 9.) Rezinum una cum Pecacho ab expeditione in Judaeam facta avocasse verisimile est." Alexandrini et Hieronymus verbum יָכֹל in plurali vertunt (*καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν πολιορκῆσαι αὐτήν· non valuerunt debellare eam*), quasi legissent יָכְלוּ, quod ipsum in loco parallelo 2 Reg. XVI, 1. 2. exstat. Sed h. l. verbum יָכֹל in constructione conformatur ad numerum verbi עָלָה, initio commatis. Ponitur vero utrumque in singulari, quod hic respicitur maxime Rezinus, Syriae rex, qui principes in hoc bello sustinuit partes; ut ex tota hac prophetia liquet. Caussa flagrantis aestus Rezinis Syri adversus Ahasum videtur fuisse injuria hostilis Syria ab Usia rege illata, qui occupaverat Elatham ad sinum Arabicum, ademtam Syris, 2 Reg. XIV, 22. coll. cum 2 Reg. XVI, 6. Vel potest verbum distributive accipi, ut sententia sit: nec *hic*, nec *ille*, belli successum obtinuit; veluti Genes. II, 19. *Omnem bestiam agri, et omnem volucrem coeli, adduxit ad Adamum, ut videret, quod nomen inderet* לוֹ, *ipsi*, i. e. unicuique eorum. Vid. Glassii *Phil. S.* L. I. Tract. II. Can. XVII. p. 165. edit. Dath. Hieronymus: „Legimus in Paralipomenon libro [secundo, C. XXVIII.], Rasin, regem Damasci, victo Achaz, multos de Judaea Damascum transtulisse, et Phaceae, filium Romeliae, regem decem tribuum, quae appellabantur Israel, et regnabat in Samaria, una die centum viginti millia percussisse de Juda hominum bellatorum, et ducenta millia mulierum, puerorumque et puellarum cum infinita praeda in Samariam duxisse captiva. De quo certamine Propheta nunc tacuit, sed secundum refert proelium, quando experimentum habentes fortitudinis suae atque victoriae, et invitati praedae magnitudine rursum veniunt ad Judaeam." Cf. Argumentum hujus Cap. Ceterum, si ipse Jesajas hunc Versum scripsit, omnino post rei gestae eventum scripsisse videtur, quocunque tempore hoc vaticinium ab ipso litteris consignatum fuerit. Recte vero

Vi-

Vitringa observat, verba, quae hoc Versu legimus, esse a scribis sacris, qui prophetias Jesajae ordinarunt, ex 2 Reg. XVI, 15. huc translata, et per modum παρενθέσεως hic inserta, ut paucis verbis per πρόληψιν indicaretur prophetiae implementum, quod ad priorem ejus partem.

2. נָחָה אֲרָם עַל־אֶפְרָיִם *Quiescit Aram super Ephraim,* quae verba fere sic interpretantur: Ephraimo, s. regno Israelitico (a principe tribu, in qua etiam Samaria, regni caput, *Ephraim* dicto), fretus, auxiliisque ejus fidens Syrus, Judaeam ejusque metropolin adgreditur. Nam repugnantibus Israelitis, Syri vix poterant Hierosolymam obsidere, aut diutius obsidionem tolerantem ad deditionem perducere; quum Israelitarum terra esset Syriam inter et Judaeam media. Hunc sensum et Graecus Alexandrinus expressit: συνεφώνησεν Ἀρὰμ πρὸς τὸν Ἐφραίμ, et Chaldaeus: אִתְחַבַּר מַלְכָּא דַאֲרָם עִם מַלְכָּא דְיִשְׂרָאֵל *consociavit se rex Syriae cum rege Israelis.* Quod verbum נָחָה in foeminino ponitur, quum nomina populorum alias sint generis masculini, rationem nonnulli reddunt hanc, quod subaudiatur nomen עֵדָה, *coetus*, sive, ut Jarchi vult, מַלְכוּת, *regnum.* Verba enim, quae ad societatem referuntur, in lingua Hebraea amant genus femineum; cf. e. c. 2 Sam. VIII, 6. XXIV, 9. Sed recte monet Storr in *Observatt.* p. 370. not., nomina *regionum*, quale est hic אֲרָם, generis feminei, etiamsi pro *incolis*, sive *populis* usurpentur, genus tamen femininum retinere, ut שְׁבָא Job. I, 15. יְהוּדָה Ps. CXIV, 2. Kimchi sumit particulam עַל significatione עִם, *cum*, et sensum facit hunc: *quiescit Syrus una cum Ephraimo*, quod sequutus Glassius *Philol. S.* Grammat. L. III. Tract. VI. Can. XII., locum nostrum ita explicat: venerunt ambo reges prope Hierosolymam, ibique castra sua tetenderunt, et quiescunt ibi ad obsidendam urbem. Potest tamen verbum נוּחַ, cujus tertia feminina Praeteriti est נָחָה usitato *quiescendi, consedendi*, hic, castra metandi significatu capi, quem et infra Vs. 19. et 2 Sam. XXI, 10. obtinet. Ita Grotius: „Syrus cum

cum suis copiis consedit in terra decem tribuum, quarum princeps erat tribus Ephraim, ut inde conjunctis cum rege Samariae viribus moveret contra Hierosolymam.“ Mi- ...*Bibl. Orient.* P. XIV. p. 116. et in *Supplemm.* ... נָחָה est 3. perf. mascul. sing. praet.; quod verbum confert cum Arabico نحا, pro نحو, *contendere ad aliquem*, vel virum, vel locum; unde vertit: *tendit Syrus ad Ephraimum*, castra illa conjuncturus. Sed Masorethae ...notarunt, esse vocem מלעיל, *Milel*, id vero est, ...ultima habere, quo si...ificarunt, esse tertiam Praeteriti femininam verbi נוּחַ, *quiescere*. Quam observationem a majoribus illos accepisse, ideoque dignum judicasse, quam scripto consignarent, credibile est. אֶפְרַיִם Steudel h. l. nomen urbis in tribus ejusdem nominis ditione ad Judaeae et Samariae confinia sitae, cujus mentio 2 Sam. XIII, 23. facta, esse putat, עַל vero hic ut alias, v. c. Ps. I, 5. *prope* valere, ut vertendum sit: *castra metati sunt Syri prope Ephraimum*, quasi diceret: jam terrae Judaicae finibus instant hostes. Negat quidem Gesenius, exstitisse urbem Ephraim; sed, uti mihi quidem videtur, sine idonea ratione; vid. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 148. (ubi lin. 1. pro 2 Reg. ponendum 2 Sam., et lin. 9. pro Joh. XII. legend. XI.). וַיָּנַע לְבָבוֹ וּלְבַב עַמּוֹ כְּנוֹעַ עֲצֵי־יַעַר מִפְּנֵי־רוּחַ *Et commotum est cor ejus et cor populi ejus, sicut commoventur arbores sylvae a vento*, conscientia impotentiae suae, regum adversariorum viribus comparata, et gravissimae nuper ab illis acceptae cladis. Imago h. l. usurpata, quo regis populique metus exprimitur, similis est illi Ahiae, licet in alio casu usurpata, arundinis, a vento percussae et circumactae in aquis, in oratione ad uxorem Jeroboami, 1 Reg. XIV, 15. Ovidius in *Epist. Canaces*, Vs. 76. 77.

Ut quatitur tepido fraxina virga noto
Sic mea vibrari pallentia membra videres.

Et

Et in *Epiſt. Hypermneſtrae* Vs. 40. ſequ:

Frigida populeas ut quatit aura comas,
Aut ſic, aut etiam tremui magis. . . . .

3. Jubetur propheta obviam ire Ahaſo cum filio, cujus nomen ominoſum שְׁאָר יָשׁוּב, *reliquum redibit*, „in typum," ait Hieronymus, „populi Juda, qui erat de duorum regum manibus liberandu..." Similiter Kimchi nomen illud Jeſajae filio inditum putat, ut portenderetur, reliquias Judaici, duorum tribuum, populi, redituras quondam e terris exteris, in quas ille ſit deportandus, ſed populi Iſraelitici, ſ. decem tribuum, reliquias non item. Verum ex loco infra X, 21., ubi legitur: שְׁאָר יָשׁוּב שְׁאָר יַעֲקֹב אֶל־אֵל גִּבּוֹר *reſiduum redibit, reſiduum Jacobi ad Deum fortiſſimum*, cui ſtatim additur, Vs. 22., licet populus Judaicus copia aequet arenam maris, שְׁאָר יָשׁוּב בּוֹ, tamen *reſiduum* tantum *rediturum eſſe*, apparet, nomine illo hoc potius innui, ex multis paucos tantum ad meliorem mentemredituros, ideoque a communi exitio ſervandos eſſe. Modo non abſimili Jarchi iſtud nomen explicat, ita tamen, ut pro appellativo habeat: „Reliquiae paucae, quae convertentur ad me, tuo, Jeſaja, miniſterio, quaeque erunt tanquam filii tui." Sequutus eſt Chaldaeum ita vertentem: (*obviam i Ahaſo, tu*) וּשְׁאַר תַּלְמִידָךְ דְּלָא חֲטוֹ וּדְתָבוּ מֵחֶטְאָה, *et reliqui diſcipuli tui, qui non peccarunt, et converſi ſunt a peccato.* Steudel nomen שְׁאָר יָשׁוּב ominoſum eſſe, et ipſe quidem agnoſcit, ſed aliud quid h. l. quam infra X, 21. ſignificare exiſtimat, quoniam hic de tranquillandis Judaeorum animis ob inſtans periculum agitur. Paucos potius Syrorum et Iſraelitarum, qui Judaeorum debellarent exercitum, reliquias fore reduces portendi, Viro Doctiſſimo videtur. Verum unum idemque nomen ad res diverſas ſignificandas adhiberi, nobis vix perſuademus. LXX שְׁאָר pro appellativo habuere; ſed יָשׁוּב nomen filii proprium autumarunt. Ita enim verterunt: καὶ ὁ καταλειφθεὶς Ἰασοὺβ ὁ υἱός σου. Quod ſequutus Vulgatus: *et qui derelictus eſt*

Jaſub

Jasub filius tuus, defenditque C. L. Hoheisel in *Observatt. philologg.* p. 70. eo quod vox שְׁאָר per accentum Tiphcha a voce יָשׁוּב distinguitur, unde vertit: *et residuus, Jaschub, filius tuus.* Sed hanc sententiam vates haud dubie ita expressisset: וְיָשׁוּב בִּנְךָ הַשְּׁאָר. J. E. Faber ad Harmeri *Observatt. super Oriente*, P. I. p. 282. verba nostra vertit: *obviam i Ahaso, tu cum reliquo discipulorum tuorum coetu.* יָשׁוּב interpretatur *sessionem, consessum*, scil. *discipulorum, scholam*; quam significationem יְשִׁיבָה habet apud Rabbinos, qui, ut Faber addit, masculinum genus saepe mutare solent in femineum et vicissim. בִּנְךָ vero reddit *filii tui*, quibus intelligit *discipulos*, quos propheta Cap. VIII, 18. *liberos* (הַיְלָדִים) *suos* (coll. Vs. 16. Cap. ejusdem, לִמֻּדָי) vocat. Obstat tamen huic interpretationi maxime illud, quod nullo modo potest probari, vocabulum יָשׁוּב apud Hebraeos *consessum, coetum* significasse; nec, si id etiam concedatur, intelligitur, cur שְׁאָר, *reliqui*, additum sit, quum in iis, quae antecedunt, discipulorum nulla mentio fiat. אֶל־קְצֵה תְּעָלַת הַבְּרֵכָה הָעֶלְיוֹנָה *Ad extremum aquaeductus piscinae superioris.* Hierosolymitanae urbi ad euro-notum (*Südost*), non, uti Bachiene et Gesenius volunt, ad occidentem urbis (vid. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 260.), e regione montis Zion, erat fons *Gichon*, גִּחוֹן (1 Reg. I, 33., 2 Paral. XXXIII, 14.), qui et *Siloah*, שִׁילֹחַ, Σιλωάμ (Joh. IX, 7., Nehem. II, 13. 14. 15.) appellabatur. Ex hoc fonte ducti erant rivi in duas *piscinas majores* (Hebraeis בְּרֵכוֹת, coll. Arab. بِرْكَة, *piscina, conceptaculum aquae*), quarum altera dicebatur הָעֶלְיוֹנָה, *superior*, altera הַתַּחְתּוֹנָה, *inferior*; cujus mentio fit infra XXII, 9. Prior illa, cui quoque בְּרֵכַת הַמֶּלֶךְ, *piscinae regiae*, nomen inditum erat, quod jussu Salomonis regis constructa esset, ea ipsa est, cujus hoc nostro loco mentio fit. Ad hunc locum vero Ahasum se contulisse existimant quidam eo consilio, ut dispiceret, qua ratione deducendae essent aquae, ut muniendae urbi contra vim oppugnantium ser-

servirent. Cui sententiae tamen recte obvertit Vitringa, fontem Siloae non potuisse tantam copiam aquae subministrare Hierosolymitanis, ut iis implerent fossam, qua urbs ab hostibus tuta praestaretur; nec urbem a parte occiduo australi, ubi erat fons Gichon, ejusmodi munimento indiguisse; quippe ea parte, si muris cincta erat necessariis, per naturam satis munitam. Magis probabile, Ahasum se illuc contulisse, ut videret, annon qua commoda ratione obturare posset fontem, vel aquas ejus abducere in urbem, aut fossam, illi subjectam, et ejus aeque ac piscinarum usum hosti adimere. Quod colligi potest ex Paral. XXXII, 1. 2. 3. 4., coll. cum Vs. 30., ubi multis exponitur et laudatur prudens consilium filii Ahasi, Hiskiae, qui simulac intellexerit, Sanheribum meditari obsidionem Hierosolymorum, ut hostibus adimeret commodum aquae, mox deliberaverit de fontibus, qui apud urbem erant, obturandis, et aquis abducendis ab occidente muri Zionis, nec non de siccando torrente Cedrone. Narratur quoque in historia *belli sacri*, iis, qui Hierosolyma obsederint, magno impedimento fuisse aquae penuriam, fontibus circa urbem obturatis. Adire vero voluit vates regem in eo loco, ubi magnus satis et frequens populi concursus esse soleret; qui nusquam erat celebrior et frequentior, quam apud hunc fontem, ejusque piscinas. אֶל מְסִלַּת שְׂדֵה כוֹבֵס *Ad viam, qua itur ad agrum fullonum*, in quo fullones siccant pannos, quos curaverunt et purgarunt in canali ipsius lacunae superioris. Chaldaeus: דִּי בְּכִבְשׁ חֲקַל מִשְׁטַח קַצְרַיָּא, *quae est in via agri extensionis fullonum*, i. e. quo fullones vestes lotas ad solem siccandas expandere solebant. מְסִלָּה non est *agger*, ut multi reddunt, sed *via publica*, a סָלַל, *viam parare*, Prov. XV, 19. Joh. XIX, 12. XXX, 12. Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 1764. 1766.

4. הִשָּׁמֵר plures, inter recentiores et Steudel et Gesenius, vertunt *cave tibi*, ut Job. XXXVI, 21., ubi tamen הִשָּׁמֶר, *cave tibi*, cum accentu in penultima. Volunt autem,

moneri

moneri regem a vate, ut caveat a peccato, ne omnipotenti Deo diffisus ad regem Assyriae confugiat; cf. 2 Reg. XVI, 7. Vel, uti STEUDEL interpretatur: habes, quod circumspecte agas, sed haud desperandum. DATHII et PLÜSCHKII interpretationi: *cura ut sis tranquillus*, idem ille Vir Doctissimus recte opposuit, שָׁמַר, ut Latinorum *cavere*, significare quidem posse: operam dare, ne quid fiat; vix autem: operam dare, ut quid fiat. *Cavendi* notione verbum illud ceperunt et veteres. LXX: *Φύλαξαι τοῦ ἡσυχάσαι*. Vulgatus: *vide ut sileas*. Chaldaeus: אִשְׁתְּמַר, *cave*. Syrus: ܐܙܕܗܪ, idem. *Cavendi* tamen notio, quomodocunque eam vertas, sensum satis commodum vix dabit. Sed observant Hebraei, vocem הִשָּׁמֵר, quum hoc solo loco sit *acuta*, non, ut ceteris locis, *penacuta* (הִשָּׁמֶר), significationem suam arcessere a שְׁמָרִים, *faeces*, et vertendam esse, *conside super faeces tuas*, i. e. ne move te, sis tranquillus, quiesce. JARCHI: „Sedeas quiete, sicut vinum super faeces suas.“ Consentiunt ABEN-ESRA et KIMCHI. Cui interpretationi, quamvis Gesenius eam *somnium Rabbinicum* vocet, tamen favet locus huic plane similis Jeremiae, Cap. XLVIII, 11. *Tranquillus est Moab a juventute sua*, וְשֹׁקֵט הוּא אֶל־שְׁמָרָיו *et quiescit ille super faeces suas*. Vid. et Zephan. I, 12. Cf. N. G. SCHROEDERI *Observatt. ad Origg. Hebraeas*, Cap. VI. §. XXI. p. 110., qui recte observat, hominem נִשְׁמַר, *defaecari*, dici, quando curarum et sollicitudinem quasi faeces ex animo commoto et conturbato expellit, ut is ad instar vini defaecati serenus et liquidus fiat. Ita PLAUTUS *Aulul.* I, 2, 1.

Nunc defaecato demum animo egredior domo.

„Apparet inde,“ addit Schroederus, „quam apte et eleganter illud הִשָּׁמֵר additum sibi habeat הַשְׁקֵט, *fac animum sidere*, ut sit instar *liquoris sidentis*, in quo quicquid turbidum et faeculentum erat, subsidit [nempe Arabibus, ut pluribus Schroederus ostendit, سَقَطَ est *subsidit*], nullaque ex-

externa vi, nullo interiore aestu suscitatur et commovetur. Credibile est, usitatam hanc veteribus Hebraeis fuisse dicendi formulam, הִשָּׁמֵר וְהַשְׁקֵט, *defaecatus esto, et facito animum fidere*, qua metu conturbatos bono esse animo jubebant.“ De animi tranquillitate שׁוֹקֵט et Ezech. XVI, 49. dicitur. אַל־תִּירָא וּלְבָבְךָ אַל־יֵרַךְ *Ne timeas nec cor tuum mollescat*, sive, ut Vulgatus reddidit, *noli timere, et cor tuum ne formidet; mollitie cordis* significatur metus femineus, cf. Deuter. XX, 3. 2 Reg. XXII, 19. Jerem. LI, 46. מִשְּׁנֵי זַנְבוֹת הָאוּדִים וגו׳ *Propter duas caudas titionum fumantium istorum, aestuante ira Rezinis, et Syrorum, et filii Remaliae.* Jarchi: „Sint isti reges in oculis tuis tanquam caudae titionum, quorum flamma exstincta est.“ Kimchi: „Quemadmodum caudae titionis non est vis ad accendendum aliquid, sed fumat tantummodo et dolore aliquantisper afficit, qui in domo versantur, donec fumus consumetur; sic isti duo reges venerunt in aestu furoris sui, sed non est vis in eis ad accendendum et consumendum, ac pauco temporis consumetur fumus eorum, et revertentur deficientque.“ *Caudas* vero titionum vocat illos reges, quia extremi erant sui ordinis, iisque utrumque regnum, Syriacum et Ephraimiticum, sive Israeliticum, brevi periturum erat. Jam enim illorum regnis imminebat ab Assyriorum armis extrema clades. Verba בָּחֳרִי־אַף Steudel pendere monet ab הָעֲשֵׁנִים, ut vertendum sit: *ob duas extremitates titionum istorum fumantium aestu irae*, nec impedimento esse אֵלֶּה medium inter utramque vocem positum. „Eodem modo,“ addit, „Jos. XXIII, 12. inter אִתְּכֶם et הַנִּשְׁאָרִים, unde אִתְּכֶם pendet, ponitur הָאֵלֶּה. Si בָּחֳרִי־אַף appositio esset τοῦ מִשְּׁנֵי זַנְבוֹת וגו׳, loco Praepositionis ב potius Praepositio מ poni debebat. Usitata vero est vocis אַף cum עָשֵׁן conjunctio, ut Deut. XXIX, 19. Jesaj. LXV, 5.; nec minus Hebraeis mos usitatus, adjungere tropico dicendi generi voces proprio sensu sumendas, vid. e. c. Ps. LXXX, 9—18. Ezech. XXXI, 3—18.“ בֶּן רְמַלְיָהוּ, i. e. Pecachus, quem non dignatur nomine regis, et sic appellat per contemtum,

 ut

ut filium privati hominis, per scelus regem factum. Post רמליהו Kimchi ואפרים subaudiendum esse monet, ut antea nomini regis Syrorum additur וארם. Rege comprehenditur simul ejus populus; ut contra Versu proximo ארם solum memoratur, non expresso regis nomine.

5. יען כי יעץ עליך ארם רעה *Eo quod consilium inierit contra te Syria in malum*, ut recte Vulgatus vertit. Non tibi timori aut curae sit, quod duo illi reges consilium foedusque inierint contra te.

6. ונקיצנה varie reddunt. Alexandrini: *καὶ συλλαλήσαντες αὐτοῖς*, cujus interpretationis ratio nos latet. Vulgatus: *suscitemus eam*, i. e. bello eam exagitabimus: quasi esset Hiphil verbi יקץ, *evigilavit*. Ita et Jarchi: נעוררם במלחמה, *suscitabimus eos*, Judaeos, *bello*. Chaldaeus: ונתברנון, *et jungamus eos*. Pro quo J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2178. rescribendum conjicit נתברנון, *frangamus eos*. Sed nihil mutandum: nam ei, quod in libris editis omnibus legitur, bene convenit, quod Chaldaeus addit ad explicationem vocis hebraeae ונבקיענה, quae proxime sequitur: ונשוינון עמנא, *et aequales eos reddamus nobiscum*, ut illi, Judaei, sint aequales ceteris tribubus uno sub rege. Abarbenel נקיצנה formatum esse a קצין, *judex*, non improbabile judicat, quod vult significare, *subjiciamus eam imperio nostro*. Male. Vitringa a קצה, *amputavit, detruncavit*, vertit: *accidamus eam*, scil. terram Judae, i. e. avulsis ab ea regionibus, cuique nostrum commodis, eam inter nos dividamus. J. D. Michaelis l. c. collato Arabico قوض *diruere*, reddendum censet: *evertamus eam*. Ita Syrus (ܢܣܚܘܦܝܗ); qui tamen vocem nostram ad קצה vel קצץ, *amputavit, scidit, abscidit* retulisse videtur, uti Saadias: ونقطع فيها, *et extrema ejus abscindemus*. Rectum vero non dubitamus vidisse Kimchium, qui נקיצנה a קוץ, *taedere* (i. q. קוט), Genes. XXVII, 46. Levit.

XX,

XX, 23. referens interpretatur: *taedio afficiamus*, defatigemus, *eam*, id est, obsidione eam cingamus, donec pertaesa aperiat nobis portas. Observat enim A. Schultens in *Animadverss. Philologg.* ad h. l., *taedio afficere urbem*, stylo Orientis esse, *eam obsidione premere*. Sic Arabibus verbum ضَجِرَ, *taedio affici*, unde ضَجَرٌ, *aegritudo ex taedio*, in tertia Conjug., ubi transitivam recipit vim, saepissime *obsidione premere* notat. *Vita Timuri* T. I. p. 460. edit. Manger.: *Cum Timur Multan pervenit, et se opposuit Scharnik-Chan* فاقام يحاصرها وقعد يضاجرها, *quare eam urbem obsidione cinctam taedio affecit.* Plura exempla vid. apud Schultensium. Affixum femininum in נְקִיצֶנָּה itaque respiciet ad (עִיר) *urbem Hierosolymitanam*, Judaeae metropolin. Satis notum enim est; Hebraeos non tam accuratos esse in loquendo; ita ut haud raro nomen substantivum, quod respicitur, ex mera contextus observatione supplendum sit. Quod ipsum valet de suffixo verbi proximi, וְנַבְקִעֶנָּה, *et perrumpamus*, i. e. expugnemus *eam*, quo sensu idem verbum 2 Sam. XXIII, 16. 2 Reg. III, 26. 2 Paral. XXI, 17. XXXII, 1. אֵלֵינוּ *Ad nos*, i. e. ut ad nos deficiat, s. in potestatem nostram veniat. Chaldaei interpretationem, quam supra attulimus, sequutus Jarchi phrasin nostram exponit: *aequalem eam faciamus nobiscum*, et observat, esse verbum denominativum a בִּקְעָה, *planities aequalis.* Sed repugnat usus hujus verbi, quem notavimus. Haud longe tamen a Chaldaeo diversi sunt LXX: ἀποστρέψομεν αὐτοὺς πρὸς ἡμᾶς. Saadias: ونُنْغِرُها الينا *et fugere faciamus eam ad nos.* Melius Vulgatus: *et avellamus eam ad nos.* וְנַמְלִיךְ מֶלֶךְ בְּתוֹכָהּ *Et constituamus regem in ea*, sive: *vel constituamus regem*, ut sensus sit: *vel* partiamur terram Judaicam inter nos, *vel* praeficiamus ei regem, nobis obnoxium, clientem fiduciarium, uti rex Aegypti Judaeae praefecit Eljakimum, vid. 2 Reg. XXIII, 34.,

et rex Babyloniae Zedekiam, 2 Reg. XXIV, 17. אֶת בֶּן־טָבְאֵל *Filium Tabeelis*, unum fortasse ex his, qui contra gentem Davidicam conspiraverant, *infra* VIII, 12. Chaldaeus accepit nomen ut commune et appellativum, vertit enim: יַת מַן דְּכָשַׁר לְנָא, *eum, qui nobis placuerit*, quasi compositum esset ex vocibus טוֹב אֵלֵינוּ, sed id plane abs re est. Hebraei interpretes hic confugiunt ad Cabbalam, et illam quidem Cabbalae speciem, quam *Albam* (אלבּם) vocant, qua Alphabetum in duas dispescitur partes, ita ut undecim literae posteriores undecim prioribus recta subjiciantur, et in scriptione, veri nominis occultandi caussa, oppositae pro oppositis sumantur, א pro ל, ב pro מ (unde dicitur אלבם ex primis et secundis literis utriusque partis simul conjunctis), et ita porro. Quo artificio adhibito in nomine טבאל, id reddet nomen רמלא, quod idem censeri posset cum *Remalia*. Ac si sensus sit: filium Remaljae, sive Pecachum, sive quem ejusdem stirpis, aut fratrem ejus, Ahasi loco constituendum esse regem. Nec alienum fuisse a prophetis, hujusmodi arte vera nomina nonnumquam occultare, patet ex insigni apud Jeremiam exemplo, dum שֵׁשַׁךְ XXV, 26. LI, 41. per aliam Cabbalae speciem pro בָּבֶל scribitur. Nostro tamen loco vix ulla probabilis ratio cogitari poterit, cur id nomen, quod supra Vs. 4. nude expresserat vates, nunc tali artificio involutum proposuerit. Paullo verisimilior fuerit eorum sententia, qui hunc filium Tabeelis Syrum fuisse e posteris Tabrimmonis existiment. Gens טַבְרִמּוֹן erat inter Syros nobilis, quippe quem constat parentem fuisse Benhadadi, clari Syriae regis, 1 Reg. XV, 18. Atque nomina טָבְאֵל et טַבְרִמּוֹן idem valent. רִמּוֹן enim est nomen idoli Syrorum, vid. 2 Reg. V, 18.; quod nomen ingredi potuit compositionem nominis proprii, pro more populorum Orientalium, ipsis quoque Hebraeis in nominibus אֵל et יְהוָֹה recepto. Exempla plura hujus moris attulit Gesenius in Commentar. p. 281. not. Ita טַבְבַּל significat *bonum Deum*, et טַבְרִמּוֹן *bonum Rimmon*. טָבְאֵל vero, uti notat Simonis *Onomast.* p. 497., „pro טָבְאֵל dicitur, vel ob

ob pausam, vel per Paronomasiam, quales in Jesaja frequentissimae, quia in hoc nomine intelligitur Deus falsus, qui est אֱל, *nihil*, sicuti et alibi deastri vocantur אֱלִילִים pro אֱלֹהִים. Cf. טוֹבִיָּה, מְהֵיטַבְאֵל, item Graecum Ταβεήλ, Tob. I, 1.“ Certe quum Rezinis in hoc bello praevalerent auctoritas et vires, neutiquam probabile est, illum hanc praedam relinquere voluisse Pecacho, sed potius suae gentis et fidei homini eandem committere.

7. לֹא תָקוּם *Non stabit*, consistet illud hostium consilium; cf. infra VIII, 10. XIV, 24.

8. Quod in genere promiserat vates, hoc Versu et proximo uberius declarat, docetque, utrumque regnum, tam Syriae, quam Ephraimi, suis limitibus circumscriptum mansurum esse, nec Syriae nec Ephraimi reges imperii sui fines dilataturos, usquequo utrumque regnum subvertatur. כִּי רֹאשׁ אֲרָם דַּמֶּשֶׂק *Nam caput*, metropolis, *Syriae Damascus*, i. e. Damascus (subjectum enim ponitur loco praedicati) porro manebit caput Syriae tantummodo, nec simul Judaeae. וְרֹאשׁ דַּמֶּשֶׂק רְצִין *Et caput Damasci Rezin*, i. e. non latius imperabit rex Syriae, quam nunc imperat, sed manebit caput Damasci tantummodo, nec simul Hierosolymorum. Contra sensum hunc facilem et planum Abarbenel nectit hanc difficultatem, non recte dici posse, Rezinem fore caput Damasci, quum non adeo longo post tempore regem Assyriae Damascum cepisse, et Rezinem occidisse historia testetur, 2 Reg. XVI, 9. Quare particulam כִּי *adversative* sumendam censet pro אֶלָּא, *sed*, et verba haec connectenda cum superioribus hoc sensu: consilium duorum istorum regum non substiturum, nec sortiturum effectum, sed omnino consequuturum esse in Damasco et in Rezine, Damasci principe. Explicatio violenta, quae minime admittenda. Non ait enim vates, Rezinem semper fore caput Damasci, sed sic intelligi vult, fore illum caput Damasci usque ad illud tempus, quo ipse interiret et respublica concideret. וּבְעוֹד שִׁשִּׁים וְחָמֵשׁ שָׁנָה *Et intra sexaginta quinque annos*,

annos, i. e. dum ſexaginta quinque anni ad finem decurrunt, et antequam expleti fuerint, quo ſenſu בְּעוֹד et infra XXI, 16. Joſ. I, 11. Geneſ. XL, 13. 19. יֵחַת אֶפְרַיִם מֵעָם *Confringetur Ephraim a populo*, i. e. ut populus amplius non ſit, usque adeo Ephraimitarum populus atteretur, ut omnis reipublicae ſpecies ei ſit peritura. LXX: Ἐκλείψει ἡ βασιλεία Ἐφραὶμ ἀπὸ λαοῦ, ſine ſenſu idoneo. Hebraeum מֵעָם hic eſt, vulgata ſatis phraſi, pro מִהְיוֹת עָם, *ne ſit populus.* Recte igitur Hieronymus: *deſinet Ephraim eſſe populus.* Sed duplex hic oritur quaeſtio, altera, unde ducenda ſit epocha illorum quinque et ſexaginta annorum, quibus respublica Ephraimitarum plane ſubvertenda eſſet et ſolvenda, et in quo deſinant termino? Altera, quomodo haec verba ſuperioribus cohaereant, ubi mentio fuerat facta regni *Syriae*, quum propheta ſequenti demum commate loqui incipiat de regno *Ephraimi*, ad quod haec verba pertinent. Atque ad harum quaeſtionum primam quidem quod attinet, de ea, ne lectoris animum a reliquo hujus raticinii contextu jam longius abstrahamus, agemus in peculiari Notarum in hoc Caput Additamento. Quantum ad alteram, ſi poſterius hujus Verſus hemiſtichium ſequenti ſententiae ſubjiceretur, longe profecto id videatur fieri commodius, hoc modo: *Et caput Ephraim Samaria, et caput Samariae erit filius Remaliae, et intra ſexaginta quinque annos dejicietur Ephraim, ut non ſit populus.* Kimchius primus occurrit inter interpretes, qui hanc difficultatem ad animum revocavit, etſi dubium, an ſatis commode ſolverit. Ante vocem *Ephraim* deficere copulam ו arbitratur, ut principale, ſi ita loqui eſt fas, ſubjectum in hac continuata oratione ſit Aram, ſive Syria, hoc ſenſu: *et intra quinque et ſexaginta annos dejicietur* Syrus ſcilicet, de quo verba fiunt, et *Ephraim*, i. e. Syria cum Ephraimitide, ut deſinat eſſe populus. Ellipſin autem copulae ו Kimchi monet eſſe ſatis frequentem, adducto exemplo ex Habac. III, 11: שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ, *ſol et luna ſtabant in termino ſuo.* Etſi vero negari minime poteſt, ellipſin

hanc

bans nonnumquam locum habere, hic tamen durior est, quum nomen per copulam conjungendum cum sequente tam longe absit. Transposita a librariis esse verba Vss. 8. et 9., ut nonnulli conjecerunt, equidem contra codicum omnium atque versionum veterum auctoritatem statuere vix ausim. VITRINGA autumat, vatem jam hic ordiri prophetiam de lapsu regni Ephraimitici, et id quod gravius est praeposuisse leviori, quod intelligeret id efficacius fore ad Ahasum et Judaeum populum erigendum. Eadem KOCHERI, contra LOWTHUM disputantis, est sententia. Is enim quum inconcinnum judicaret, Syriae magnitudine memorata, non illius, sed Ephraimi cladem subjici, dein post eam demum cladem etiam Ephraimi magnitudinem praedicari, quocirca transponendo membra remedium malo quaerit; recte Kocherus monet, „imprudentia Episcopum peccasse, nec de regnorum amplitudine, sed eorundem coërcitione sermonem esse, hac sententia: non latius Syros imperaturos esse, quam nunc imperent; et quantum ad Ephraimum, propius abesse ejus populi finem, neque adeo aut regni limites proferendos, aut illius regem majori imperio potiturum. „At praeter exspectationem tamen, inquies, et singulari quodam ordine et modo ista dicuntur. Atqui ego certe, non nunc sed olim, in artificii poëtici virtutibus illud extraordinarium et ἀπροσδόκητον esse putavi, quo non leviter afficiantur et capiantur auditorum animi.“ Nova et satis probabili ratione illam difficultatem tollere instituit STEUDEL, ex natura, puta, parallelismi hebraici. „Saepissime,“ inquit, „alterum phraseos cujusdam membrum ex altero supplendum; e. g. Prov. X, 1., nemo filii sapientiam patrem solum laetitia, ejusdemque stultitiam matrem solam moerore affecturam esse putabit; sed sententia hoc sibi vult: sapiens filius et patri et matri gaudio, stultus filius et patri et matri moerori est. Vid. et Prov. X, 14. Sic hoc etiam loco alterum utriusque commatis membrum ex altero vicissim supplendum, hoc modo: licet Syriae caput fuerit Damascus, Damasci caput Rezin; (est tamen quod confidatis etc.; nam) Ephraim

Ephraim conteretur cet.; — et: licet Ephraimi caput fuerit Samaria, Samariae caput filius Remaliae; (est tamen quod confidatis; nam Syria conteretur cet.). Sensus autem est hic: licet utrumque et Syrorum et Israelitarum regnum floreat, munita sint regnorum capita, fortes viri regnis praesint, ita ut alter alteri socius firmissimo fore praesidio videri possit, tamen ab interitu sese vicissim haud tuebuntur. Ita facile intelligitur, qua de causa Ephraim Vs. 8. deletum iri dicatur, quamvis praecedens hemistichium de Syria loquatur. Eadem, qua h. l., ratione XVII, 3. regni Israelitici sors conjungitur cum sorte Damasci, ita quidem, ut destructa Damasco munimento suo orbatus fore Ephraim dicatur."

9. וְרֹאשׁ אֶפְרַיִם שֹׁמְרוֹן וְרֹאשׁ שֹׁמְרוֹן בֶּן־רְמַלְיָהוּ Interea temporis *Samaria erit caput Ephraimi,* nec latius extendet imperii sui terminos, *et caput Samariae* manebit *filius Remaliae,* contentus erit regno, quale nunc possidet usque-quo intereat ipse. Post illa verba e Versu 8. supplenda esse haec: יֵחַת אֲרָם מֵעָם judicat Steudel, uti notavimus. In verbis, quae sequuntur, אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ, iterum admodum variant interpretes. Alexandrini vertunt: *ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε, si non credideritis, non intelligatis,* quasi legissent: לֹא תָבִינוּ. Sed fortasse, quum haec sine punctis legerent, vocem posteriorem non acceperunt in forma Niphal, sed cum voce תַאֲמִינוּ, quoad formam Hiphil, confuderunt, et ut sensum commodum efficerent, vocem posteriorem interpretati sunt de *intelligentia* et *sapientia.* Hieronymus: „Haec per prophetam Domino praedicente, et Achaz et populus futura non credidit. Unde subjungitur: *si non credideritis, non permanebitis,* ut Symmachus transtulit, id est, et vos non permanebitis in regno vestro, sed in captivitatem ducemini, sustinentes eorum poenas, quorum imitati estis infidelitatem. Vel certe juxta LXX: *οὐδὲ μὴ συνῆτε,* id est, non intelligetis. Et est sensus: quia quae Dominus dicit futura, non creditis, intelligentiam non habebitis." Genuinum

sensum

ſenſum non dubium eſt expreſſum eſſe a Symmacho, quem Hieronymus bene explicuit. Concinit Chaldaeus: אִם לָא תְהֵימְנוּ בְּמִלֵּי נְבִיָּא אֲרֵי לָא תִתְקַיְּמוּן, *ſi non credideritis verbis prophetae,* certum eſt *quod non permanebitis.* Kimchi ita interpretatur: *ſi non credatis verbis meis, id ſit, quia non eſtis ſtabiles,* ſive *firmi* ſcil. *in vera religione.* Verum hoc additur ſine idonea ratione. Aben-Esra verba elliptice accipienda putat hoc ſenſu, *ſi non credatis mihi,* petite ſignum: *non eſt enim in vobis vera ſides;* non facile ſine ſigno creditis. Rationem hujus interpretationis petit ex iis, quae ſequuntur; ſed nimis quaeſitum videtur. Vitringa in *Obſervatt. SS.* L. I. Diſſert. III. Cap. III. §. III. ita interpretatus erat: *certe non creditis, quia non eſtis confirmati,* ſive, fiducia in Deum, ſive, quod praeſentem reipublicae ſtatum videatis nutare, nec ſatis eſſe firmum, ad ullam de eo ſpem ſolidam animo concipiendam. Sed in Commentario ad h. l. vulgarem praefert interpretationem: *Si non credatis,* ſive *ſidem habeatis* his, quae dico, *non confirmabimini,* h. e. ſtatus rerum veſtrarum *non confirmabitur.* Nempe Judaei et eorum rex, Ahaſus, trepidantes ad famam novae expeditionis bellicae binorum regum taciti reſpiciebant opem regis Aſſyriae et prophetae promiſſa frigide excipiebant. Id quod bene perſpiciens vates, addit: ſi non credatis verbis meis, nec fiduciam ponatis in Deo; aſſevero vobis, rerum veſtrarum ſtatum numquam firmum fore et ſtabilem. Ita et Kocherus: *Niſi credideritis, certe non ſtabiliemini,* ſtabiles permanebitis. כִּי eſt aſſeverantis particula, *certe, omnino, vere,* ut 1 Sam. XIV, 39., Hoſ. VII, 6. VIII, 6. Convenit haec ſententia per omnia orationi regis Joſaphati ad Judaeos, et inde huc translata videtur. Legitur illa 2 Paral. XX, 20.: *credite* (הַאֲמִינוּ) *in Jova Deo veſtro* (h. e. fiduciam ponite in Jova, quae vis eſt verbi הַאֲמִין cum ב); וְתֵאָמֵנוּ *et confirmabimini; credite prophetis ejus,* fiduciam ponite in illorum verbis, *et proſpere res veſtras gerite.* Utrobique eſt elegans Hebraeis luſus paronomaſticus inter הַאֲמִינוּ et תֵּאָמֵנוּ. Eventus omnia comprobavit.

bavit. Syri quidem et Ephraimitae, suis posthac inclusi limitibus, Judaeae non magnopere nocuerunt; quin utriusque populi respublica brevi est excisa; sed Assyrii, in quos Judaei spem suam posuerant, ipsos quoque illos et Ahasum regem afflixerunt, spoliarunt, vexarunt, ut docet historia 2 Paral. XXVIII, 20. 21. Digna quoque, quae memoretur, est A. Pfeifferi hujus commatis interpretatio in *Dubiis Vexatis* Cent. IV. p. 675. Vertit verba nostra: *annon creditis, nisi confirmemini?* Quam interpretationem vindicat 1) *e natura vocum.* „אִם accipi quandoque *interrogative*, notum est, ut Jud. IX, 2.; nec minus illud, נֶאֱמַן significare *confirmari in veritate.* 2) Sensus hinc exsistit planus et facilis: *annon credetis,* scil. hactenus dictis, *nisi confirmemini,* scil. aliquo signo? 3) Bene congruunt ea quae antecedunt et sequuntur; videbat vates Ahasum perstare in sua trepidatione, de qua Vs. 2., a qua ipsum dehortatur Vs. 4., et causae trepidationis, descriptae Vs. 5. 6., opponit divinam promissionem Vs. 7. 8. 9., ubi subjicit, an adhuc nondum creditis, nec timorem exuere potestis, nisi et aliquo signo confirmemini? Itaque Versibus sequentibus datur optio signi, et exhibetur Vs. 14.“ Sed נֶאֱמַן eo, quem Pfeifferus ei tribuit, significatu alias non reperitur, et locus parallelus, quem attulimus, 2 Paral. XX, 20., omnino eam, quam ipsi adscivimus, interpretationem commendat. Steudel verba אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ sic interpretatur: *est sane quod confidatis, quamvis non optime muniti sitis.* אִם לֹא, inquit, „h. l. *profecto,* ut saepius, v. c. Jos. XIV, 9. significat. Ellipticam hanc dicendi formulam esse constat, et variae subaudiri possunt protaseos hypotheticae apodoses; cf. 2 Sam. III, 35. 1 Sam. XXIV, 7. תַאֲמִינוּ concessive sumendum: *est tamen profecto, quod confidatis,* s. *confidere licet.* Sequens כִּי ut כִּי initio Versus 8. vertendum puto *quamvis* et תֵאָמֵנוּ *muniti sitis.* Deo confidere licet, quamvis parum vobis confidendum vobis videatur, quum ipsi vobis parum praebere posse securitatis probe noritis.“ Verum אִם לֹא etsi in jurejurando *profecto* reddi possit, ut indicato

Josuae

Josuae loco, heic tamen ita recte verti, vehementer dubito. Quidquid sumas, neutiquam necesse quidquam in textu mutare, ut J. D. Michaelis fecit, qui pro תֵאָמֵנוּ legi mallet תַאֲמִינוּ, ut hoc incisum ad verbum esset vertendum: *si non credatis!* (minitabundus haec dicens) *nam non creditis!* i. e. praevideo, vos non credituros esse.

10. וַיּוֹסֶף יְהוָה דַּבֵּר אֶל־אָחָז *Addiditque Jova loqui ad Ahasum*, per ministrum suum, prophetam, perinde ac 2 Chron. XXXIII, 10. dicitur: *Dominus loquebatur ad Manassem et populum suum*, nimirum per prophetas.

11. Superiorem prophetae orationem Ahasus frigidius videtur excepisse, et reverentia vatis *magnae auctoritatis* non quidem obloquutus esse prophetae *in os*, *sed tamen* silentio suo et *externa-gestus significatione non* obscurum fecisse indicium, se parum tribuere illis promissis. Videbatur enim vates, quod ad praesentem rerum statum, non loqui probabilia, et rex ipse cum proceribus jam coquebat pectore consilia de sollicitando auxilio regis Assyrii. Quod quum observaret Jesajas, regem Dei nomine jubet aliquod petere signum, quo certior fieret tum de auctoritate vatis, tum de indubio promissi implemento. שְׁאַל־לְךָ אוֹת מֵעִם יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Pete tibi signum a Jova, Deo tuo.* אוֹת, quod proprie *signum* quodcunque denotare constat, saepe indicat signum prognosticum, quod fidem facit, certe eventurum esse aliquid, quod a *propheta* futurum praenunciatur, sive sit illud signum factum aliquod, quod secundum naturae ordinem accidit, quale est, quod 1 Sam. II, 27—36. X, 2. seqq., 2 Sam. X, 2. seqq. commemoratur, sive sit aliquid insolitum, mirandum, praeter consuetum naturae ordinem, ex quo manifeste cognosci possit, adesse numen, et ratum habere vatis effatum, quale est, de quo infra XXXVIII, 7. 22. Jud. VI, 17., cf. Deut. XIII, 2. 3. Atque hoc quidem loco posterioris generis signum intelligi, dubium non potest esse cogitanti, quonam consilio propheta regem jusserit a Jova signum petere. „Dubius," inquit Steudel, „ac haesitans

stetisse

ſtetiſſe Achaſus videtur, quum vates liberationem ab hoſtibus non ita procul imminentem annunciaret. Propheta autem in memoriam ei revocat, nihil eſſe, quod Deus perficere non poſſit. Quodcunque inſolens et mirum homo a Deo ſperaverit, haud conſilii inopem eſſe Deum, quum tota natura Dei ſubſit imperio. Sive in coelis, ſive in terris inſolens opus fuerit phaenomenon, quo ipſe poſſet juvari, id impedimento eſſe non debere, quo minus Deum adeat in rebus ſuis ambiguis; hunc ipſi non deſuturum. Haud, quo futuri quid portenderetur, omen eſt, quod petere propheta jubetur, ſed mirabile quid factu, quo ipſo Jovae auxilium ſeſe exhiberet, quum Jovâ profecto confidere liceat, penes quem ſit factis etiam quam maxime inſolitis demonſtrare facultatem ſuam juvandi. Hoc tantum prophetae ſenſu aſſumto Achaſi reſponſum ut improbum non vituperari non poterat. Omen quoddam petere ſi jubebatur, reſponſum, quod dabat, fiduciae ſignum eſſe poterat. Sed Jovae mirabile auxilium ſi implorare jubebatur, impietatem ſane recuſatio prodebat.“ Optionem dat regi petendi ſignum qualecunque et undecunque vellet: הַעֲמֵק שְׁאָלָה אוֹ הַגְבֵּהַּ לְמָעְלָה *demitte* te *in profundum petendo*, ſive, *ad infernum usque, aut effer te in ſublime ſurſum.* שְׁאָלָה *Imperativus* vel *Infinitivus* verbi שְׁאַל cum ה paragogico, Patach, ob accentum in Camez producto, ut in שְׁמָעָה, *audire* (Dan. IX, 19.), סְלָחָה, *condonare* (ibid.). Ita Saadias: أَمَّا عَمِّقْ مَسْأَلَتَكَ, *ſive demittas petitionem tuam.* Et Jarchi הַעֲמֵק שְׁאָלָה *ἀσύνδετον* eſſe obſervat pro הַעֲמֵק וּשְׁאַל, *profundum fac et pete.* Alii vero שְׁאָלָה idem valere exiſtimant quod שְׁאוֹלָה, *infernum usque, ad inferos*, quod melius reſpondeat τῷ לְמָעְלָה. Ita Aquila, Symmachus et Theodotion: *βάθυνον εἰς ᾅδην.* Sed quodnam ſignum ex orco peti potuerit? Recte Chaldaeus: שְׁאַל דִּי יִתְעֲבֵד לָךְ נֵס עַל אַרְעָא אוֹ תִתְחֲזֵי לָךְ אָת בִּשְׁמַיָּא *pete ut fiat tibi miraculum ſuper terram, aut appareat tibi ſignum in coelis.* Sic Phariſaei Matth. XVI, 1. *τὰ σημεῖα ἐκ τοῦ οὐρα-*

οὐρανοῦ opponunt miraculis, quae Dominus edebat in terris. Hieronymus: *Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra.* Ad quae in Commentario haec notat: „Qui prius per prophetam loquutus fuerat Achaz: *Vide, ut ſileas, noli timere,* et cetera (Vs. 4.), illo non credente, et ideo non intelligente, ipſe loquitur ad Achaz, ut ſaltem auctoritate Domini territus ſuſcipiat quae dicuntur. Quia tibi, inquit, videtur eſſe difficile, quod regna potentiſſima brevi tempore finienda ſint, et tu cum populo tuo de magno periculo libereris; *pete tibi ſignum,* nequaquam ab idolis, quorum errore retineris, ſed a Domino Deo tuo, qui tibi auxilium pollicetur; et ipſum ſignum optionis tuae eſt, ſive de profundo, ſive de excelſo. Quod quum ſoli LXX *dixerint* [εἰς βάθος ἢ εἰς ὕψος], ceteri juxta hebraicum ſignificantius transtulerunt: *de profundo inferni.* Ergo ſicut *profundum* infernum ſignificat, ita *excelſum* ſupra coelum intelligere debemus, ut cum de inferno ſive de excelſo ſignum acceperis, credas futura, quae dixi. Vis, inquit, ut ſcindatur terra, et grandi hiatu inferi pateant, qui in corde terrae eſſe dicuntur, an ut aperiantur coeli?"

12. Oblatum ſignum Ahaſus recuſat his verbis: לֹא־אֶשְׁאַל וְלֹא־אֲנַסֶּה אֶת־יְהוָה *non petam, nec tentabo Jovam,* pietatis et religionis ſimulatione; reſpicit enim legem Deut. VI, 16. לֹא תְנַסּוּ אֶת־יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם, *non tentabitis Jovam Deum veſtrum.* Cum tacita ironia autem haec enunciaſſe cenſendus eſt, quaſi diceret: non perdat operam tentando illum, ſcio enim, quod praeſtare non poſſit, quae promittit. Munera etiam vel miſerat jam, vel mittere decreverat ad regem Aſſyrium, quibus ejus amicitiam ſibi conciliaret, et auxiliares copias impetraret; vid. 2 Reg. XVI, 7. 8. Hieronymus: „Non humilitatis, ſed ſuperbiae eſt, quod non vult ſignum a Deo poſtulare. Quanquam enim ſcriptum ſit in Deuteronomio [VI, 16.]: *Non tentabis Dominum Deum tuum,* tamen juſſus ut peteret, obedientia debuit explere prae-

praeceptum, praesertim quum et Gedeon et Manoe signum petierint et acceperint [Jud. VI. XIII.]. Quanquam juxta hebraei sermonis ambiguitatem, in quo scriptum est, *ulo enasse Adonai*, et omnes similiter transtulerunt: *non tentabo Dominum*, possit legi: *non exaltabo Dominum*; sciebat enim rex impius, quod si signum peteret, accepturus esset, et glorificaretur Dominus. Ergo quasi idolorum cultor, qui in omnibus angulis platearum, et in montibus locisque nemorosis aras constituerat, et pro Levitis habuit phanaticos, non vult signum petere, quod praeceptum est." Quod Hieronymus verba hebraea ait verti posse: *non exaltabo Jovam*, eo nititur, quod verba נָסָה et נָשָׂא confudit, enunciatione non multum, sed scriptione, differentia. C. L. Hoheisel in *Observatt. philologg. exegett.* p. 72. verba nostra ita vertenda arbitratur: *non periclitabor Jovam* (*ich mag's mit Gott nicht versuchen*), non periculum Jovae faciam, committendo ei exitum hujus belli et interea vaecorditer quiescendo, sed ipse mihi de auxilio prospiciam. Eodem sensu verbum נָסָה sumi vult Dan. I, 12.: נַס־נָא אֶת־עֲבָדֶיךָ, quae verba Lutherus vertit: *Versuch's doch mit deinen Knechten*. Sed hoc a nostro loco alienum est. Koppius haec ab Ahaso in ludibrium vatis et Jovae dicta putat, quasi sensus esset hic: nolo prodigium poscere, ne, si tale, quale vellem, facere non possis, te et Deum tuum derisui exponam. In contrariam prorsus partem Ahasi orationem trahit Vogelius: negavit, inquit, Ahasus, se signum esse petiturum, cum eloquiis divinis sine addito signo, quo de certitudine eorum confirmaretur, fidem habere velit. Verum si hic Ahasi verbis sensus inesset, cur vates Ahaso tam indignabundus responderit (Vs. seq.), non perspici potest.

13. וַיֹּאמֶר *Dicit igitur* Jesajas, uti manifestum est ex oratione, quae sequitur. Hieronymus: „Quis est iste, qui dixit: *Audite ergo domus David?* Nequaquam Deus, qui supra (Vs. 11.) ad Achaz dixerat: *pete tibi signum a Domino Deo tuo*, sed propheta, ut ex sequentibus comprobatur:

batur: *quia moleſti eſtis et Deo meo.*" בֵּית דָּוִד *Vos, Domus Davidis!* qua appellatione tum regem ipſum, tum principes regios proceresque, qui regem comitabantur, intelligit, ut ſupra Vs. 2. Qui quum probare ſe reſponſum regis oſtendiſſent, cunctos illos vates caſtigat. Quod vero aulicos illos *Davidis domum*, et non potius *Ahaſi domum* appellaverit, Kimchi a vate ideo factum exiſtimat, ut Ahaſo pudorem incutiat, et mentione Davidis, pii regis, Ahaſi impietatem redargueret. „Opprobrii cauſa," inquit, „non appellavit eum nomine ejus, ut 1 Sam. XXII, 12. *Audi, quaeſo, fili Ahitob.* Mentionem *Davidis*, nec patris ejus, fecit, quod propter Davidem regnum impetravit. Simili de cauſa Moſes Num. XVI, 8. 9. Corachum alloquitur: שִׁמְעוּ־נָא בְּנֵי לֵוִי הַמְעַט מִכֶּם *audite, quaeſo, filii Levi, parumne vobis videtur,* et quae ſequuntur." Sane non eſt improbabile, vatem imitatum eſſe Moſen, et quemadmodum hic Coracho eo quod ei in mentem revocaret, Levi ortum eſſe, ruborem incuteret; ita et Jeſajam Davidis mentione Ahaſum redarguere voluiſſe. Davides enim, e cujus poſteris erat Ahaſus, pius Deoque fidens rex fuit, qui prophetarum effata minime ſprevit. Vid. 1 Sam. XVI, 1. ſeqq. 2 Sam. XII, 1. Sed degener Ahaſus, Davidis virtutes non imitatus, divinis promiſſis per prophetas factis fidem non habuit. הַמְעַט מִכֶּם ſunt qui ſic capiant: *parumne a vobis* fit, i. e. reputatur? Sed recte Steudel interpretatur: *minus quam ut vobis ſufficiat,* nimis parum pro veſtro judicio. Quo eodem ſenſu haec formula et Num. XVI, 9. Job. XV, 11. legitur, et Deut. I, 17. יִקְשֶׁה מִכֶּם *difficile erit prae vobis,* difficilius quam ut vos pares negotio judicetis. Elliptica eſt phraſis, מִכֶּם pro מִלָּכֶם, aut pro מִהְיוֹת לָכֶם *minus quam ut vobis conveniat.* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 290. not. 4. LXX: Μὴ μικρὸν ὑμῖν; Vulgatus: *nunquid parum vobis eſt?* הַלְאוֹת אֲנָשִׁים *Defatigare homines,* ſive, ut recte Vulgatus, *moleſtos eſſe hominibus,* quibus prophetae intelligendi. Unde Chaldaeus: הַזְעֵר לְכוֹן דְּאַתּוּן מְהַלְּאִין יָת נְבִיַּיָא *num parum vobis, quod defatigatis prophetas?* Moleſti

autem

autem erant et injurii prophetis, Ahaſus, et, quibuscum de ſumma rerum deliberabat, regni proceres, dum propheticis oraculis ineſſe fidem aut negabant, aut dubitabant. Ab interpretibus tantum omnibus diſcedit Steudel, cui אֲנָשִׁים hoſtes, Syri et Iſraelitae, eſſe videntur, et Infinitivus הַלְאוֹת aut paſſive ſumendus, *ab hominibus inimicorum loco tractari,* quod ipſe praeferre mallet, aut credendum, nullo modo ab Achaſo ad bellum gerendum provocatos fuiſſe Syros et Iſraelitas. Quam explicationem verbi הַלְאוֹת uſus haudquaquam admittit. כִּי תַלְאוּ גַּם אֶת־אֱלֹהָי *Quod defatigatis,* taedio, moleſtia afficitis, *quoque Deum meum,* dum ſignum oblatum cum contemtu repudiatis, quippe cui nihil ineſſe futurum putatis firmitatis ac fidei. Grotius: „Injurioſi eſtis in eum, cui putatis non ſatis virium ad vos liberandos.“ Kimchi תַלְאוּ *infirmum habetis, imbecillem judicatis,* explicat, ſenſumque eſſe ait hunc: „Vos cogitatis vobiscum, Deum eſſe defatigatum et infirmum ad verba ſua ſtabilienda.“ Sed patet, hoc verbum eodem ſenſu eſſe capiendum, quo antea הַלְאוֹת אֲנָשִׁים, quod non ſignificare poteſt, *infirmos judicare homines;* id enim vates non vitio et culpae dediſſet Ahaſo ejusque aulicis. Senſus ergo eſt, quem indicavimus: putaſtis, parum eſſe, quod hominibus, prophetis, ſitis moleſti? Atqui ſcitote, vos Deo eſſe moleſtos: Ac ſi dicat vates, non me deſpicitis offerentem ſignum libertatis, ſed Deum, cujus nomine vobis iſta promitto. Hieronymus: „Quia non ſolum prophetas perſequimini, et eorum dicta contemnitis; ſed et praeſentis et jubentis Dei ſententiae contradicitis, ita ut ei exhibeatis laborem, idcirco Dominus faciet, quae ſequuntur. Pro *labore* et *moleſtia,* quod Aquila et Symmachus tranſtulerunt, LXX et Theodotio ἀγῶνα interpretati ſunt, id eſt, *luctam* atque *certamen,* quia contentioſi non ſubjiciant collum Domini ſervituti, ſed illo vulnera eorum volente curare, reſpuant ſanitatem. Et hoc notandum, quod Achaz, rege impiiſſimo, nolente ſignum petere, ſermo propheticus ad domum David, hoc eſt, ad tribum regiam convertatur,

de

de qua supra (Vs. 1.) legimus: *Et nunciaverunt haec domui David.*"

14. לָכֵן יִתֵּן אֲדֹנָי הוּא לָכֶם אוֹת *Propterea*, quia vos signum oblatum repudiatis, et interim populi Hierosolymitani animi sint confirmandi, *dabit Dominus ipse vobis signum*, prodigium, ostentum (vid. not. ad Vs. 11.), ad confirmandam promissionem liberationis a me allatam. הִנֵּה *Ecce!* qua attentionem excitat auditorum, arguitque rem proponendam esse prorsus singularem, et animadversione dignam. הָעַלְמָה הָרָה וְיוֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּ אֵל *Virgo illa concipit, paritque filium, et vocabit nomen ejus Immanuel*, virgo, quae licet jam gravida, sit tamen maneatque virgo, filium pariet, cujus ipsum nomen magni aliquid atque divini portendit. הָעַלְמָה *Virgo illa*, nam ה Articuli virginem certam, *ὡρισμένην*, audientibus notam, indicat; uti הָעַלְמָה dicitur de Rebecca Genes. XXIV, 43., et de Mirjamo Exod. II, 8. Nomen עַלְמָה *virginem*, quae vere talis dicitur, notare, ostendimus in Adnotationis ad hunc locum Additamento, quo aliorum de hoc vaticinio sententias expendimus, nostramque interpretationem vindicamus. הָרָה non est, ut quidam volunt, tertia Praeteriti, quam per generis enallagen pro feminino הָרְתָה positam volunt, sed vel Participium verbi inusitati הוּר, i. q. הָרָה, *concipere*, vel, uti vult Gesenius, forma feminina Adjectivi הָרֶה (falso V. D. *dicit*, me in priore hujus libri editione הָרָה pro tertia Praeteriti habuisse). *Sic Chaldaeus*: עוּלֵמְתָּא מְעַדְּיָא, *virgo gravida.* Aquila: *ἐν γαστρὶ συλλαμβάνει.* Convenit cum sequenti וְיוֹלֶדֶת, *et parit.* Utrumque LXX, quum viderent agi de futuro tempore, recte verterunt: *ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν.* Eadem quae hic formula de muliere gravida et post aliquod tempus partum editura legitur Genes. XVI, 11. Jud. XIII, 5. וְקָרָאת potest verti vel: *et vocabis*, oratione habita ad feminam (ne quis hic de Ahaso cogitet), vel: *et vocabit* femina, puta, quae concipiet et pariet. Ita וְקָרָאת contracte erit positum pro

 וְקָרְאָה,

וְקָרָאת, ut a קָרָה legitur קָרָאת, *obveniat*, Deut. XXXI, 29., עָשָׂת, *fecit*, Levit. XXV, 21., נִפְלָאת, *admirabilis eſt*, Pſ. CXVIII, 23. Quod Aben-Eſra et Kimchi ut ejusdem formae exemplum adferunt, וְחָטָאת עַמֶּךָ, *et peccavit populus tuus*, Exod. V, 16. (pro חָטְאָה), dubium eſt; nam quum עַם maſculini ſit generis, ſunt, qui verba illa vertant: *peccatum*, culpa, eſt *populi tui*, חַטָּאת accepto pro nomine in ſtatu regiminis poſito; cf. not. ad eum loc. Hieronymus: „Quodque ſequitur: *Et vocabit nomen ejus Immanuel*, et LXX, et tres reliqui [Aquila, Symmachus, Theodotio] ſimiliter transtulerunt, pro quo in Matthaeo [I, 23.] ſcriptum eſt *vocabunt* [καλέσουσι], quod in Hebraeo non habetur..... Verbum *carat*, quod omnes interpretati ſunt *vocabis*, poteſt intelligi et *vocabit*, quod ipſa ſcilicet virgo, quae concipiet et pariet, hoc Chriſtum appellatura ſit nomine. In multis teſtimoniis, quae Evangeliſtae vel Apoſtoli de libris veteribus aſſumſerunt, curioſius attendendum eſt, non eos verborum ordinem ſequutos eſſe, ſed ſenſum. Unde et in praeſenti loco pro *concipiet in utero* Matthaeus poſuit *in utero habebit*, et pro *vocabis*, *vocabunt*.“ Nomina ceterum filiis imponere ſolebant matres, veluti Eva, Geneſ. IV, 1. 25., filiae Lothi Geneſ. XIX, 37. ſeq., Lea Geneſ. XXIX, 32. XXX, 18. ſeqq., Rahel, l. c. Vs. 24. Nomen autem, quod virgo paritura filio imponet, עִמָּנוּ אֵל, vel poteſt accipi ut nomen pueri *proprium*, vel ut *ſymbolicum*. Poſterius longe eſt probabilius, quia vates noſter in locis ſimilibus per *impoſitionem nominum* indicat illuſtria quaedam *attributa*, quae de perſona aut re aliqua cum laude praedicari poſſent, cujusmodi nomina ſymbolica recte *honoraria* appellaveris. Sic infra IX, 5. de eodem, de quo hic agitur illuſtri puero, dicitur, *nomen ejus appellandum eſſe Mirabilis, Conſiliarius, Heros*. Et LXI, 6. populum Judaicum appellandum ait *ſacerdotes Jovae*. Porro LXII, 4. Hieroſolymam non amplius vocandam eſſe *Derelictam*, ſed חֶפְצִי־בָהּ, *voluptas mea in ea*, praedicit. Ac Jeremias XXIII, 6. XXXIII, 16. Meſſiae nomen ait fore יְהוָה צִדְקֵנוּ, *Jova*

Jova justitia nostra. Vid. et Ezech. XLVIII, 35. Recte igitur Grotius ad Matth. I, 22.: „Qui prophetas non supine legit, nescire non potest, *vocatum iri aliquo nomine* dici ab illis eum etiam, qui non ejus vocis sono sit appellandus, sed cujus rebus celebrandis vox ita conveniat. Loca passim occurrunt. Jesaj. I, 26., *Postea dabitur nomen tibi urbs justitiae, civitas fidelis*, i. e. postea eris urbs justa et civitas fidelis. Cf. LVI, 7." Ceterum quum *Deus nobiscum esse* Hebraeis dicatur, quoties benignus nos respicit et adjuvat, ut Ps. XLVI, 8. 12. (יְהוָה צְבָאוֹת עִמָּנוּ), LXXXIX, 25., infra apud Nostrum XLIII, 2. Jerem. I, 8. Jos. I, 5.; puero nomine עִמָּנוּ אֵל appellando portendi patet populi Judaici a malis et adversis liberationem ejusque defensionem adversus qualescunque hostes. Eam vero praestandam esse ab ipso illo e virgine nasciture masculo, qui vere sit Deus, humana natura adsumta inter homines versaturo, adeoque re ipsa עִמָּנוּ אֵל, θεάνθρωπος, manifestum est inde, quod in eodem hoc vaticinio, infra IX, 5. puer ille nasciturus diserte dicitur appellandus inter alia esse אֵל גִּבּוֹר, *Deus fortis*. Recte Lactantius *Div. Instit.* Lib. IV. Cap. 12.: *Propheta declaravit hoc nomine Immanuelis, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Immanuel enim significat Nobiscum Deus, scilicet quia illo per virginem nato confiteri homines oportebat, Deum secum esse in terra et carne mortali.* Hieronymus: „Ergo iste puer, qui nascetur ex virgine, o domus David, nunc appellatur a te *Emmanuel*, id est, Nobiscum Deus, quia rebus ipsis probabis a duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere praesentem." Percrebuerat igitur jam vatis nostri aetate et inter Judaeos opinio illa pluribus antiquitatis populis recepta de divino aliquo heroe et rege, e virgine illibata nasciturо, qui homines scelere sit soluturus, molestiis levaturus, ex miseriis erepturus, uno verbo, qui *aureae aetatis* felicitatem in terram sit reducturus. De qua opinione a variis populis varie formata vide Annotationis ad h. l. Additamentum. Hebraei divinum illum regem

in suo populo e virgine Davidicae prosapiae oriundum, suaeque potissimum gentis vindicem et liberatorem exstiturum sperabant. Appariturum autem exspectabant, qui inter illos veteri illi atque illustri oraculo de regni Davidici stabilitate 2 Sam. VII, 16. fidem habuere, quotiescunque magnis publicis calamitatibus ita oppressi essent, ut *ultimae* sive *ferreae* aetatis finem propinquum esse crederent. Cf. *Scholl. in Ezechielem* Vol. II. p. 464. edit. sec. Jam quum a conjuratis Syriae atque Israelis regibus genti Davidicae regiae totique regno Judaico interitus tum imminere videretur; anxios demissosque animos vates erigit spe mox nasci turi divini illius magnoque desiderio exspectati principis, quem virgo modo prodigioso sit paritura. Famam inter illius aetatis Judaeos fuisse de illustri quodam sui populi liberatore ac servatore singulari modo nasciture, patet quoque ex Michae, vatis Jesajae aequalis, Cap. V, 2., ubi postquam Vs. 1. manifeste actum esset de ortu Messiae ex Bethlehemo, additur: *Propterea tradet eos,* עַד־עֵת יוֹלֵדָה יָלָדָה, *usque ad tempus, quo pariens,* s. illa, quam parituram sperant, *pepererit.* Oraculum ita nostro simile, ut unum spectare ad alterum, eaque se mutuo explicare satis intelligantur. Judaeos Jesu Christi aetate hunc locum de Messia e virgine nascituro intellexisse, patet ex Matth. I, 22. 23. Quod spei, quae vatem tenuit, fore, ut illustris ille populi sui servator propediem appariturus sit, non respondit eventus, haud debet nos movere, ut de eo vatem cogitasse negemus.

15. חֶמְאָה וּדְבַשׁ יֹאכֵל *Lac spissum et mel comedet,* quod plures interpretes eo referunt, quod communis ille fuerit infantilis aetatis apud Veteres victus, ut pluribus ostendit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. C. LI. T. I. p. 718. edit. Lips., demonstravitque idem, *mel* salubritatis caussa *lacti,* et inprimis caprino, junctum commendari. Proinde Jupiter infans caprae lacte et melle nutritus fertur. Callimachus *Hymno in Jovem:*

σὺ

— — — *σὺ δ' ἐθήσαο πίονα μαζὸν*
Αἰγὸς Ἀμαλθείης, ἐπὶ δὲ γλυκὺ κηρίον ἔβρως.

Tu autem ſuxiſti pingue uber caprae Amaltheae, et inſuper dulcem ſavum comediſti. Sed quum infra Vs. 22. eo, quod lac ſpiſſum et mel omnium terrae Judaicae incolarum victus ſit futurus, terrae illius deſolatio ſignificetur; recte J. D. Michaelis, J. E. Faber in Nott. ad *Obſervatt. ſuper Oriente* P. I. p. 284., Eichhorn, Gesenius, alii, et hoc loco indicari exiſtimant, fore, ut primis naſcituri pueri vitae annis, terra ob incolarum defectum inculta jaceat. לְדַעְתּוֹ מָאוֹס בָּרַע וּבָחוֹר בַּטּוֹב *Usque ad ſcire ſuum*, usque dum ſciat, *reprobare malum, et eligere bonum.* ל ſequente Infinitivo הַעֵת hic valet *donec, usque dum,* ut Levit. XXIV, 12. *Poſueruntque eum in cuſtodia* לִפְרֹשׁ לָהֶם *donec exponeret eis* Moſes. LXX: *πρινὴ γνῶναι αὐτὸν κ. τ. λ.* Chaldaeus: עַד לָא יְדַע עוּלֵימָא, *priusquam ſciat puer* etc. Phraſi vero *reprobare malum et eligere bonum,* ubi de infantibus dicitur, ſignificatur illud tempus tenellae aetatis, quo infans jam puerascens uti incipit ratione in diſcernendis bonis et malis, utilibus et noxiis. Patet ex Deut. I, 39. וְטַפְּכֶם, *et infantes veſtri tenelli, de quibus dixiſtis, et filii veſtri,* אֲשֶׁר לֹא־יָדְעוּ הַיּוֹם טוֹב וָרָע, *qui nondum norunt bonum et malum.* Cf. Jon. IV, 11. Verba מָאַס et בָּחַר cum ב ſolent conſtrui, ut Vs. 16., infra XIV, 1. XLIV, 1. 2. Hieronymus, qui vertit: *butyrum et mel comedet, ut ſciat reprobare malum, et eligere bonum,* videtur Particulam *ut* ſumſiſſe pro *quamvis*, quod eſt apud Latinos frequens, hoc ſenſu: quamvis Immanuel perfectam habeat in corpore infantili ſapientiam, excedatque infinitis ſpatiis aliorum infantium capacitatem; illorum tamen inſtar butyro paſcetur ac melle. Sic enim ille in Commentario ad h. l.: „Ne eum putes in phantasmate naſciturum, cibis utetur infantiae, butyrum comedet et lac. Et licet hoc dicatur, ut veritas humani corporis approbetur, tamen adhuc pannis involutus et butyro paſtus ac melle, habebit boni malique judicium, ut reprobans mala, eligat bona. Non quod hoc fecerit;

aut

aut reprobaverit, vel elegerit, sed quod scierit reprobare et eligere, ut per haec verba noscamus, infantium humani corporis divinae non praejudicasse sapientiae." Nugantur, qui hoc Versu vatem volunt transire ad aliud, quod vocant, subjectum, et postquam vaticinatus esset de Immanuele, mox demonstrare digito vel gestu aliquo filium suum Schear-Jaschubum, quem secum duxisse vates narratur supra Vs. 3., et hunc producere in signum liberationis Ahaso promissae, ut sensus sit: *butyrum et mel comedet* non Immanuel, sed filius hic meus, Schear-Jaschub, ad quem et referunt ea, quae Vs. 16. dicuntur. Eam sententiam peculiari scripto defendere et commendare studuit Jo. Dan. Gottl. Herr in *Dissertat.* (Praes. *Guil. Christ. Just. Chrysandro* defensa) *de eo quod justum est circa distinctionem Immanuelis et Schear-Jaschubi, vindicans verum sensum oraculi praegnantis Jesaj. VII,* 14. 15. 16., Helmstad. 1750. 4. Verum est perquam durum et violentum, ad aliam personam quae hic et Vs. 16. leguntur referre, quum nullum subjectum aliud, ab Immanuele distinctum, hic memoretur; id quod argumenti est, praedicata ad superius et proximum referenda esse; nec est ulla necessitas, tale quid fingendi, si nostram hoc vaticinium interpretandi rationem sequaris. Pluribus illam sententiam refutarunt Casp. Jac. Huth in Progr. quod inscribitur: *Immanuel butyro vesciturus ac melle, Jes. VII,* 15. Erlang. 1750. 4.; et Joach. Ehrenfr. Pfeiffer in Progr. *Immanuel non geminus, sed unicus,* Erlang. 1761. 4.

16. Particula כִּי hunc Versum cum Vs. 14. connectit, inter quem utrumque Vs. 15. per parenthesin est interjectus. Rationem reddit, cur nasciturо Immanueli id nominis sit imponendum. Brevi enim postquam natus fuerit, interitus hostium illorum, quorum minae tunc tantopere terrebant Judaeos, praesentis inter suos Dei indicium faciet. Verba sunt: כִּי בְּטֶרֶם יֵדַע הַנַּעַר מָאוֹס בָּרָע וּבָחוֹר בַּטּוֹב תֵּעָזֵב הָאֲדָמָה אֲשֶׁר־אַתָּה קָץ מִפְּנֵי שְׁנֵי מְלָכֶיהָ, *nam antequam puer ille,* qui

qui Vs. 14. nascituras praedicitur, *sciverit reprobare malum, et eligere bonum,* dum in primaevae infantiae annis versabitur (vid. ad Vs. 15.), *deseretur,* desolata erit, *terra illa,* utraque illa regio, Syria atque Samaria, cf. Vs. 8.) *propter cujus duos reges aegre tibi est,* qui regnum Judae delere meditabantur, Vs. 6. Pronomen relativum אֲשֶׁר interpretes passim construunt cum verbo קָץ, hoc sensu: *terra, quam tu detestaris, sive fastidis, deseretur a duobus suis regibus.* Cui interpretationi obstat primum, quod Judaei et rex eorum Ahasus, non tam fastidiebant terram, quam *reges,* illius terrae praesides, tum, quod verbum קוּץ eo sensu, quem interpretes illi esse volunt; construitur cum בּ, et debuisset Hebraice dici, בַּאֲשֶׁר אַתָּה קָץ, *in qua tu nauseas,* cujus caussa tu taedio afficeris; hoc vero loco קוּץ construitur cum מִפְּנֵי, ut Num. XXII, 3. וַיָּקָץ מוֹאָב מִפְּנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *et aegre erat Moabo propter Israelitas.* Terra itaque, quae deserenda dicitur, est *Ephraimitis* et *Syria:* duo reges terrae, propter quos aegre erat Ahaso et Judaeis, Rezin et Pecachus. Possis quoque cum Schultensio, loco supra ad Vs. 6. laudato, reddere: *derelinquetur terra, cujus a duobus regibus tu taedio afficeris,* i. e. obsidione premeris, ut קָץ eodem sensu sumatur, quo supra Vs. 6. תֵּעָזֵב, *deseretur,* i. e. incolis suis nudabitur, spoliabitur et opibus exhaurietur, ut supra VI, 12. וְרַבָּה הָעֲזוּבָה בְּקֶרֶב הָאָרֶץ; add. XXVII, 10. LXII, 12. Steudel מַלְכֶיהָ explicari posse existimat de ambobus regibus terra Judaica potitis, quam jam ut suam haberent (Vs. 6.). „Terra itaque," inquit, „quae brevi relinquetur, eadem terra Judaica est, mox ab Achasi hostibus liberanda." Nobis tamen haud verisimile est, reges illos hostiles a vate, Judaici regni cive, suae patriae reges vocari. LXX hunc Versum sic reddunt: *Διότι πρινὴ γνῶναι τὸ παιδίον ἀγαθὸν ἢ κακὸν, ἀπειθεῖ πονηρίᾳ, ἐκλέξασθαι τὸ ἀγαθόν· καὶ καταλειφθήσεται ἡ γῆ, ἣν σὺ φοβῇ, ἀπὸ προσώπου τῶν δύο βασιλέων.* Verba *ἀπειθεῖ πονηρίᾳ, ἐκλέξασθαι τὸ ἀγαθὸν* alius haud dubie interpretis sunt, ad marginem alicujus codicis notata, quae

deinde

deinceps in textum irrepserunt. Habet tamen illud additamentum jam Cyrillus, expressitque Arabicus in Polyglottis interpres.

17. A praesentium hostium metu mox liberabuntur quidem Ahasus ejusque populus, nato Immanuele (Vs. 16.); sed multo graviores deinceps calamitates eis ingruent a duobus tunc potentissimis regnis, Assyrio et Aegypto. A quibus etsi dure affligetur Judaea (Vs. 19—25.), et ab Assyriaco potissimum exercitu inundabitur tota (VIII, 8.); irrita tamen erunt et horum consilia de exscindendo regno Judaico, quia suae terrae Immanuel praestabit id, quod ejus nomen sonat, auxilium divinum (VIII, 10.). Non connectitur autem hic Versus cum superiore oratione per particulam adversativam, ut videbatur fieri debere, sed vates simpliciter ait: יָבִיא, *adducet;* eadem ellipsi, qua supra I, 3. *Bos cognoscit possessorem suum, et asinus domini sui praesepe;* (sed) *Israel non intelligit.* „Quamvis," inquit Steudel, „יָבִיא nude, sine praemissa Particula ponatur, vix tamen aliter explicari poterit hic Versus, quam ita: licet ab una parte periculo Judaei sint eripiendi, ab alia tamen parte aliud minari periculum." LXX particulam adversativam suppleverunt praemisso huic Versui ἀλλὰ, quod illi, Kochero observante, stilo suae versionis pedestri convenienter sineque noxa facere poterant, sed male Lowthus sequutus est, „ipse poeta Lowthus, quem ut ejuscemodi figuris assuetum, ita nec inimicum esse consentaneum erat." הֵבִיא *Adducere,* constructum cum עַל, est *facere, ut cui hoc vel illud obveniat,* quo veluti *obruatur,* sive bonum sive malum. Exemplum est Jos. XXIII, 15. *Quemadmodum* בָּא עֲלֵיכֶם *venit super vos omne verbum bonum, quod loquutus est Jova ad vos,* כֵּן יָבִיא יְהוָה עֲלֵיכֶם, *ita adducet super vos omne verbum malum.* Minus recte igitur plures interpretes nostra verba sic reddunt: *adducet Jova contra te, et contra populum tuum.* Non est magna differentia, nec tamen accurate satis ita exprimitur vis phraseos, quae petita est ab

aquis,

aquis, eos, quibus superveniunt, obruentibus, ut patet ex Jos. XXIV, 7., ubi Josua in oratione sua meminit Aegyptiorum, obrutorum aquis sinus Arabici: וַיָּבֵא עָלָיו אֶת־הַיָּם, *et fecit* (Deus) *ut iis* (Aegyptiis) *vi praevalente occurreret mare, et tegeret eos:* et ipsa haec metaphora de eodem hoc subjecto ita exponitur Cap. VIII, 7. et Jerem. XLVII, 2. Recte igitur LXX: Ἐπάξει ὁ Θεὸς ἐπί σε. Sed in ceteris liquida versio non est: ἀφ' ἧς ἡμέρας ἀφεῖλεν Ἐφραῒμ ἀπὸ Ἰούδα τὸν βασιλέα τῶν Ἀσσυρίων. Quae Hieronymus sic vertit: *ex qua die abstulit Ephraim a Juda regem Assyriorum*, et in Commentario addit: „Quod quem sensum habeat, scire non possumus, nisi forte hoc dicendum est, quod peccatorum suorum magnitudine Ephraim, id est, Samaria, primum ad se Assyriorum fecerit impetum declinare.“ Sed rectius vidit Theodoretus, ponendum esse signum distinctionis post vocem Ἰούδα, et sensum ita explicavit: Κατὰ τοὺς Ἑβδομήκοντα, τοιαύτας, φησὶν, ἡμέρας ἐπάξει ἐπὶ σὲ ὁ Θεὸς, οἵας ἡμέρας οὐκ εἶδες, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἀφεῖλεν ἑαυτὸν ἀπὸ σοῦ ὁ Ἐφραΐμ. τίνες δὲ αὗται; τῶν Ἀσσυρίων ὁ βασιλεὺς ἐν ταύταις ἐπάγων σοὶ κακά· οὐδὲ γὰρ τὸν βασιλέα τῶν Ἀσσυρίων Ἐφραῒμ ἀφεῖλεν· ἀλλ' ὁ Κύριος ἐπάξει τὸν βασιλέα τῶν Ἀσσυρίων, καὶ τοιαῦτα διὰ τούτου κακὰ, οἷα οὐκ εἶδεν ὁ Ἰούδας μετὰ τὸν τοῦ Ἐφραῒμ χωρισμόν. Et eundem sensum Theodoretus ostendit expressum esse ab Aquila et Symmacho, qui verterunt: ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς ἀπέστη Ἐφραῒμ ἀπὸ Ἰούδα. Masorethae, ne quis hic erraret, *supposuerunt accentum distinctivum* majorem Athnach voci יְהוּדָה, ut sequentia, אֵת מֶלֶךְ אַשּׁוּר, cum iis ne confunderentur. Ea vero per modum appositionis adjiciuntur, sensusque est planus: talia tibi inducam tempora, qualia majores tui inde ab eo tempore, quo Judaicum regnum ab Ephraimitico divulsum est, non sunt experti, regem intellige Assyrium, vos graviter afflicturum. Grotius *per regem Assyriae* vertit, אֵת sumens pro מֵאֵת, ut Genes. IV, 1. Hieronymus: *cum rege Assyriorum*, et in Commentario: „Locus iste per hyperbaton legendus est,

et

et nos sequuti Hebraicam veritatem ita eum interpretati sumus: o domus David, ausculta, quae dico: ut derelinquatur terra Syriae et Samariae a facie regum duorum, quos tu vehementissime reformidas, adducet Dominus dies super te, et super domum patris tui David, quos numquam habuisti ex eo tempore, quo decem tribus a duabus tribubus separatae sunt, et regnum in Samaria habere coeperunt. Adducet autem istos dies, id est, tempora, cum rege Assyriorum, ut illis superatis atque subversis tu Immanuelis praesentia libereris. Aliter: Interim nunc duo reges, Rasin et Phaceae, qui te obsident, et vastare festinant, brevi tempore subvertentur: tuae autem vastationis tempus illud adveniet, quando, quod numquam speraveras, imo numquam metueras, Assyrius venerit. Per quae docet, domui David non Syriam et Samariam, sed Assyrios esse metuendos. Praesenti ergo formidine liberat, et de futuro tempore comminatur." Neque tamen quae vates ab Assyriis Ahaso ejusque genti obventura denunciat mala, unquam ei accidisse legimus. Si quis enim clades, quas Judaei ab Assyriae regibus sub Ahaso, Hiskia et Manasse quoque acceperunt, conferat cum malis, quae perpessi sunt post discessionem decem tribuum, ab Aegyptiis eorumque rege, Sesako, sub Rehabeamo (2 Chron. XII, 2—12.), a Philisthaeis et Arabibus sub Joramo, Josaphati filio (2 Chron. XXI, 16. 17.), a Syris sub Joaso (2 Chron. XXIV, 23.); deprehendet singulas graviores esse, quam quae illatae eis sunt vel a Tiglath-Pulassare, sub Ahaso, vel a Sanheribo, sub Hiskia, vel ab Assarhaddone, sub Manasse. Tiglath-Pulassar enim simpliciter *afflixisse* Ahasum dicitur 2 Chron. XXVIII, 20., vel *arctasse*, et expressisse ei grave tributum; Sanheribus occupatis Judaeae urbibus, et vastatis agris, magnum regi et Hierosolymitanis incussit terrorem (2 Chron. XXXII, 1. 2. Jesaj. XXXVI, 1. 2. seqq.), sed repressus a potentiore Dei manu a consiliis et coeptis coactus est desistere, et in Assyriam reverti; Assarhaddon Manassen quidem cepit (sed extra Hierosolymam) et abduxit Babylonem, mox rursus libe-

liberandum (2 Chron. XXXIII, 11.); ſed eae calamitates non ſunt graviores illis, quas modo recenſuimus, ut hiſtoriam legenti patebit. Imo expeditio terribilis, quam Zerah, Cuſchaeorum ſeu Arabum Imperator, ſub Aſa (2 Chron. XIV, 8. 9.), et Ammonitae, Philiſthaei, gentesque conterminae ſub Joſaphato (2 Chron. XX, 1.), cum numeroſiſſimis copiis adverſus Judaeam ſuſceperunt, non minorem terrorem ſparſerunt, quam Sanheribus, ne jam de magnis illis cladibus, quibus ſubinde Judaei affecti ſunt ab Ephraimitis, ſive Iſraelitis, gentilibus ſuis, quicquam memoremus. Quae quum recte perſpexiſſet Vitringa, ei vero, ut ceteris omnibus ſuae aetatis interpretibus, haec alte infixa eſſet perſuaſio, ſingulis vatum Hebraeorum effatis certos reſpondere eventus, ne noſtrum oraculum ſuo careat exitu, eo confugit ut Nebucadnezarem, *Chaldaeorum* regem, qui Judaicum regnum evertit, terramque vaſtavit incolisque exhauſit, *Aſſyriae* regibus accenſeret. Verum ſi demus etiam, latius nonnumquam Aſſyriae nomen tam ab Hebraeis, quam ab exteris ſcriptoribus uſurpari, pro Babylonia, ipſaque adeo Media et Perſide (ut Eſra VI, 22.), nihil tamen inde lucrabitur Vitringa. Neque enim poſt aliquot ſecula quae hic minatur vates, dicit futura eſſe, ſed ipſum illum, ad quem tunc loquebatur, Ahaſum illa experturum eſſe, diſerte ait, dum his verbis utitur: יָבִיא יְהוָה עָלֶיךָ, *adducet Jova ſuper Te, tuumque populum, domumque tuam patriam talia tempora, qualia antea non fuerunt.* Ceterum verba אֵת מֶלֶךְ אַשּׁוּר Hubigantius exiſtimat non eſſe Jeſajae, ſed alius cujusdam, qui illa ad marginem ſcripſerit, ut explicaret, quaenam eſſet *apis in terra Aſſur*, de qua mox Vs. 18., poſtea vero a margine in contextum allata. Refutatis veteribus horum verborum interpretationibus ita pergit: „Quodſi vero ita convertas: *adducet Dominus contra te dies . . . . regem Aſſur*, nemo non videt, incommode venire poſt *dies*; perſonam regis Aſſur, neque unum eſſe poſſe alterius *appoſitum.* Deinde non convenit nominari *Aſſur*, antequam idem per ſimilitudinem dicatur: *apis*

apis terrae Assur [uti Vs. 18. praecedit *muscae Aegyptiacae* mentio]; ut neque eum in fine sententiae unum nominari; quoniam *dies* Judae *mali* futuri erant, non modo propter regem Assur, sed etiam propter Aegypti regem, Vs. 18.“ Hubigantii rationibus moti et Seckerus, Lowthus, Gesenius, alii, verba אֵת מֶלֶךְ אַשּׁוּר pro nota a margine in contextum invecta habent. Nec ego admodum refragor, etsi Kocherus satis probabiliter monet, *diem* calamitatem cladesve dierum, cum ipso calamitatis auctore, tritam per synecdochen, metonymiamve temporis pro re in tempore dici.

18. Quae in universum minatus erat Versu superiore, inde ab hoc Versu usque ad Capitis finem illustrat et amplificat. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Fietque illo die*; quo calamitates Vs. 17. denunciatae ingruent. יִשְׁרֹק יְהוָה לַזְּבוּב אֲשֶׁר בִּקְצֵה יְאֹרֵי מִצְרָיִם *Sibilabit* (cf. not. ad V, 26.) *Jova ad muscas, quae* sunt *in extremo fluminum Aegypti*, i. e. nutu suo congregabit adducetque accolas fluviorum, in quos scinditur Nilus, in mare exiturus, quorum proprium nomen est יְאֹרִים, utpote Aegyptiacum, vid. not. ad Ezech. XXIX, 3. Ubi autem Nilus per septem ostia mare Mediterraneum influit (בִּקְצֵה), stagna et paludes magnae sunt, in quibus innumera muscarum genera gignuntur. Vid. Arviosii *Itin.* P. I. p. 173. vers. teuton. Cum iis apte conferri hostiles exercitus, tum ob multitudinem, tum ob gravia incommoda, nemo non videt. De זְבוּב, *musca*, vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. IX. T. III. p. 341. edit. Lips. et not. p. 342. Recte Chaldaeus haec explicuit: יַבְלֵי יְיָ לְעַם קִטְרֵי מַשְׁרְיָת גִּבָּרַיָּא וְסַגִּיאִין כִּדְבוּבַיָּא וְיַיְתֵנּוּן מִסְּיָפֵי אַרְעָא דְמִצְרָיִם *clamabit Dominus ad populum ligationum exercitus virorum fortium* (id est, in quo copiae virorum fortium simul junctae et conjuratae), *qui multae sunt instar muscarum, et adducet eas de terra Aegypti.* Muscis comparari Aegyptios ob immensam multitudinem, existimat quoque Bochartus l. c. p. 346., quum esset olim Aegyptius supra modum

modum populosa, qua de re plura veterum scriptorum testimonia affert, וְלַדְּבוֹרָה אֲשֶׁר בְּאֶרֶץ אַשּׁוּר. *Et ad apes quae sunt in terra Assur* sibilabit, quod ex hemistichio priore est subaudiendum. Chaldaeus: וְלַעֲוִירֵי מַשִׁרְיָתָא דְּאִנּוּן תַּקִּיפִין כִּדְבַרְיָתָא וְיַיְתֵינוּן מִסְּיָפֵי אַרְעָא דְּאַתּוּר *et ad validas copias, quae sunt fortes ut apes, et adducet eas de finibus terrae Assyriae.* Jarchi: לדבורה חיל גבורים, *ad apem*, id est, *exercitum fortem, qui pungunt ut apes.* Cum iisdem conferuntur hostes infestissimi et Deuter. I, 44. Ps. CXVIII, 12. „Quae similitudines," ait Bochartus l. c. C. X. p. 364., „ne videantur subsidere infra argumenti dignitatem, sciendum est, apem in tam tenui corpusculo ingentes habere animos, atque, ut mel suum tueantur, non solum homines, sed et vastissima quaeque animalia infestis aculeis aggredi non timere, et quandoque interimere. Aristoteles *Histor. Animal.* LIX. c. 40. Κτείνουσι δὲ βάλλουσαι καὶ τὰ μεγάλα τῶν ζώων· καὶ ἵππος ἤδη ἀπέθανεν ἀπὸ μελιττῶν. *Injecto aculeo necant maxima quaeque animalia; adeoque ab apibus punctus equus obiit.*" Easdem, quas vates noster hic adhibuit, imagines legimus apud *Mutelammem*, Poetam Arabicum, invasiones et vastationes hostium describentem, in *Excerptis ex Anthologia poetarum Veterum, Hamasa* dicta, ad calcem *Grammat. Arab. Erpenianae*, ab A. Schultensio Lugd. Batav. 1748. edit., p. 538., et in Michaelis *Chrestomath. Arab.* p. 117.

وَذَاكَ أَوَانُ ٱلْعِرْضِ جُنَّ ذُبَابُهُ
زَنَابِيرُهُ وَٱلْأَزْرَقُ ٱلْمُتَلَمِّسُ

Atque nunc in consita valle persurit ejus musca, Bombantes apes, et caeruleus pabulator.

(Pro زَنَابِيرُهُ Gesenius ex conjectura زَنَانِيرُهُ, Pluralem nominis زُنَّار, *muscae exiguae*, posuit. Sed genuinum esse quod

quod Schultenſius edidit, et nos retinuimus, oſtendit Bernstein in Commentarii Geſeniani cenſura, quae legitur in *dem Neuen krit. Journal der theol. Literat.* P. II. p. 85. ſeqq. teſtimonio undecim codicum et explicatione Tebriſii, Scholiaſtae. زُنَابِيرَة ſiſtit quoque Hamaſa a Freytagio edita Vol. I. p. 323.). Hieronymus: „Quum fuerit duorum regum terra deſerta, Damaſcus et Samaria, quam tu nunc deteſtaris et metuis; tunc adducet Dominus, o domus Juda, ſuper te et populum tuum dies, quos nunquam ante vidiſti, et regem Aſſyriorum. Fruſtra igitur praeſentia metuis, ſemiuſtos torres, et ignem penitus non habentes [Vs. 4.]: ſcire enim debes, quod ſibilo ſuo Dominus muſcas Aegypti et fluminum ejus, haud dubium, quin ſeptem διωρυχὰς Nili ſignificet, vocaturus ſit, et apem, quae eſt in terra Aſſur. Muſcas autem Aegyptios vocat propter ſordes idololatriae, et imbellem populum, et apem Aſſyrios, quorum illo tempore potentiſſium regnum erat, et ad bella promtiſſimum, vel ob id, quia omnis prope Aſſyriorum et Perſidis regio uſum habebat ſagittarum." Pharaonis Nechonis adverſus Nebucadnezarem ſuſceptas expeditiones, in quibus Judaea ab utroque hoſtili exercitu plus ſemel inundata fuit (vid. 2 Chron. XXXV, 20. Jerem. XLVI, 1. 2., tum 2 Reg. XXIII, 29. 30. ſeqq. 2 Chron. XXXVI, 1. 2.), hoc oraculo innui opinantur plerique eorum, qui ſingulis vatum effatis certos, qui eis reſponderent, eventus in hiſtoria quaerunt. Sed minatur vates, ut ad Vs. 17. monuimus, haec omnia Ahaſo obventura. Granville Penn in Obſervationibus criticis in hunc locum (*Critical Remarks on Iſajah Ch. VII. Vs.* 18.), quae inſertae leguntur variarum ad literaturam Orientalem ſpectantium ſcriptionum ſyllogi, inſcriptae *Oriental Collections*, Vol. II. No. III. (Lond. 1798.) p. 273., pro בַּיּוֹם legendum בַּיּוֹם, ו praefixum nomini דְבוֹרָה pro כֵּן, *ita*, ſumendum, totumque Verſum hoc explicandum praecipit modo: *Fietque, quemadmodum die iſto ſibilavit Jova ad muſcas, quae in extremo ſluminum Aegypti, ita* ſibilabit

labit quoque futuro tempore *apibus*, *quae* sunt *in Assyria*, i. e. sicut olim, Rehabeami temporibus, rex Aegypti, Sesacus (quem Vir Doctissimus eundem cum Sesostri esse, operose demonstrare studuit), Judaeam invaserat suis copiis atque vastaverat (vid. 1 Reg. XIV, 25. 26. et 2 Chron. XII, 2—9.), ita aliquando non minus dure atque hostiliter ab Assyriis, Sanheribo duce, vexabitur. Verum ut taceamus, בַּיּוֹם exprimi ab interpretibus veteribus omnibus, nec ullam in ea voce codicum discrepantiam reperiri; formula בַּיּוֹם הַהוּא semper de *futuro* tempore dicitur, nullaque plane ratio apparet, cur de incursione aliqua Aegyptiaca, ante plura secula facta, hoc loco sit cogitandum.

19. וּבָאוּ וְנָחוּ כֻלָּם *Venientque et considebunt omnes illae*, muscae et apes, Vs. 18. Verbum נוּחַ sive נָחָה, de quo cf. not. supra ad Vs. 2., de considentibus aliquo loco locustis usurpatur Exod. X, 14., et de avibus 2 Sam. XXI, 10. בְּנַחֲלֵי הַבַּתּוֹת *In torrentibus desolatorum*, s. *in convallibus solitudinum.* בַּתּוֹת pluralis nominis בָּתָה supra V, 6., ubi not. vid. Scriptum pro בָּתוֹת, observante Kimchio, qui nomen recte explicat per חֳרָבוֹת, *loca devastata.* Jarchi: שָׂדוֹת בּוּרִים *agros incultos.* Saadias: فِي أَوْدِيَةِ ٱلْبَائِدَةِ *in convallibus deserti.* Bene ad exprimendum hebraicum בְּנַחֲלֵי adhibuit Arabicum وادي, vid. not. ad Exod. XVII, 1 Hieronymus: *in torrentibus vallium*; sed בַּתּוֹת non sunt *valles.* LXX, qui reddunt ἐν ταῖς Φάραγξι τῆς χώρας, *in vallibus regionis*, non satis accurate expresserunt significationem nominis בַּתּוֹת. Cappellus: *in vallibus domorum*, h. e. *in vallibus habitatis*, *in quibus exstructae sunt domus.* Simile quid haud dubie respexit Chaldaeus, qui vertit, בִּרְחוֹבֵי קִרְוַיָּא, *in plateis civitatum.* Sed בַּיִת, *domus*, numero plurali effertur בָּתִּים, non בַּתּוֹת; et est praeterea insolens loquutio, *valles domuum.* Syrus: ܒܢܚ̈ܠܐ ܕܒܬܘܬ *in vallibus Bathuth* (male enim in Polyglottis scriptum est ܒܬܘܬ,

ܙܘܚܐ, vid. J. D. Michaelis *ad Castelli Lexic. Syr.* p. 389.), Hebraicum בַּתּוֹת pro nomine proprio habuit. Michaelis hic quoque, ut supra Cap. V, 6. בָּתוֹת legere mallet, ita ut נַחֲלֵי הַבָּתוֹת sint *valles, in quibus greges pernoctant*, in his enim maximam muscarum copiam esse solere. Cui observationi hic non erat locus. A Michaele haud longe discedens Steudel בְּנַחֲלֵי הַבָּתוֹת *in vallibus locorum pernoctando idoneorum* interpretatur, contextum locos potius pernoctando idoneos, quam devastatas aut inaccessas valles postulare ratus. Sed prophetam haud dubium est hoc significare velle, hostilium copiarum, quae Judaeam sint inundaturae, tantum fore numerum, ut nec abdita et inaccessa loca ab iis tuta sint futura. Koppius confert Arabicum بَثَاءٌ, *terra plana, mollis; ut valles depressae, irriguae, pingues*, oppositae sint *rupibus asperis et silvosis*; et *valles* et *rupes* poetice positae sint *pro tota terra Judaica*. Verum significatio *terrae planae et mollis* nentiquam convenit loco supra Cap. V, 6. וּבִנְקִיקֵי הַסְּלָעִים *Et in cavernis petrarum*, uti Vulgatus vertit. LXX: Καὶ ἐν ταῖς τρώγλαις τῶν πετρῶν. Chaldaeus: וּבִשְׁקִיפֵי כֵּיפַיָּא, *et in scissuris petrarum*. Ita et Syrus. Nomen נָקִיק, etsi soli linguae Hebraeae peculiare, nec quicquam lucis ex sororiis dialectis accipiens, vix tamen dubium est, *fissuram petrae* significare. Conjungitur cum סֶלַע et duobus ceteris, quibus praeter nostrum locum occurrit, locis, Jerem. XIII, 4. XVI, 16. Saadias: فِي كُهُوفِ ٱلصَّخْرِ, *in cavernis petrarum*. וּבְכֹל הַנַּעֲצוּצִים LXX: Καὶ εἰς τὰ σπήλαια. Similiter Syrus: ܘܒܟܠܗܘܢ ܢܩܥܬܐ, *et in omnibus rimis*. Videntur a Chaldaico נְעַץ, *infigere*, loca intellexisse *perforata*, uti נְעִיץ Chaldaeis est *foramen, fossa*. Sed ex altero, quo id nomen occurrit, loco, infra LV, 13., (תַּחַת הַנַּעֲצוּץ יַעֲלֶה בְרוֹשׁ, *pro abie succrescet* ....), manifestum est, plantas illo nomine indicari. Hinc rectius Vulgatus: *et in omnibus*

frutetis. Cum eo convenit Jarchi, qui nomen hebraicum *senticeta* notare ait, explicatque Gallico *brosses.* Nec aliter sumendum observat altero, quo occurrit, loco, infra LV, 13. Aben-Esra אִילָנִים אֵין לָהֶם פְּרִי *arbores non frugiferas,* Kimchi עֵצִים פְּחוּתִים, *arbores viles, depressas* exponit. R. quidem Juda, a Salomone Ben Melech in *Michlal Jophi* ad h. l. memoratus, נַעֲצוּץ eandem plantam esse conjicit, quae Arabibus eodem nomine appellatur. Sane eis نَعْضٌ est *arboris spinosae* nomen, cujus cortice utuntur in depsendis coriis. Alii a Salomone memorati, נַעֲצוּץ eandem arborem spinosam esse putant, quae Arabibus سَلَمٌ dicitur; eam ex scriptoribus Arabicis describit Celsius *Hierob.* P. II. p. 191. Ita Saadias: وَفِي مَا بَيْنَ ٱلسَّلَمِ, *et in eo, quod inter sidras.* Abendana ad Michlal Jophi *vepres* ab *infigendo,* quod נְעַץ Chaldaice sonat, dictos observat, quod contrectatae carni infigantur. Chaldaeus: וּבְכֹל מַדְבְּרֵי נַעֲצוּצַיָּא, quae verba in Polyglottis ita redduntur: *et in omnibus desertis ubi sunt carecta.* וּבְכֹל הַנַּהֲלֹלִים LXX: Καὶ εἰς πᾶσαν ῥαγάδα. Vulgatus: *et in universis foraminibus.* Forsan הַנְּחַלִּילִים legerunt, aut legendum conjecerunt, quod ad חָלַל, *perforavit,* retulerint. Minus verisimile, quod Kocherus opinatur, interpretes illos nostrum nomen derivasse ab הָלַל, *splenduit,* et intellexisse de locis in terra, quae diem non excludant, luceque benigna fruantur, quemadmodum מְאוּרָה, *cavum, specum,* ab אוּר, *lucere,* ductum existiment. Hieronymus in Commentario: (et in omnibus) *lignis nemorosis* vertit, hac addita nota: „Haec autem per metaphoram dicuntur, ut quia semel muscas et apes nominaverat, translationem servaret in reliquis.“ Interpres Arabicus in Polyglottis, qui ceterum Graecam Alexandrinam versionem reddit, hic tamen habet: وَفِي كُلِّ شَجَرَةٍ *et in omnibus arboribus.* Sequutus videtur Hebraeorum quorundam conjectu-

jecturam, הַנַּהֲלֹלִים pro *vilibus et ingloriis arboribus* habentium. Contra alii a *laudandi* notione, quam verbum הָלַל obtinet, *laudatas, nobiles arbores* indicari existimant, quae oppositae sint *vepribus*, בַּנַּעֲצוּצִים. Huc referendus Chaldaeus, qui וּבְכָל בָּתֵּי תּוּשְׁבַּחְתָּא *et in omnibus domibus laudis*, vertit, probante Gussetio s. v. הלל B.: „*Domus* vel *loci laudis*, h. e. loci laudabiles: nec abs re. Nam invasionem Assyriorum non tantum in locis desertis, petrosis, dumosis, sed etiam in laudabilibus, pulchris, ornatis, opulentis ponere oportuit. Interim est substantivum ab הלל factum per נ heemanticum, ut et praecedens נַעֲצוּץ." Id vero Gussetius ab עֵץ *locum lignatum* denotare arbitratur. Syrus nostram phrasin non expressit. Saadias: وفي ما بين الينبوت, *et in iis, quae inter spinosas siliquas*. Sunt, qui nomine נַהֲלֹלִים *flores* significari putent *splendidos, quibus apes insidere amant*, quod הלל *splendere* valeat. Alii a radice נָהַל *ducere* (infra XL, 11.), vertunt *ductus viarum*. Minus commode. A. Schultensius in *Origg. Hebrr.* Lib. I. Cap. VII. §. XI. p. 110. נַהֲלֹלִים reddit *loca aquis irrigua, laeta, fontibus perennia*, eadem, qua praecedens נַעֲצוּץ, forma, a נָהַל ductum, quod Arabibus est, *aquatum ducere, pascere*, unde منهل, *aquationis in pascuis locus*. „Apta sic," ait Michaelis in *Supplemm.* p. 1606., „oppositio ad נַעֲצוּצִים, *senticeta, spineta*, quae in aridis esse solent desertis: apta et inter vespas et muscas distributio, illae sua habitacula ex ramis arborum et spinarum suspendunt; hae irrigua, sive adeo palustria amant." *Loca irrigua* autem, quae nomine נַהֲלֹלִים designari Schultens censet, figurate adhibita putat, pro lautioribus laetioribusque fortunis, qua privatis domuum ac familiarum, qua publicis urbium et civitatum.' E contrario horrida illa *vepreta* pro emblemate capit humilioris squalidiorisque fortunae, tam privatae, quam publicae. Omnia ista depascerentur muscae Aegyptiacae et apes Assyriacae, quae valles

imu

simul et petrarum praerupta cacumina, id est, tum nuda et aperta loca, tum celsa et munita oppida, pervaderent et pervastarent, omniumque fortunis, tanquam praedae suae incubarent. Ceterum cum duobus his Versibus contulisse Homerum juvabit, qui *Iliad.* B. 87. seq. pari similitudine utitur:

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων·
Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα·
Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
Ἠϊόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο
Ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν.

Sicut gentes eunt apum confertarum, e petra cava semper recens venientium, in modum autem racemi volant super floribus vernis, et aliae hac adfatim volant, aliae illac; sic horum gentes multae a navibus et tentoriis ante littus profundum ordine procedebant et turmatim ad concionem.

20. בַּיּוֹם הַהוּא יְגַלַּח אֲדֹנָי בְּתַעַר הַשְּׂכִירָה *Illo die abradet Dominus novaculâ mercenariâ* s. *conductâ*, uti vocem הַשְּׂכִירָה recte Hieronymus vertit, pertinet enim ad שָׂכִיר, *mercenarius*, infra XVI, 14. LXX in codice Romano: *ἐν τῷ ξυρῷ τῷ μεμισθωμένῳ.* „Sed non putem," inquit Vitringa, „hanc esse germanam lectionem versionis Graecae. In codice Alexandrino est *μεμεθυσμένῳ*, *ebria*; in aliis exstat: *τῷ μεγάλῳ καὶ μεμεθυσμένῳ.* Posterius certe est apud Cyrillum, prius (i. e. simpliciter *μεμεθυσμένῳ*) apud Theodoretum. Id ita est expediendum. Auctor versionis Graecae legit שְׁכִירָה, veluti si scripta esset cum puncto in cornu *dextro*, pro שְׂכִירָה, cum puncto in *sinistro*; atqui שָׁכַר Hebraeis est *μεθύσκεσθαι*, *inebriari.* Sed quum Aquila, Symmachus, Theodotio deinceps verterunt *μεμισθωμένῳ*, idque rectius videretur, receptum est in contextum. Vox autem *μεγάλῳ* a librario vel Scholiasta aliquo adscripta fuit ad marginem, ad interpretationem *novaculae conducti-*

tiae, quia Hebraei שְׂכִירָה *magnum* indicare ajunt.“ “Sic Jarchi per הַגְּדוֹלָה explicat, observatque, Chaldaeum interpretem Jerem. XLVI, 21. שְׂכִירֶיהָ, *mercenarii ejus*, reddidisse רַבְרְבָהָא, *principes ejus*. *Novacula ebria* tamen placet J. D. Michaeli, qui ea talem intelligit, quae, tanquam a manu ebrii gestata, temere omnia et crudeliter abscindat. „Nec dubium,“ inquit Steudel, „quin Orientales saepius tela, sagittas dicant inebriari, vid. Deut. XXXII, 42. Sed imago, quum de effuso sanguine sermo sit, quam maxime commoda, vix de *novacula*, pilos radente, adhiberi potuerit; ut in ebrii manu novaculam vates non pingit, quum nonnisi pilos radere, nec cutem vulnerare, aut simile quid dicatur. Commodum autem sensum praebet שְׂכִירָה, quum rex Assyriae magnis praemiis ad opem ferendam ab Achaso esset invitatus; sed pro aliis conducta novacula ipsum omni decore exuebat.“ הַשְּׂכִירָה, cum Schin, legit et Syrus, qui habet: ܡܣܦܪܐ ܪܘܝܐ, *novacula ebria*. Sed Ephrem in eo, quo usus est versionis Syriacae codice, legit: ܡܣܦܪܐ ܡܚܕܬܐ *novacula acuta*, quod in Commentario explicat: *quam ira justitiae divinae acuit*. Ita et Chaldaeus: בְּחַרְבָּא חֲרִיפָא, *gladio acuto*. Saadias: يمسح الموسى الحدّاد *radet novacula acuta*. Hos interpretes J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 126. pro הַשְּׂכִירָה legisse existimat הַשַּׂכִּינָה, quod *acutam* vult significare a סַכִּין, سكّين, *culter*. Verum id nominis Hebraeis non videtur usitatum fuisse. Arabicus in Polyglottis interpres: بموسه العظيم الحدّاد *cum novacula sua magna acuta*. Ceterum quum הַתַּעַר alias nomen sit masculini generis, Aben-Esra monet, שְׂכִירָה esse nomen formae אֲכִילָה, ut proprie sit *novacula conductionis*, id est, stylo Hebraeorum, *conducta*. Neque igitur opus, ut cum Michaele l. c. verba ita distinguamus: בְּתַעַר שְׂכִירָה. Quos autem *novaculae conductae* imagine

imi-

intelligat vates, statim explicat: בְּעֶבְרֵי נָהָר *per eos*, s. *iis*, qui *trans fluvium*, i. e. Euphratem, qui *κατ' ἐξοχὴν* fluvius dicitur, vid. Jos. XXIV, 2. 1 Reg. V, 1. Jerem. II, 18. Pro נָהָר legendum הַנָּהָר cum ה demonstrativo censet Lowthus, quod ipsum exstat in duobus codicibus, expressum quoque a LXX. Sed bene Kocherus: „נָהָר, *Euphrates*, etiam sine ה demonstrativo, quo addito appellativo nomen proprium fieri solet. Talia e. g. גִּבְעָה, רָמָה, *collis*, הַגִּבְעָה, הָרָמָה, *Gibea*, *Rama*, urbes in collibus positae; sed dein, volente sic usu, etiam adempto ה manet significatio propria in גִּבְעָה, רָמָה, Jos. XV, 57., etsi haec in tribu Juda, nam eadem nominis ratio; Jerem. XXXI, 15. Ita אָדָם, *homo*, הָאָדָם et אָדָם, *Adamus*. Confer Michae VII, 12., sed inprimis Jerem. II, 18., qui locus nostro huic germanus, neque dubius est.“ Ludov. de Dieu haec verba proxime conjunxit cum superioribus, vertitque: *novaculâ conducta in ulterioribus fluvii*, consentiente Gesenio, fere ut Graecus interpres, quemadmodum ejus verba nunc leguntur: *μεμισθωμένῳ πέραν τοῦ ποταμοῦ*. Sensus fere eodem redit; nec tamen verisimile, id proprie dicere voluisse vatem, quia haud dubie tum scripsisset בְּעֵבֶר נָהָר, non בְּעֶבְרֵי. Disertius adhuc declarat, quem per *novaculam conductam* intelligat: בְּמֶלֶךְ אַשּׁוּר *rege Assyriae*, quem jam supra Vs. 17. hostili manu Judaeam invasurum comminatus erat. Male alii vertunt: *in rege Assyriae*, intelliguntque hunc Versum de calamitatibus et cladibus, quas Deus immissurus esset in Assyrios, vel per *angelum vindicem*, qui una nocte in exercitu regis Assyrii cecidit centum et octoginta quinque fortium virorum millia, 2 Reg. XIX, 35.; vel per *Medos* et *Persas*, qui imperium Assyriorum postea subverterunt. Hi igitur interpretes, qui radendum dici putant *regem Assyriae*, non *Judaeos*, hunc Versum ita vertunt: *illo die abradet Dominus per novaculam mercenariam, in transfluvialibus, in rege Assyriae, caput et pilos pedum.* Verum et in iis, quae antecesserunt, et in his, quae sequuntur, *Judaeorum*, non *Assyriorum* mala describuntur. Tum prae-

praefixum ב in vocibus בְּעֶבְרֵי נָהָר et בְּמֶלֶךְ אַשּׁוּר longe commodius servat eandem significationem, quam obtinet in voce בְּתַעַר. In hac autem voce praefixum illud habet significationem *instrumenti*, quod *instrumentum* judicii divini vates mox dicit esse transfluviales, et eorum ducem, regem Assyriae, unde per modum appositionis haec verba interpretanda sunt: *per novaculam illam mercenariam, per transfluviales, inquam, per regem Assyriae.* Eum sensum et Chaldaeus expressit: בְּעִדָּנָא הַהִיא יִקְטוֹל יְיָ בְּהוֹן כְּמָא דְמִתְקְטִיל בְּחַרְבָּא חֲרִיפָא בְּסִבְבַיָּא וּבִמְגַזְרַיָּא בְּעִבְרֵי נַהֲרָא בְּמַלְכָּא דְאַתּוּר יַת מַלְכָּא וגו׳, quae latinus in Polyglottis interpres perperam reddidit: *in tempore illo occidet eos Dominus* etc., quod miror sequutum esse Vitringam, quum potius ita sint vertenda: *illo tempore occidet Jova per eos, quemadmodum occidere solent gladio acuto, securibus et cultris, per transfluviales, per regem Assyriae, regem* Judaeorum, puta, et quae sequuntur. Cur vero rex Assyrius *novacula conducta* vocetur, rationes varii comminiscuntur varias. Calvinus opinatur, novaculam dici conductam, quod Deus ea liberius esset usurus, nec ei parsurus, ut, quae conducunt homines pro ratione mercedis sibi usui esse volunt. Grotius vatem hoc dicere ait, Deum magna mercede praedae Assyrios illecturum esse, quemadmodum apud Ezechielem, XXIX, 18. 19. Deus Nebucadnezari pro opera, sumta in exsequendis judiciis suis in Tyrum, *mercedem* statuit *Aegyptum.* Cf. quae mox ex Hieronymo afferemus. Nos iis interpretibus accedimus, qui *novaculam mercenariam* regem Assyrium dici existimant respectu habito ad ipsum Ahasum, qui opem regis Assyrii implorabat, eumque illexit spe praedae regnorum sibi hostilium, et magna mercede tributi ab ipso pensi, vid. 2 Reg. XVI, 8. 2 Chron. XXVIII, 20. 21. Utrumque sensum conjungit Clericus: „Rex Assyriae dicitur *novacula conducta,* quasi, ut Ahasus Tiglathpileserum magna mercede conduxerat, ut bellum Syris et Israelitis inferret; sic quoque Deus usurus esset rege Assyriorum et Babyloniorum, quasi milite mercenario, ad

dev-

devastandam Judaeam." Radendum igitur ait אֶת־הָרֹאשׁ, *caput*, i. e. אֶת־שְׂעַר הָרֹאשׁ, *comam*, i. e. uti vertit Chaldaeus: יָת מַלְכָּא, *regem*; cf. infra IX, 13. 14. וְשַׂעַר הָרַגְלָיִם *Et pilos pedum*, h. e. inferiorum corporis partium, vid. not. supra ad VI, 2., et cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. LVI. T. I. p. 779. seq. His vero Hebraei recte observant indicari *plebem*. Chaldaeus: וְיָת מַשִּׁרְיָתֵיהּ, *et copias ejus* (regis) *militares*. וְגַם אֶת־הַזָּקָן תִּסְפֶּה *Et ipsam quoque barbam absumet*, scil. novacula, תַּעַר, quod nomen etsi alias masculine usurpatur (vid. Num. VI, 5. Ps. LII, 4.), hoc tamen loco feminine sumitur, dum verbum תִּסְפֶּה additum. Alii vertunt: *et ipsa etiam barba absumetur*, תִּסְפֶּה intransitive accepto, et ad הַזָּקָן relato, quod utroque genere usurpatur. Sed תִּסְפֶּה esse transitive sumendum, docet אֶת, Accusativi nota. Barbam alere solent Orientales, ut decus virorum, unde perquam ignominiosum habetur, vim in ea experiri. Vid. 2 Sam. X, 4. 5. et Arviosium *de moribus Arabum Nomadum*, p. 48. vers. nostr. Chaldaeus: וְאַף יָת שִׁלְטוֹנַיָּא כַּחֲדָא יְשֵׁצֵי, *et etiam principes simul consumet*. Hieronymus etsi praefixum ב ante תַּעַר, עִבְרֵי et מֶלֶךְ, instrumentum indicans, minus recte vertit *in* (*In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam*), recte tamen in Commentario sensum hujus Versus exponit: „Haec quidam putant de Assyriis prophetari, qui mille trecentis annis antequam Jerusalem subverterent regnum Asiae Aegyptique, et Lybiae possederunt, quod a Medis Persisque vincendi sint, et eorum imperium destruendum. Alii vero arbitrantur, quod trans flumen Euphratem caesi sint Aegyptii. Nos autem novaculam mercede conductam ipsum arbitramur Assyrium, quem in Jeremia [XXV, 38.] ob ultionem populi peccatoris etiam columbam suam vocat. Denique et in visione Tyri, quia in exstruendis munitionibus et aggere comportando Nabuchodonosor plurimum laboraverat, et illis classe fugientibus, fuerat mercede privatus, data est ei Aegyptus

pro

pro mercede et labore suo [Ezech. XXVIII. XXIX.]. Ergo ista novacula acutissima, et his, qui habitant trans flumen Euphratem, rege videlicet Assyrio, omnes capillos et pilos totius corporis a capite usque ad pedes decoremque barbae, quod virilitatis indicium est, radet Dominus de Judaea, ut nihil in illa forte, nihil pulchrum resideat, sed effeminatis hominibus, imo ignominiosis mulieribus comparentur."

Saadias: وفي ذالك الوقت يستحهم الله كما يسحج الموسي الحاد شعر الراس والمقدم واللحية كذاك يهلك اهل عبر النهر وقوم ملك الموصل *illo tempore radet eos Deus, sicut radit novacula acuta crines capitis, et anterioris capitis partis, et barbae; ita perdet gentem transfluvialem, et populum regis Mosulensis.* *Mausel,* sive *Mosul,* urbs Mesopotamiae in occidentali Tigris ripa posita, e cujus regione in orientali Tigris ripa antiqua Ninive, pro אַשּׁוּר ponitur et ab Arabico in Polyglottis interprete, qui e Graeco vertit. „Antiqua Assyriorum metropolis regumque sedes Ninive fuit; sed quum haec concidisset, et contra ipsam cis Tigrim fluvium ampla civitas *Mosul* condita fuisset, de hujus nomine Assyria et Adiabene بلاد الموصل, *regio Mosulana,* sequiori aevo appellari coepit." Verba sunt J. S. Assemani in *Biblioth. Oriental.* T. III. P. II. p. 710. Cf. T. II. *Dissertat. de Monophysitis,* s. voce *Mosul.* Et Abulfeda in Tabula Mesopotamiae (Arabice a nobis edita in *Repertor. Literat. bibl. et oriental.* ab H. E. G. Paulus edit. P. III.) mentionem facit urbis veteris tunc vastatae, أذور, *Athur,* dictae, quae haud longe a Mosul, austrum versus sita esset. (Quod in *Repertor.* l. c. p. XXXI. legitur, أنور, typothetae errori debetur).

21. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Fietque die illo,* de quo Vs. 17. 18. 23. יְחַיֶּה־אִישׁ Si *vivam servaverit* (Num. XXXI, 15.) *vir,*

vir, i. e. aliquis. Subaudienda est ante verbum particula אִם, ut 1 Reg. XVIII, 12. 2 Reg. V, 13. Job. X, 19. Nam hoc Versu protasis, proximo apodosis continetur. עֶגְלַת בָּקָר *Vitulam bovis*, ut Deut. XXI, 3. 1 Sam. XVI, 2. Sed hoc loco latiore significatione poni pro *vacca*, quae jam est lactifera, patet e Versu proximo. Sic Hos. X, 11. עֶגְלָה vocatur vacca domita jam et triturae apta, quemadmodum Virgilius *vitulam* pro *vacca* dixit *Eclog.* III, 29. Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. C. XXVIII. T. I. p. 269. edit. Lips., ubi ex Graecis Romanisque scriptoribus plura ejusdem loquendi usus exempla reperies. וּשְׁתֵּי־צֹאן *Et s. aut duas oves*, vel *capras*, est enim צֹאן utrique, *ovillo* et *caprino*, generi commune nomen; vid. Bochartum l. c. C. XXXVII. p. 457. 471. Describitur status hominis inopis, cui tenuis et exigua recula, una vacca, et duae pecudes parvae ovilli aut caprini generis. *Unus* et *duo*, numeri omnium minimi, hic usurpantur ad designandam paupertatem possessoris, fere ut apud Jerem. III, 14. *Assumam vos*, *unum ex civitate*, *et duos ex familia.* Perinde atque Gordius ille, deinceps satis celebris, apud Arrianum *de Expedit. Alexandri* L. II. C. 3., quem describit ille ut *ἄνδρα πένητα*, *hominem pauperem*, *καὶ ὀλίγην εἶναι αὐτῷ γῆν ἐργάζεσθαι*, *καὶ ζεύγη βοῶν δύο*, *exiguum agrum colentem*, *et cui duo locum paria erant:* sed erat ille agricola, Jesajas designat pastorem.

22. וְהָיָה *Tum*, inquam, *fiet*, coll. Vs. 21. מֵרֹב עֲשׂוֹת חָלָב *Ut prae copia*, s. *ob copiam faciendi lac*, sive *confectionis lactis*, i. e. quod unica vacca aut duae oviculae *tantam lactis copiam*, ob uberrima pascua in desolata terra, *praebebunt*, יֹאכַל חֶמְאָה, *comedat butyrum*, s. *lac spissum*, ille, qui unam vaccam duasve oves possidet, Vs. 21. כִּי חֶמְאָה וּדְבַשׁ יֹאכַל כָּל הַנּוֹתָר בְּקֶרֶב הָאָרֶץ *Nam cremore lactis et melle vescetur quisquis relictus fuerit in terra* ex strage, a copiis hostilibus illata. Doederlein sic vertit: *hoc lactis flore et melle fruetur; hoc enim in terra superest:* et in nota subjecta addit: „dicit, post cladem et vastationem terrae

terrae superstites fore paucos agricolarum, quibus quidem victus suppetat largus et lautior; non tamen ex agris et rure, sed ex sylvis ac gregibus repetendus.“ Sensus tamen, quo interpretes ceteri omnes, et veteres et recentiores, verba hebraea capiunt, planior et concinnior. Hebraei interpretes utrumque Versum, hunc cum superiore, accipiunt de singulari fertilitate, quae tempore Immanuelis continget. Jarchi: „*Nutriet aliquis vaccam et duas oves;* postquam Judaea fuerit exhausta, et hostiles copiae praedatae fuerint jumenta, in exiguo illo, quod reliquum erit, tantam, inquit Deus, creabo abundantiam, ut *prae ubertate lactis*, quod dabunt pauculae illae pecudes, vilescat apud incolas lac, et comedant lactis cremore. Piis, qui gladium Sanheribi evaserint, laeta annunciat, dum eis promittit, post ingentem illam terrae vastationem large iis suppetiturum, unde sese sustentent.“ Auctor est Chaldaeus interpres, cujus haec sunt verba: ויהי מסגי טוב משח יכול שמן ארי שמן ודבש יתפרנסון כל צדיקיא דאשתארון בגו ארעא *sietque, ut prae multitudine bonitatis pinguedinis comedet butyrum, quia butyra et melle nutrientur omnes justi, qui relicti fuerint in medio terrae.* Kimchi haec refert ad ea, quae 2 Chron. XXXII, 27. 28. 29. leguntur de ubertate et felicitate posteriorum temporum Hiskiae regis. Sed horum interpretum cogitationem evertunt quae sequuntur, quae plena sunt solitudinis et inopiae. Optime Hieronymus hujus Versus sensum explicat: „In die igitur illa, hoc est, in illo tempore, quum fuerint omnes opes Judaeorum translatae in Chaldaeam, tanta solitudo erit in terra Judaeae, et tam incredibilis vastitas, ut nequaquam armenta boum habeant, nec greges ovium, sicut prius habere consueverant; sed vix rarus habitator unam vaccam nutrire possit, et duas oves, non ad arandum, sed ad cibum atque vestitum lactis et velleris. Propter inopiam quippe frumenti, et omnium, quae terra gignit ad comedendum, lacte et butyro et agresti melle vescentur. Quodque ait: *prae ubertate lactis comedet butyrum*, hoc significat, quod terra cultorum

vari-

raritate fertilior fit et magis apta pascuis." Quia igitur nec ferentur agri, nec colentur aut sarrientur arva, qui reliqui sunt e caede et fuga in terra vastata, butyro pascentur et melle sylvestri, vulgari edulii genere, quale rusticus sibi ex peculio et alvearibus, sive suis, sive sylvestribus, carpere possit in necessarium vitae sustinendae usum. Id velle vatem, patet e Versu 25.

23. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Fietque die illo*, de quo Vs. 21. 20. 18. יִהְיֶה כָל־מָקוֹם אֲשֶׁר־יִהְיֶה־שָּׁם אֶלֶף גֶּפֶן *Ut, ubicunque fuerint mille vites* בְּאֶלֶף כָּסֶף, *pro mille argenti* scil. siclis, Num. VII, 13. Cf. Genes. XX, 16. 2 Sam. XVIII, 12. Cantic. VIII, 11. Chaldaeus: שָׁוְין בְּאֶלֶף מָנִין כְּסַף, *aestimatae mille minis argenteis.* Sunt, qui haec verba intelligant de mercede locationis, sive de reditu, qui perciperetur ex vitium fructu, coll. Cantic. VIII, 11., ita ut indicentur praestantioris generis vineta, unde olim magni reditus. J. D. Michaelis vero observat, in regionibus, vitium feracibus, vinearum pretium constitui ex numero singularum vitium; sic Johannisbergae, ubi optimum vinum Rhenanum nascitur, vineam tot ducatis valere dici, quot vites habeat. In Libano monte vineas etiamnum pro numero vitium, singulasque vites numum argenteum, quem *Piaster* vocant, aestimari, refert J. L. Burckhardt, qui anno 1811. illa montana invisit, in suorum per *Syriam itinerum* factorum *Commentariis* p. 76. translat. teuton. Si eodem modo Jesajae tempore vineae aestimabantur, h. l. tales indicantur vineae, in quibus mille vites totidem valuerunt siclis; quod pretium, quanquam nunc exiguum esset (siclus enim Jesajae tempore circa quatuor grossos, sive decimam sextam ducati partem, ex Michaelis computo, in *Commentat. de siclo Hebraeorum*, efficiebat), illis tamen temporibus, quibus nondum tanta pecuniae copia erat, sane satis magnum erat. לַשָּׁמִיר וְלַשַּׁיִת יִהְיֶה *In spinetum et senticetum erit*, sive convertetur, ille locus spinis, sentibus, vepribus opplebitur. Cf. Vs. 24. 25. supra V, 6. XXVII, 4.

Vineae

Vineae igitur, in quibus ante irruptiones et vaſtationes hoſtium mille vites fuerunt, mille aeſtimatae ſiclis, mutabuntur in ſenticeta et vepreta, ſive quod ab hoſtibus ſubverſae eſſent, ſive quod nullos in proximis annis inveniſſent cultores. Ita recte JARCHI. Sed HIERONYMUS: „In illo tempore prae hominum paucitate tanta erit vini inopia deſertis vineis, quae metu hoſtili nequaquam putabuntur, ut ſingulae vites ſiclis argenteis ſingulis vix emantur: in vepres enim et in ſpinas omnis terra redigetur.“

24. Plus eſt, quod addit propheta, ad exaggerandam vaſtitatem; ne quidem tuto et ſecure loca illa adiri poſſe, nec ab aliis, quam ſagittis et arcu inſtructis. בַּחִצִּים וּבַקֶּשֶׁת יָבוֹא שָׁמָּה כִּי־שָׁמִיר וָשַׁיִת תִּהְיֶה כָל־הָאָרֶץ *Cum ſagittis et arcu* quisque *veniet*, accedet, *illuc*, ferarum metu; *quia tota terra erit vepretum et ſenticetum.* Sic erunt agri ac vineae vepribus atque fruticibus obſiti, ut in illos nemo audeat ingredi, niſi armis munitus, propter feras, quae inter vepres et dumos ſua ſibi poſuere cubilia. Alluditur forſan ad paſtores, Nomadum inſtar pecus in deſerta et ſolitudines agentes, in quibus quidem non deeſſet, quod carpi poſſet a pecore pabulum, ſed nec abeſſet ferarum metus. Unde antiquitus arcus et ſagittae erant inter arma ſive inſtrumenta paſtorum, maxime Nomadum. SERVIUS ad illud Virgilii, *Eclog.* III. Vs. 12. *Cum Daphnidis arcum fregiſti et calamos,* notat: *nam habent arma paſtores, ut in Georgicis docuit.* Locus eſt *Georg.* III. Vs. 341. ſeq., ubi deſcribit paſtores Libyae:

Saepe diem noctemque, et totum ex ordine menſem
Paſcitur, itque pecus longa in deſerta ſine ullis
Hoſpitiis: tantum campi jacet, omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque Laremque
Armaque, Amyclaeumque canem, Creſſamque pharetram.

25. וְכֹל הֶהָרִים אֲשֶׁר בַּמַּעְדֵּר יֵעָדֵרוּן *Et omnes montes* quod attinet, loca fertiliſſima in montibus, *qui ſarculo ſar-*

ſarriebantur (de עָדַר vid. not. ad V, 6.), quae loca diligentiſſime coli, ac ſarculo purgari ſolebant, quod hortorum eſt proprium, לֹא־תָבוֹא שָׁמָּה יִרְאַת שָׁמִיר וָשָׁיִת, *non venies illuc ob timorem ſentis et vepris*, i. e. ob metum ferarum, inter dumeta latitantium (cf. Vs. 24.); ea enim montes arboribus olim frugiferis et vitibus conſitos, ſeduloque cultos, occupabunt. Ante יִרְאַת ſubaudiendum מִן, ut Jerem. XLVII, 3. מֵרַעַשׁ מַרְכַּבְתּוֹ הֲמוֹן גַּלְגִּלָּיו, *ob ſtrepitum* qui eſt *curribus ejus*, ob *tumultum rotarum ejus*. Vel poteſt יִרְאַת cum Gesenio in Commentar. pro *Accuſativo adverbiali* capi, Latine Ablativo *timore* reddendo; cf. Ejusd. *Lehrgeb.* p. 687. ſeq. וְהָיָה לְמִשְׁלַח שׁוֹר *Sed erit immiſſioni boum*, mutabuntur in loca, in quae boves poſtum mittuntur, וּלְמִרְמַס שֶׂה, *et conculcationi pecudis*, cf. ſupra Vs. 5.; paſſim ibi vagabuntur boves et pecudes, ut ſolent in locis incultis et ſylveſcentibus. Veteres hunc Verſum longe aliter acceperunt. LXX: *Καὶ πᾶν ὄρος ἀροτριώμενον ἀροτριωθήσεται, καὶ οὐ μὴ ἐπέλθῃ ἐπεῖ φόβος· ἔσται γὰρ ἀπὸ τῆς χέρσου καὶ ἀκάνθης εἰς βόσκημα προβάτου, καὶ εἰς καταπάτημα βοός.* Neglexerunt vocem אֲשֶׁר, pro יִרְאַת legerunt יִרְאָה, et hanc ipſam vocem ab iis, quae ſequuntur, avulſerunt. Verba ceterum Graeci interpretis per ſe jam ſatis obſcura, longe adhuc obſcuriora facta ſunt in Latina verſione, quae verba *ἀπὸ τῆς χέρσου καὶ ἀκάνθης* reddit *pro ſolitudine et ſpina*, quum potius ſint reddenda ex poteſtate voculae *ἀπὸ*, *ex ſolitudine et vepreto*, ut accepit Cyrillus, qui verſionis Graecae ſenſum hoc modo exponit, relictis in tanta vaſtitate et ſolitudine agris et electiſſimis praediis, ſuperſtites paucos, ut quoquo modo tuti eſſent, ſe converſuros eſſe ad montes, eosque ſolos culturos; in illis enim ſolis tuto vivere poſſe, ut ſit in tempore magnae calamitatis et anguſtiae. Illuc itaque *non perventurum timorem*, ſed illa loca ſola vindicanda eſſe a ſentibus et vepribus, et convertenda in paſcua, ad vitam in iis conſervandam. Hieronymus hunc Verſum recte quidem ita vertit: *Et omnes montes, qui in ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror*

ſpina-

ſpinarum et veprium; et erit in paſcua bovis, et in conculcationem pecoris; ſed in ſenſu exponendo haud multum diſſidet a mente Graeci interpretis. Sic enim hunc Verſum cum ſuperiore enarrat: „Tantaque erit formido, ubique ſaevientibus gladiis, ut absque arcu et ſagittis nullus ſuum agrum inviſere audeat, et derelictis campeſtribus locis ad montana confugiant, ibique locorum difficultate muniti vix aſperos montes manu fodiant, quia boves, aratra et vomeres non habebunt. Sicubi ergo rarus cultor in montibus fuerit inventus, inde vitam miſerabilem ſuſtentabunt; cetera autem patebunt paſcuis, et absque ullo cuſtode a brutis animantibus conculcabuntur.“ Hebraei interpretes, et haec, ut antea Vs. 21. 22., accipiunt in meliorem partem, tanquam quibus deſcribatur felicitas, qua gauderent Judaei ſub Hiskia poſt vaſtitatem a Sanheribo illatam; atque adeo ea vel connectunt cum Vs. 22., ut Abarbenel, vel cum ſuperiore Verſu, ut Kimchi. Secundum eos itaque haec eſt ſententia verborum, *in inſtaurato illo ſtatu terrae ipſos quoque montes, qui olim* pro paſcuis aut arvis inſervierant colonis, antiquum rurſus obtenturos eſſe uſum, et vel colendos in arva, conferenda ad proventum, vel futuros in paſcua, pro lubitu coloni; nec venturum illuc amplius, ut tempore vaſtitatis, metum ſpinarum et veprium. Ita Abarbenel, rectius utique ex adſcita hypotheſi, quam Kimchi, qui vult, montes illos a ſpinis et vepribus liberatos, paſtinandos et ſarriendos, et tantam fore in terra proventus ubertatem, ut, etiamſi armenta et pecudes in eos immittantur, id neminem habiturum ſit ſollicitum. Similiter Saadias:

وَجَمِيعُ ٱلْجِبَالِ ٱلَّتِي تُرْفَقُ بِٱلْمَرِّ لَا يَدْخُلُهَا خَوْفُ ٱلْحَسَكِ وَٱلْقُرْطُبِ بَلْ تَكُونُ عَامِرَةً يُطْلَقُ فِيهَا ٱلْبَقَرُ وَيَدُوسُهَا ٱلْغَنَمُ أَمَانًا, *et omnes montes, qui per homines fodiuntur, eos non ingredietur metus*

ſpinae

spinae et tribuli, sed erunt culti; immittentur in eos boves conculcabuntque illos oves secure. Sed locum nostrum accipiendum esse in sequiorem sensum, et pertinere ad descriptionem vastitatis, satis arguit et nexus cum superioribus, in quibus clarissima vastitatis mentio, et quod hic montes illi dicuntur conculcandi a pecudibus. Nemo autem interpretum forsan cogitasset de his verbis accipiendis in meliorem partem, nisi haesissent in verbis לֹא־תָבוֹא שָׁמָּה יִרְאַת שָׁמִיר וָשָׁיִת, in quibus quum תָבוֹא acceperint pro tertia feminea persona, quae ad יִרְאַת pertineat, illa cum eo, quod Versu superiore dicitur, totam terram fore vepretum et senticetum, non facile conciliari posse putarunt. Eorum vero interpretum, quibus summa cum ratione staret sententia, continuari hic descriptionem terrae devastatae, quidam sensum fecerunt hunc, metum sentium et veprium non perventurum in montes remotos, quippe residui homines ad illos confugerent solos, ut in iis salutem quaererent, reliqua terra neglecta. Id proxime accedit ad sententiam Hieronymi. Sed obstat, quod mentio hic fit non de montibus adeo remotis, et olim neglectis, sed qui omnino sarculo pastinari et coli solerent. Ludov. de Dieu verba nostra sic interpretatur: *omnes montes, qui sarculo sarrientur, quo non veniet metus sentis et vepris, erunt in missionem bovis, et in conculcationem pecudis*, ut verba לֹא־תָבוֹא שָׁמָּה posita sunt pro אֲשֶׁר לֹא־תָבוֹא שָׁמָּה, „Vau," inquit, „in וְהָיָה non copulativum, sed illativum est, latine redundans. Egit duobus praecedentibus Versibus de vinetis in spineta ac vepreta convertendis; jam de montibus agit, qui segetibus conseri, adeoque sarculis sarriri, atque a noxiis expurgari solebant, ubi sarculis evelluntur vepres, si quae nasci videantur. At nec hi, ait vates, desolationem evadent. Si enim a vepribus nullus metus, immittentur armenta et pecora, quae segetes depascent et conculcabunt." Sed nulla sic datur ratio, quare illa loca montana, quae sarrientur sarculo, uno simul a colonis sepirentur, et ab immissione pecoris vindicarentur. Steudel quoque יִרְאַת

שָׁמִיר

שָׁמִיר וָשַׁיִת habet pro subjecto, quod dicunt, propositionis, quod verbo תָבוֹא, tertiae feminei generis personae, jungendum sit, sed verbis: *non veniet illic metus sentium et veprium* hoc significari existimat: non erit quod timeant spinae et vepres; libere poterunt germinare cunctaque obtinere. Quae imago nescio annon audacior sit, quam ut vel Orientalis poeta eam usurpaverit. Grotius per *timorem sentium et veprium* indicari opinatur *sepimenta* montium cultorum et feracium, quae confici solent ex sentibus et vepribus, quibus *terreri* sive arceri solent homines, ferae et pecudes, ne illa loca invadant, aut vastent, aut in ea pastum eant. Quare sensum vult esse hunc, montes illos, bene olim cultos, qui diligenter a suo domino implexis circum spinis, id est, vivis sepibus, muniti essent, ita a timido possessore fore neglectos, ut sublatis dumorum stimulis, nihil futurum sit, quod pecudem arceat, quo minus libere irrumpat. Interpretatio artificiosior, cui maxime hoc obstat, quod Versu superiore *sentes* et *vepres* ad descriptionem terrae desolatae et vastatae sunt adhibitae. Sed plana erunt omnia, si תָבוֹא pro secunda masculini persona habeas, et verba eo, quo nos supra, modo accipias.

ANNOTATIONIS
AD
CAP. VII.
ADDITAMENTUM I.

De annis LXV., intra quos regnum Ephraimiticum subvertendum praedicitur Versu 8.

Unde ducenda sit epocha annorum LXV., intra quos respublica Ephraimitarum denunciatur plane subvertenda et solvenda, et in quo desinant termino, quaestio est difficilis. Regnum Ephraimiticum post editum hoc oraculum duplicem accepisse cladem constat; alteram biennio circiter post hoc tempus, quando Tiglath-Pilesar, Assyriorum rex, ab Ahaso in auxilium vocatus, Pecacho florentissimam regni sui partem, Gileadem Trans-Jordanensem, et Galilaeam ademit, abductis in Assyriam incolis (2 Reg. XV, 29. 30.), obtruncato simul Pecacho a conjuratis, principe Hosea; quo tempore idem Assyriae rex Damascum cepit, Rezinem occidit, et Syros pariter in Assyriam et Mediam transtulit (2 Reg. XVI, 9.); alteram, quando Salmanassar sexto Hiskiae regis anno, ab edito hoc oraculo vicesimo primo, post Samariam expugnatam et destructam Ephraimitas reliquos in Assyriam abduxit, et rempublicam evertit (2 Reg. XVII, 3. 4.). Neutri convenit terminus hoc nostro loco definitus. Animadvertit hanc difficultatem jam HIERONYMUS indicata simul ratione,

qua suae aetatis Judaei hunc nodum expedire solerent: „Regnum decem tribuum, id est, populi Ephraim, post sexaginta et quinque annos esse cessabit. Quod nisi diligentius attendamus, stare non poterit. Duodecimo enim anno Achaz, filii Joatham, in tribu Juda, regnavit Osee super Samariam, et nono anno imperii sui captus est. Regnavit autem Achaz super Judam annis sedecim, post cujus mortem septimo anno imperii sui captus est Osee, et destructa Samaria, omnisque populus est traductus in Medos, ita ut si voluerimus sedecim annos Achaz, et septem Osee ponere, efficiantur anni viginti tres, aut ut multum, viginti quatuor; et ubi erunt sexaginta et quinque anni, in quibus regnum Israel dicitur finiendum? Igitur Hebraei hunc locum ita edisserunt, ut Amos, qui sub Ozia cepit prophetare, quando et Isajas prophetiae suae habuit exordium, primus prophetaverit contra Israel, dicens [Amos VII, 11. 17.]: *Israel autem captivus ducetur de terra sua.* Titulus quoque prophetiae ejus contra Samariam sit; et prophetare ceperit in diebus Oziae, regis Juda, ante duos annos terrae motus, quem volunt eo tempore accidisse, quo ingressus Ozias in templum Dei, sibi sacerdotium vindicabat, et terra percussa est, et cineres altaris essusi sunt, et ipse rex percussus est lepra. Volunt autem annum fuisse vigesimum quintum Oziae, quando haec acciderunt, cujus reliqui anni sunt viginti septem. Ozias enim regnavit annos quinquaginta duos, post eum regnavit Joatham, filius ejus, annis sedecim, et hujus filius, Achaz, annis aliis sedecim; post quem regnavit Ezechias, cujus sexto imperii anno capta Samaria est, atque ita effici simul annos sexaginta quinque.“ Eandem hanc a majoribus acceptam supputandi rationem tradit Jarchi, quocum consentiunt Aben-Esra et Abarbenel. Ita enim ille: „Supputa a prophetia Amosi, usque ad decem tribuum deportationem, et invenies illos sexaginta quinque annos. Vaticinium Amosi editum est biennio antequam Usias lepra percuteretur, sicut dicitur in Amoso [I, 1.]: *biennio ante terrae motum.* Usias autem leprosus

fuit

fuit XXV annis, en XXVII. Jotham regnavit XVI annis, et *decimo ſexto* Ahaſi, *ſexto* vero Hiskiae, qui eſt annus *nonus* Hoſeae, deportatus eſt Iſrael in Aſſyriam. En tibi LXV annos. Neque poſſunt hi LXV anni ſupputari a tempore editi hujus vaticinii. Editum enim eſt a Jeſaja Ahaſi tempore; illi vero ſexto Hiskiae anno ſunt deportati.“ Ab Amoſi vaticinio hos ſexaginta quinque annos computandos cenſet quoque Kimchi, etſi paulo diverſa inita ratione, qua afferenda, ne longus ſim, ſuperſedeo. Sed plane arbitrario illud ſumitur ab Hebraeis. Nullum prorſus noſtro loco indicium eſt, reſpici Amoſi oraculum. Quomodo vero perſuadere ſibi potuit Jeſajas, cogitaturos auditores vel lectores de epocha, plane extraordinaria, cujus ipſe ne verbo quidem meminit? maxime vero quum Amos prophetam praecipue inter Ephraimitas egerit. Neque admittit illam interpretationem particula בְּעוֹד; ea enim ſi cum futuri temporis verbo jungitur, ſignificat, periodum inchoare a tempore pronunciati ſermonis. Quare e noſtris interpretes plures ſtatuunt, hoc vaticinium referendum eſſe ad extremum reipublicae Ephraimiticae excidium, quod figendum arbitrantur non in deſtructa a Salmanaſſare republica, cum expugnata Samaria, Ephraimitae in Aſſyriam et Mediam ſunt abducti, ſed in eo temporis articulo, quo Aſſarhaddon, Sanheribi filius, novos colonos ex Babele, Hava, Cutha, Hamatha, et Sepharvaimis transtulit in ditionem Samaritanam et Ephraimiticam (2 Reg. XVII, 24.), qui reliquias gentis adhuc in terra ſuperſtites, quae aliquam adhuc reipublicae faciem retinuerant, ſua multitudine obruerunt, et cum iis confuſi atque commixti ſunt, ut illae pro populo, ab aliis diſcreto haberi amplius non potuerint, id quod verbis יֵחַת אֶפְרַיִם מֵעָם, *dejicietur Ephraim, ut non ſit amplius populus,* ſignificari volunt, quod majus quid eſſe putant, quam ſi ſimpliciter respublica exſcindenda dicta eſſet. Computum vero ita inſtituunt: poſt editum a Jeſaja vaticinium anni elapſi ſunt XXI ad finem regni Iſraelitici, XXIII ad initia regni Aſſarhaddini in Aſſyria, XVII ad

 occu-

occupationem regni Babylonici per eundem; IV ad ea tempora, circa quae provinciae Iſraeliticae inter plures colonos diſtributae nomen exſtinctum eſt, et nomen Iſraelitarum, ut genti peculiare, deſiit, quibus anni LXV efficiuntur. Commendata haec ratio praecipue eſt ab Usserio (*Annall.* V. T. ad annum 3327.), Des-Vignoles (*Chronologie de l'Hiſtoire S.* T. I p. 428. ſeqq.), Lowtho et Doederleinio. Verum ut taceamus, plura eſſe et in hac computandi ratione, quae pro lubitu ſumantur et ſine idoneo argumento; vix juſta reddi poterit ratio, cur vates, regni Ephraimitici excidium denunciaturus, ad translatos potius aliunde in Samaritidem colonos reſpexerit, quam ad caſum multo graviorem expugnatae Samariae, deſtructi regni, et deportatorum in Aſſyriam et Mediam Iſraelitarum. Quod autem illi urgent phraſin: *ut non ſit populus*, dubium non eſt, quin in ea magis quam par eſt quaerant. Ephraimitae vere deſierunt *eſſe populus*; quando ſoluta eſt reſpublica, deſtructum regnum, transportati in Aſſyriam incolae. Quod autem ſumunt, reliquias in terra ſuperſtites aliquam adhuc poſt illud tempus retinuiſſe faciem reipublicae, nullo nititur argumento. — Steudel ei interpretationi, quae LXV annos inde ab edito oraculo usque ad plene ſubvertendam rempublicam Ephraimiticam elapſuros ſupputat, grammaticum etiam uſum non favere judicat. Nam prophetae, ſi illud voluiſſet, potius ita dicendum fuiſſe: בְּעוֹד שִׁשִּׁים שָׁנָה וְחָמֵשׁ שָׁנִים. Sed vere monet Geſenius, poſt numeros compoſitos שָׁנָה tam ſaepe in Singulari uſurpari, ut id linguae uſum fuiſſe appareat; et eundem, qui hic, numerum, חָמֵשׁ וְשִׁשִּׁים שָׁנָה, legi Geneſ. V, 21. 22. Poſtquam nonnulla alia commemoraſſet Steudel, quae receptae verborum hebraeorum interpretationi obſtare exiſtimat, ita pergit: „Quum res ipſa poſtulare videatur, ut vates Achaſo non ita remotum auxilium annunciet, numerum LXV de *diebus* explicandum putavi, et שָׁנָה non ut Subſtantivum, ſed ut verbum vertendum: *res mutantur.* Et hac quidem rerum mutatione brevi ea regni Ephraimitici ſubverſio eveniet, ut po-

pulus

pulus non amplius haberi possit. Facilior etiam sensus erit, si puncta in שנה mutare non haesitaris, loco Kamez sub Nun posueris Cholem (שְׁנֹה), huncque Infinitivum junxeris τῷ יֵחַת: elapsis sexaginta quinque, nec pluribus, diebus subinde ita frangetur (s. frangi incipiet) Ephraim, ut non sit populus. In priori proposita explicatione subjectum τῷ שָׁנָה addendum desideratur; Ephraim si subaudire voluerimus, sequens יֵחַת per copulam ו debebat jungi. In altera explicatione haec difficultas tollitur, et usitatior *iterandi* quam *mutandi* verbo שָׁנָה est significatio." Sed שְׁנֹה *subinde*, *iterum* significare, linguae usu probari haud potest. Ut vero post שִׁשִּׁים וְחָמֵשׁ subaudiamus יָמִים, *dies*, causa idonea non est. Nam vatem auxilium Ahaso promissum in multo longius quam LXV dierum temporis spatium differre, patet e Versibus 14. 16.

Quia igitur nulla idonea hoc oraculum cum historia conciliandi apparet ratio, fuerunt, qui verba hebraea in mendo cubare existimarent. Ei vero sanando remedia adhibuere alii alia. Ludov. Cappellus (*Crit. S.* p. 992. edit. Hal. et in *Nott. Critt. in Jesaj.* quae leguntur in *Operibus* ejus *posthumis*, p. 497.) pro שִׁשִּׁים reponendum שֵׁשׁ arbitratur, ut sensus sit: *intra annos sex et quinque*, hoc est, *undecim*, *confringetur Ephraim*. Fidem facit conjecturae ex historia, quae exacte, ut existimat, respondet prophetiae. Ea enim quum ineunte Ahasi anno secundo sit edita, biennio fere ante Pecachi obitum, Hoseae vero, Pecachi successoris, anno nono expugnata sit Samaria, et deportatus populus (2 Reg. XVI, 4. XVII, 6. XVIII, 10.), effici annos undecim. Placuit id Grotio et J. D. Michaeli quoque, qui hanc conjecturam in versione oraculorum Jesajae teutonica expressit. Sed talem emendationem non admittit Hebraicae linguae indoles, quae numeros infra *decem* nunquam adjungit ad alios item infra *decem* numeros, ut ex duobus simul junctis una summa efficiatur, quaeque numerum *undecim annorum* non alio modo enunciat nisi hoc:

אַחַד

אַחַד עֶשְׂרֵה שָׁנָה, vel hoc: עַשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה שָׁנָה. Vitringa in apographo scribarum sacrorum verba nostra per compendium ita exarata fuisse conjicit: וּבְעוֹד שֵׁשׁ י׳ וְחָמֵשׁ שָׁנָה, *et adhuc sedecim et quinque anni, et attereretur Ephraim,* pro eo quod plene scribi debebat וּבְעוֹד שֵׁשׁ עֶשְׂרֵה וְחָמֵשׁ שָׁנָה, litera י per compendium scripta pro עֶשְׂרֵה, *decem.* Librarios vero accepisse literam י tanquam partem vocis שֵׁשׁ, cui proxime adhaerebat, et ex שֵׁשׁ י׳ fecisse שִׁשִּׁים, quod olim per compendium scribebatur ששי׳, cum virgula supra י, ut Rabbini hodieque passim non solent exprimere ם finale pluralis numeri. Sic itaque ex שש י׳, quod valet שֵׁשׁ עֶשְׂרֵה, *sedecim,* factum esse שִׁשִּׁים, *sexaginta,* quum prophetae sententia sit, spatio *sedecim et quinque* annorum, id est, *unius et viginti,* Ephraimum *desiturum esse populum,* i. e. exscindendam esse rempublicam. Tantum vero temporis inter editum hoc oraculum et expugnatam a Salmanassare Samariam intercessisse, probat Vitringa hoc modo: Ahasus regnavit XVI annos (2 Reg. XVI, 2.), quorum initio propheta haec vaticinatus est; Hiskiae vero, filii ejus, anno sexto capta est Samaria, et respublica Israelitica per Salmanassarem destructa (2 Reg. XVIII, 10.). Quod suae conjecturae obverti posset, praeter receptum loquendi usum esse, ut quis pro *uno et viginti* dicat *sedecim et quinque,* ei Vitringa occurrit hac ingeniosa observatione, designari illa a vate usurpata formula distinctos regiminis Ahasi et Hiskiae annos. Ille nimirum regnavit XVI annos, cujus primus nondum decucurrerat, cum propheta hoc vaticinium ederet, et Hiskias *quinque,* antequam haec evenirent. Verum et illa difficultate sublata manet non unum, quod urget Vitringianam sententiam. Primo, plane est incertum, antiquissimis temporibus in more fuisse, numeros indicandi per literas. Demus vero, receptum fuisse Jesajae tempore illum numeros exprimendi modum, estne credibile, numerum compositum ita expressum esse, ut voci unius numeri plene exaratae adjiciatur alterius numeri sola nota? Quis numerum *sexdecim* scripturus ponat VI *decem?* aut

sex

ſex X? Neque quod Vitringa ſumit cum Cappello, incidiſſe bellum illud conjuratorum contra Ahaſum regum Syriae et Ephraimitidis in primum Ahaſi annum, admodum eſt probabile, propter bellum 2 Chron. XXVIII, 5. commemoratum perquam triſte regno Judaico (vid. ſupra p. 231.), quod ex ſententia ipſius Vitringae eo, de quo hic loquitur Jeſajas, prius eſſe debuit. Vix autem dubitari poteſt, quin unus alterque annus inter utrumque bellum interceſſerit. Liberiore critica in hoc loco emendando uſus eſt Hubigantius. Is enim Verſu 8. pro iis, quae nunc leguntur, vocabulis, וּבְעוֹד שִׁשִּׁים וְחָמֵשׁ שָׁנָה יֵחַת אֶפְרַיִם מֵעָם, ſubſtituit haec: וּבְעוֹד שְׁלֹשׁ שָׁנִים יֵחַת אֲרָם מֵעָם, *et adhuc tres anni, et delebitur Syria ex albo populorum.* „Conjectura," inquit, „haec nititur *primo* in ſerie ipſa orationis, quae non modo manca erit, ſi de Syria nihil aliud dicetur, quam *caput Syriae eſſe Damaſcum, Damaſci Raſin*, ſed quae etiam poſtulat notari, Syriam poſt paucos annos everſum iri, quomodo infra notatur, regnum Ephraim non jam fore ullum poſt annos ſexaginta quinque; ſecundo, in antedictis, quia cauſa exprimitur, propter quam Syriae in Judam conſilia irrita ſint futura; tertio, in infra dicendis, in quibus docetur, terram Juda immunem fore, antequam puer, qui mox naſcetur, ſat annorum habeat, ut ratione poſſit uti, i. e. priusquam ſit trium annorum; quarto, in ipſa hiſtoria, in qua deinde narratur, regem Theglatphalaſar, ab Achaz in ſui auxilium vocatum, veniſſe in Syriam, Raſin regem interfeciſſe, ac Syriae regnum deleviſſe, ad quod bellum conficiendum tres anni ſatis erant." Ut vero huic contra Syriam oraculo aequale fiat alterum contra Ephraimum, Hubigantius Verſu 9. poſt nomen רְמַלְיָהוּ inſerenda cenſet haec verba: וּבְעוֹד חָמֵשׁ עֶשְׂרֵה שָׁנָה יֵחַת אֶפְרַיִם מֵעָם, *ſed poſt annos quindecim Ephraim ex albo populorum delebitur;* „qui anni XV additi ad annos III, quibus elapſis interiturus eſt Raſin, conficiunt annos XVIII, qui effluxerunt ab anno quarto Achaz, quo hoc loquutus fuerit Iſajas, ut habeas ab initio regni Achaz usque ad captam Samariam annos XXII."

Verba,

Verba, quae Vs. 8. iis, quae nunc leguntur, ſubſtituenda vult, וּבְעוֹד שְׁלֹשׁ שָׁנִים וגו׳, tam ſimilia eſſe ait iſtis, quae ex ipſius conjectura de Ephraimo dicuntur, ſeu inchoantibus, ſeu deſinentibus, ut ſimilitudo ipſa erroris hic commiſſi demonſtret cauſam, nempe ſcribam ſemel tantum haec poſuiſſe, quae bis, et fere ſimilia ſcripta fuerint. Aequale utrumque contra Syros et Ephraimitas oraculum reddere ſtudet, quamvis ratione paulo diverſa, et A. F. Pfeiffer in peculiari ſuper noſtro loco Commentatione, quae legitur in *den Kritiſchen Nachrichten von kleineren theolog. philoſoph. hiſtor. und philolog. Schriften* a Theoph. Chr. Harleſs editt. Norimb. 1782. P. I. Faſc. I. p. 7. ſeqq. Numerum שִׁשִּׁים וְחָמֵשׁ, qui Verſu 8. nunc legitur, ita dividendum cenſet, ut שִׁשִּׁים ad Ephraimum, חָמֵשׁ vero ad Syriam ſit referendum. Illud vero concedi ab omnibus exiſtimat, Verſus octavi hemiſtichium alterum loco ſuo motum eſſe, et pertinere ad Verſum nonum, quod autem Verſus octavi olim exſtiterit hemiſtichium alterum, excidiſſe. Id igitur hoc modo reſtituit: וּבְעוֹד חָמֵשׁ שָׁנִים יֵחַת אֲרָם מֵעָם, Verſui nono vero poſt nomen רְמַלְיָהוּ haec inſerit verba: וּבְעוֹד שִׁשִּׁים שָׁנָה יֵחַת אֶפְרַיִם מֵעָם. Aliam noſtrum locum medendi rationem propoſuit H. E. G. Paulus in *Clavi Jeſajana.* Is poſtquam expoſuiſſet quae vulgo receptae annos LXV computandi ratione obſtant, obſervaſſetque, minime in uſu fuiſſe vatibus, numeros ejusmodi definitos ponere (numeros enim *tres, ſeptem, ſeptuaginta,* quae paſſim in oraculis occurrunt, eſſe pro indefinitis et latius accipiendis habendos), verba שִׁשִּׁים וְחָמֵשׁ interpolata judicat, et proinde plane tollenda, porro poſtrema Verſus octavi voce מֵעָם, et Verſus noni prima, וְרֹאשׁ, aliter diſtinctis, hoc modo: מֵעִמּוֹ: ראשׁ; Verſus octavi hemiſtichium alterum ita legendum praecipit: וּבְעוֹד שָׁנָה יֵחַת אֶפְרַיִם מֵעִמּוֹ, quorum verborum ſenſum facit hunc: *intra annuum ſpatium avulſus erit Ephraim ab eo,* Syro, deterrebitur a foedere cum eo iciendo.

Habes conjecturas varias, quibus perlectis multo eris incertior, quam fueras antea. Mihi vero contra codicum om-

omnium, quotquot inſpecti ſunt, contra verſionum veterum omnium fidem textum hebraeum pro lubitu mutare, res videtur eſſe aleae plena. Minime igitur mihi dubium, genuinum eſſe id, in quo libri omnes conſentiunt. Fruſtra tamen quis e monumentis hiſtoriae veteris demonſtrare allaboret, inter editum hoc oraculum et regni Iſraelitici everſionem interceſſiſſe LXV annos. Reſpexit, ut mea fert opinio, Jeſajas celebre aliquod illis temporibus vaticinium, quo regni Iſraelitici interitus definitus eſſet atque terminus, ad quem illo ipſo, quo vates loquebatur, temporis articulo LXV annorum ſupererat ſpatium. Judaei autem ſeriores quum ejusmodi oraculum quaererent inter ea vaticinia, quae in V. T. libris literis ſunt conſignata, nullum reperiebant aliud, quod tanto jure huc referri poſſit, quam illud Amoſi VII, 11. 17. Et, hinc enata forſan illa LXV noſtri vaticinii annos computandi ratio, Judaeis jam Hieronymi aetate recepta, jam ſupra attulimus. A noſtra ſententia haud longe diſcedit Gesenius, niſi quod, quum ſibi vix perſuadeat, Jeſajam annos tam ſcrupuloſe computaſſe, verba illa, quae poſterius Verſus 8. hemiſtichium conſtituunt, ab alio quodam, Jeſajae contemporaneo, codici ſuo ex aliquo antiquiore oraculo, in quo numerus ſeptuagenarius, prophetis uſitatior, exſtiterit, ad marginem adſcripta fuiſſe exiſtimet, detractis tamen quinque annis, qui tum jam effluxerint. Interpolata, addit, eſſe verba illa, arguere et illud, quod ſeriem quatuor membrorum Verſum 8. 9., quae ſingula nomine ראש incipiunt, interrumpunt, et quod illud LXV annorum ſpatium, intra quod regnum Ephraimiticum evertendum fuerit, haud convenit cum rerum geſtarum veritate, id quod jam ſupra, hujus Additamenti initio, oſtendimus.

ANNO-

ANNOTATIONIS
AD
CAP. VII.
ADDITAMENTUM I.

De Immanuele virgine nasciturо, Vs. 14

ANDREAE SENNERT *Exercitatio Rabbinico-Philologica ex oraculo Jesaj. VII,* 14. Viteb. 1651. 4.

JOA. SAUBERTI Dissertat. *de Haalma matre Immanuelis, ad insignem prophetiam Jesaj. VII,* 14. 15. 16., Helmstad. 1664. 4. Recusa in Auctoris *Palaestra Theologico-Philologica, sive Dissertatt. academicar. Tomo singular.,* Altdorf. 1678. 4. p. 130. seqq.

JOA. DEUTSCHMANNI *Dissertat. de conceptione et nativitate temporali Messiae,* Viteberg. 1664.

JOA. FRID. SCHARFII Dissertat. *de* העלמה, *virgine miranda prorsus ratione filium paritura,* Viteberg. 1673. 4.

CHRISTOPH. LOCHNER *Dissertatio de loco classico Esajae VII,* 14.; in *Thesauro Theologico-Philologico, sive Sylloge Dissertationum elegantiorum ad selectiora et illustriora V. et N. T. loca,* Amstelod. 1701. Vol. I. p. 691. seqq.

SAM. ANDREAE *Dissertat. de Nativitate Immanuelis, Jes. VII,* 14.; ibid. p. 697. seqq.

JOA. DAV. CLODII Dissert. *de conceptu et partu virgineo,* Gissae, 1685. 4.

HENR.

Henr. Kirschgart (Praef. J. A. Danz) עלמה יולדת, *sive partus virginis miraculosus, ex Jesaj. VII,* 14., Jenae, 1700. 4.

Campeg. Vitringa *Observatt. SS.* L. V. C. I. II.

Jo. Georg. Abicht Differtat. *de Immanuele e virgine nascituro,* Viteberg. 1717. 4.

Joa. Frid. Bornebi Progr. *ad Esaj. VII,* 14., Lipf. 1751. 4.

Andr. Georg. Waehner Differt. *Jesum Christum Immanuelem Jesaj. VII,* 14. *Matth. I,* 22. *contra Judaeos defendens,* Gotting. 1755. 4.

Joa. Ehrenfr. Pfeiffer Progr. *Immanuelem non geminum, sed unicum, Jesum Christum, ex Jes. VII,* 14. *et Matth. I,* 22, 23. *proponens,* Erlang. 1761. 4.

Dissertation on Isajah VII, 13—16. *by* Benjam. Kennicott; London, 1767. 8.

Christ. Frider. Schmid *Vindiciae nativitatis Christi e matre virgine ad Esaj. VII,* 14. 15. Progr. Viteberg. 1773. 4.

Moralisch-kritische Vertheidigung der wichtigsten Weissagungen Esaj. 7, 14—16. *und Cap.* 8, 1—3., *wider alle unrichtige Auslegung derselben, den Zweiflern zur Untersuchung, und allen Freunden der Wahrheit zur Befestigung,* Hamburg, 1773. 8.

Johann Lorenz Isenbiehl's *Neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel,* (Gótting.) 1778. 8. De controverfiis ob hoc fcriptum motis vid. *die Neuesten Religionsbegebenheiten mit unpartheyischen Anmerkungen,* Vol. I. II. III., et C. Guil. Fr. Walch's *Neueste Religionsgeschichte,* P. VIII. p. 9. feqq.

Ausführliche Rechtfertigung der Gründe für die Erklärung der Stelle Jes. VII, 14. *auf Jesum und Mariam, sammt einer Beleuchtung des Isenbiehlschen Neuen Versuchs,*

fuchs; verfasst und mitgetheilt von Joh. Jung, Heidelb. 1778. 8.

Gespräch zwischen Isenbiehl und Jung, Francof. et Lips. 1778. 8.

Katholische Betrachtungen über die zu Mainz, Heidelberg und Strasburg wider den Isenbiehlschen Versuch vom Emmanuel ausgebrachten theologischen Censuren, nebst einem Salzburger Faculäts-Gutachten. Zur unpartheyischen Prüfung rechtschaffener Theologen, und zur heilsamen Warnung unbesonnener Ketzermacher, Frankf. und Leipz. 1778. 8.

Francisci Christoph. *de et in* Zwerger *Vindiciae vaticinii Isajae VII,* 14. *de Emmanuele*, Friburg. 1779. 8.

Frid. Guil. Dresdii Progr. *ad eruendum verum sensum vaticinii de Christo Immanuele ipsis solemnibus natalit.* J. C. *sacris propositum*, Viteberg. 1780. 4.

Neuer Versuch über den Immanuel beym Jesajas Cap. VII, 14. *Siehe eine Jungfrau ist schwanger* u. s. w. *nebst einem Anhang, darinn die wahre Periode der Klaglieder Jeremiae bestimmt ist, von D.* Joh. Balthas. Lüderwald. Helmstädt, 1783. 8.

Joa. Christoph. Pflücke Commentat. *de* אמנו אל *Jes. VII*, 14. Lips. 1786. 4.

A new Essay on the celebrated prophecy Isajah VII. 14—16. *compared with the Gospel of Matth. I*, 18—23. *by* Phil. Dav. Krauter, Bath., 1788. 8. Vid. J. D. Michaelis *Neue Oriental. und Exeget. Biblioth.* P. VI. p. 1., et J. G. Eichhorn *Allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* P. I. p. 979.

Jo. Gottfr. Hasse Progr. *Jesus Immanuel* πληρωθεις *apud Jesajam VII*, 14. *seqq. et Matthaeum I*, 18. 23. P. I. II. Regiomonti, 1792. 4.

Jo. Gerar. Greveri Commentat. *de Immanuele*, in ejus *Commentationum miscellanearum Syntagmate*, Oldenburg. 1794. 8. Vid. Eichhorn *Allgem. Biblioth.* P. VI. p. 360.

Ueber

Ueber die Geburt des Heilandes von der Jungfrau, Jesaj. VII, 14. *Mich. V,* 1. 2. *Matth. I,* 18—23. *Luc. I,* 26—36. *Eine exegetisch-historische Untersuchung von* E. F. K. Rosenmüller. *In dem Journal für auserlesene theol. Literat.* edit. a J. P. Gabler, V. II. partic. 2. Norimb. 1806. 8.

Planum et simplicem nostri oraculi sensum, quem supra in Annotatione enarravimus, obscuratum deprehendimus jam primis rei Christianae temporibus a Judaeis contra Christianos disputantibus. Christianis enim hoc vaticinio Jesum Maria virgine natum praenunciari perhibentibus (Matth. I, 18—23. Luc. I, 26—36.), ut Judaei grave argumentum eriperent, quo divinitus missum esse Jesum probare illi solebant, Hiskiam potius, aut alium Jesajae aetate nasciturum puerum innui contenderunt. Ita secundo Christiano seculo Judaeus, quem secum disserentem inducit Justinus Martyr (*Dial. cum Tryphone* p. 262. edit. Lips.) et doctores tunc temporis Judaici celebre hoc oraculum exposuerunt. Ἐπεὶ δὲ, inquit Justinus, *ὑμεῖς καὶ οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν τολμᾶτε λέγειν, μηδὲ εἰρῆσθαι ἐν τῇ προφητείᾳ τοῦ Ἠσαΐου· ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, ἀλλ' ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ ἐξηγεῖσθε τὴν προφητείαν ὡς εἰς Ἑζεκίαν τὸν γενόμενον ὑμῶν βασιλέα, πειράσομαι καὶ ἐν τούτῳ καθ' ὑμῶν βραχέα ἐξηγήσασθαι κ. τ. λ.* Eandem interpretationem profert Hieronymus, simulque vero refutat: „Hebraei," ait, „hoc de Ezechia, filio Achaz, prophetari arbitrantur, quod ipso regnante sit capta Samaria, quod omnino probari non potest. Siquidem Achaz, filius Jotham, regnavit super Judam et Hierusalem annis sedecim, cui successit in regnum filius ejus Ezechias annos natus viginti quinque, et regnavit super Judam et Hierusalem annis viginti novem. Quomodo ergo, ut demus primo anno Achaz hanc ad eum factam prophetiam, de Ezechiae conceptu dici-

dicitur et nativitate, quum eo tempore, quo regnare coepit Achaz, jam novem Ezechias esset annorum? nisi forte sextum Ezechiae regni annum, quo est capta Samaria, infantiam ejus appellari dicant, non aetatis, sed imperii. Quod coactum esse atque violentum, etiam stultis patet." Recentiores Judaei interpretes alio se vertunt. Et JARCHI quidem, qui ipse refellit hanc suorum sententiam, qui ex Hiskia faciunt Immanuelem, virgine, quae Immanuelem sit paritura, uxorem prophetae intelligit, quae VIII, 3. נְבִיאָה, *prophetissa*, dicitur. Hoc modo autem hujus loci interpretationem instituit: „Uxor mea juvencula (עַלְמָה) concipiet hoc anno, qui fuit regni Ahasi quartus, filiumque pariet, quem ob mox futuram liberationem, quam divino concita motu praesagit, Immanuelem vocabit, i. e. rupes nostra erit nobiscum. Id igitur est signum (אות) promissum, quod femina admodum juvencula, quae numquam antea est vaticinata, afflatu divino ventura videbit. Neque enim uxor prophetae נְבִיאָה vocatur, nisi ipsa quoque sit fatidica." Eadem fere ABEN-ESRAE est sententia, qui tres recenset filios Jesajae, symbolica omnes nomina gerentes, Schear-Jaschubum (supra Vs. 3.), Immanuelem, et, qui deinceps occurret, Maher-Schalal-Chasbazum, de quibus ipse propheta VIII, 18. *En me et pueros, quos mihi Jova dedit, sumus signa et prodigia in Israele.* Eadem est J. E. FABRI (ad Harmeri *Observatt. super Oriente* a se teutonice factas et notis illustratas P. I. p. 280.), PLÜSCHKII (*Analecten* P. I. partic. 2. p. 66.), et GESENII sententia. Similem interpretationem affert HIERONYMUS: „Quidam de nostris Jesajam prophetam duos filios habuisse contendit, Jasub et Emmanuel, et Emmanuel de prophetissa, uxore ejus, esse generatum, in typum Domini Salvatoris." Haud longe diversa GROTII opinio, nisi quod is Immanuelem eundem velit esse puerum, qui appellatus mox est Maher-Schalal-Chasbaz (VIII, 3.), duplici videlicet nomine prophetico insigniendum. Verum hanc sententiam, quae עַלְמָה facit *conjugem Jesajae*, solide refellit Kimchi, duobus argumen-

gumentis, quae speciem omnem illi adimunt. Primum est, si propheta hic loquutus esset de conjuge sua, illam vocasset נְבִיאָה, *prophetissam*, ut infra VIII, 3. Quis enim credat, prophetam, si de sua loquutus esset conjuge, non eam designaturum fuisse nomine aliquo, quo cognosci et ab aliis feminis dignosci possit? Imo si vel maxime, quod Grotius vult, loquutus esset de virgine aliqua, ab ipso adsciscenda hoc tempore in conjugium; debuisset utique eam certa aliqua nota sic describere et designare, ut alii intelligere possint, illum de sua potius conjuge, quam de qualicunque alia loqui. Alterum Kimchii est: non posse hanc sententiam consistere cum loco VIII, 8., ubi propheta verba faciens de Assyriis ait: *Extensiones alarum ejus implebunt latitudinem terrae tuae, o Immanuel!* Patere inde, per Immanuelem intelligi personam aliquam illustrem, *cujus* dici possit *esse Judaea,* qui non potest esse minor filio regis. Neque tamen, quod ipse Kimchi contendit, עַלְמָה esse Ahasi conjugem, magis est probabile. Eam enim simpliciter eo nomine appellasse, vix est credibile. Cur enim non dixisset, quod quilibet alius in tali casu diceret: *conjux tua?* Vel, si de regina loquutus esset, cur eam non potius appellasset מַלְכָּה, *reginam*, aut גְּבִירָה, *dominam, augustam*, quae appellationes usu fuerunt receptae? Ipsi quoque Kimchio obstat locus VIII, 8. ab eo productus, quo alios oppugnat. Si enim hic intelligatur alius quidam Ahasi filius quam Hiskias, quo modo *ejus* dici potest fuisse terra Judaea? Hiskias enim solus fuit regni haeres. Veteres Judaei quum id animadverterent, hic Hiskiam designari dixerunt. Verum id jam refutavit Hieronymus, cujus verba supra attulimus, refelluntque ipsi Judaei recentiores, ut antea monuimus. Parum praeterea videri queat probabile, Ahasum, vel conjugem ejus, si vel maxime detur designari per עַלְמָה, puerum aliquem in suo domo nasciturum vocaturum fuisse Immanuelem. Illum, inquam, Ahasum, quem constat exigua fuisse in Deum fide. Gravissimum vero quod utrique, vel de Jesajae, vel de Ahasi conjuge, expositioni obstat, est illud,

quod

quod עַלְמָה de *nupta* femina ex uſu loquendi intelligi plane nequeat, ſed *virginem* denotet. Nihil eſt, quod obvertunt Hebraei, et Chriſtianorum ii, qui Immanuelem prophetae filium faciunt, nomen עַלְמָה ſolummodo reſpicere *aetatem*, non *ſtatum* feminae, *virginalem* aut *conjugalem*, ſignificare igitur *feminam juvenem*, ſive *nuptam*, ſive *innuptam*, perinde ac עֶלֶם deſignat *adoleſcentem*. Hinc eſt, quod Aquila et Theodotion, proſelyti Judaei, voce ad interpretandum עַלְמָה νεᾶνις ſunt uſi: vide quem ſupra attulimus Juſtini Martyris locum. Verum probat conſtans vocis uſus in V. T. עַלְמָה numquam de *nupta*, ſed ubique de innupta femina dici. Occurrit praeter noſtrum locum ſexies. Primo Geneſ. XXIV, 43., ubi de Rebecca nondum nupta, quae Vs. 16. בְּתוּלָה וְאִישׁ לֹא יְדָעָהּ *virgo, quam vir non cognovit*, dicitur, tum Exod. II, 8. de innupta Moſis ſorore adhibetur. Tertio loco Pſ. LXVIII, 26. עֲלָמוֹת ſunt puellae, quae inſtrumentis muſicis Deum celebrant. Porro Cantic. I, 3., ubi עֲלָמוֹת ſponſum amare dicuntur, nemo facile de uxoribus cogitabit, et Cant. VI, 8., ubi עֲלָמוֹת diſtinguuntur a מְלָכוֹת *reginis*, et פִּילַגְשִׁים *concubinis*, illae vix aliae, niſi *virgines* eſſe poſſunt. Unus reſtat locus, valde vexatus, Proverb. XXX, 19., quem urgent, qui contrariam ſententiam defendunt. Illo loco inter quatuor occulta et imperveſtigabilia recenſetur דֶּרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה, ubi עַלְמָה Judaei eandem volunt eſſe, quae Vs. proximo dicitur אִשָּׁה מְנָאָפֶת, *femina adultera*, ad eam enim applicari, quae Paroemiaſtes de עַלְמָה dixerat. Verum hanc ſcriptor a femina adultera manifeſte diſtinguit; tantum illius exemplum ad hanc transfert. Locus agit de furtivis et clandeſtinis amoribus, et congreſſu, quem vir cum *puella innupta* exercet, nemine praeter amantes conſcio, dum interea illa pro virgine habetur, et quid vitii ſibi haereat, ita diſſimulat, ut ab aliis id fruſtra perveſtigetur. Eſt igitur quae hic עַלְמָה, *virgo*, dicitur, talis ex communi fama, judicio, et opinione aliorum. Nolumus cum pluribus ſuperioris aetatis interpretibus *virginis* notionem voci עַלְמָה vindicare ex ejus etymo, etſi ſpecioſum ſit.

ſit. Obſervant, עַלְמָה eſſe ab עלם, cujus forma Niphal, נֶעְלָם, *absconditum*, *occultum eſſe*, *ignorari*, deſignat, ut עֲלוּמִים *ignorata*, *occulta*, quae notio in omnibus vocibus derivatis regnat. Eam vero etymologiam *ſoli convenire virgini*, quae ſic appellata ſit, vel, quod neſcia conſuetudinis virilis *occulta* hactenus et *tecta* habeat, quae honeſtas alii, quam marito, revelari vetat; vel quod, pro more veterum, *domi lateat* et *occultetur*, non verſata in publico, ſed ſub oculis matris aut cuſtodis clam aliis ſervetur, cujusmodi virgines appellarunt *κατακλείστους*, *concluſas* (2 Maccab. III, 19. 3 Maccab. I, 18.), ut contra *meretricem* Chaldaei נָפְקַת בָּרָא, *prodeuntem foras*, in publico verſatam, vocarit; et hac ipſa de cauſa עֶלֶם notare *adoleſcentem*, nondum ad modum rei publicae, ſed *domi* hactenus ſub oculis parentum latentem et educatum, quem veterum morem ad vindicandam voci עַלְמָה *virginis* ſignificationem pluribus illuſtrarunt Casaubonus (*Exercitatt. ad Baronii Annales* p. 106. ſeq.), Grotius (*ad Matth.* I, 23.), et Huetius (*Demonſtrat. Evangel.* Propoſ. IX. Cap. IX.). Ita jam Hieronymus in *Commentar.* ad h. l.: „*Alma* non ſolum *puella*, vel *virgo*, ſed cum *ἐπιτάσει virgo abscondita* dicitur et *ſecreta*, quae numquam virorum patuerit adſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit." Et idem in libro de *Traditionibus Ebraicis*: „*Alma*, quod interpretatur *abscondita*, id eſt, virgo nimia diligentia cuſtodita, majoris mihi videtur laudis eſſe quam virgo. Virgo quippe, juxta Apoſtolum, poteſt eſſe corpore, et non ſpiritu. Abscondita vero, quae virgo eſt, *ἐπίτασιν* virginitatis habet, ut et virgo ſit, et abscondita; et quae abscondita eſt, juxta idioma linguae Ebraeae, conſequenter et virgo eſt; quae autem virgo, non ſtatim ſequitur, ut abscondita ſit." Ejusmodi tamen ex etymologia petitis argumentis, utpote perquam incertis, parum tribuendum videtur; praeſertim quum Arabica dialectus aliud etymon offerat non minus, aut forſan magis commodum, غَلِمَ, *coëundi cupidus*, *libi-*

dinosus fuit, unde غُلَامٌ *adolescens a nativitate ad juventutem*, et *juvenis plenae aetatis, cui ala barbae labiorum emergat*, cujus nominis femininum est غُلَامَةٌ *adolescentula*. Sed nobis, uti diximus, sufficit *usus loquendi*, qui עַלְמָה de *puella innupta* usurpat, seu virgo sit, seu talis censeatur, neque unquam adhibet in puella, quae sit uxor. Intellexisse autem Jesajam, cum haec loqueretur, *virginem parituram*, verba ejus ipsa demonstrant. Nam eodem hic loquitur modo, quo postea VIII, 3., cum dicit, *prophetissa concepit et peperit filium*, jungens נְבִיאָה, *prophetissa*, verbis וַתַּהַר וַתֵּלֶד, et partum attribuens ei feminae, quae sit uxor, cum parit. Ergo similiter attribuit nunc partum ei feminae, quae sit virgo, non quae antea fuerit. Ita omnes loquuntur; nec dicat maritus, *mea virgo peperit*, cum dicere vellet, *mea uxor peperit*, etsi uxorem suam duxerit virginem. „Lingua quoque Punica, ait Hieronymus, quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie *virgo* *alma* appellatur." Additque paulo post: „Et quantum cum mea pugno memoria, numquam me arbitror *alma* in muliere nupta legisse, sed in ea quae virgo est; ut non solum virgo sit, sed virgo junioris aetatis, et in annis adolescentiae." Quod vero praecipuum est, huic vocis עַלְמָה usui h. l. suffragatur ipsius rei indoles, atque extra dubium collocat, proponi virginem parturientem tanquam Immanuelis matrem. Nisi enim partum miraculosum intelligas, quem Deus ipse signum non interiturae domus Davidicae constituat, nemo dixerit, quid illud sit in hac prophetia, quod sustineat locum et vicem *signi* sive *prodigii*. Par est credere, prophetam hac voce eodem sensu uti, quo eam usurpaverat Vs. 11., ubi manifeste sumitur de signo aliquo *prodigiali*, non memoriali, sive verbali, vel qualicunque alio. Quis vero *signi prodigialis*, aut miraculi loco habeat, si ex congressu viri evadit gravida, quae virgo esse desiit? Recte Hieronymus: „Quando dicitur: *dabit Dominus ipse*

vobis

vobis signum, novum debet esse atque mirabile. Sin autem juvencula, vel puella, ut Judaei volunt, et non virgo pariat, quale signum poterit appellari, quum hoc nomen aetatis sit, non integritatis?" Gemina his habet Theodoretus in *Commentario* ad Vs. 14. Item Irenaeus (*adversus Haeresis* L. III. c. 21. §. 6.): „Quid enim magnum, aut signum fieret in eo, quod adolescentula, concipiens ex viro, peperisset, quod evenit omnibus, quae pariunt, mulieribus?" Nec non Tertullianus (*adversus Judaeos*, c. 9.): „Signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstrosa fuisset, signum non videretur." Et paullo post: „Nihil signum videri possit res quotidiana, juvenculae scilicet praegnatus et partus." Haerent hic Hebraei, et Christiani interpretes illi, qui עַלְמָה de *nupta femina* capiunt, neque quomodo sese expediant, facile inveniunt. Jarchi, ut vidimus, signum in eo constituit, quod uxor vatis, juvenis adhuc, tempore partus corriperetur a spiritu prophetico, et ipsa prophetis facta nomen Immanuelis, futuram liberationem ab hostibus praesagiens, filio inderet. Kimchi *signum* facit hoc, quod nascendus puer a primo nativitatis tempore vesciturus sit butyro et melle, cum ille judicii discrimine, ut *dulcia* sit admissurus, rejecturus vero *amara* et insalubria. Aben-Esra signum tum ponit in ipso nomine Immanuelis, tum in eo, quod puer, quam primum natus esset, mox vesciturus sit butyro ac melle, id enim non esse de more recens natorum. Idem recenset et rejicit simul Saadiae sententiam, signum quaerentis in *partu masculo*, quem jam hoc tempore vates praedixerit. Abarbenel signum ponit tam in nomine Immanuelis, quam in eo, quod vates simul hoc tempore indicaverit Ahaso, uxorem ejus, vel filiam tenellae aetatis, nuptam tamen, jam nunc esse gravidam, et enixuram foetum. Grotius signum arbitratur fuisse illud, quod propheta ipse congrederetur circa id temporis cum femina, quae tum adhuc virgo esset, sed nupta prophetae partum ederet masculum, qui symbolicum ferret nomen et *Immanuelis* et *Maher-Schalal-Chas-bazi*, in signum

instantis liberationis. Sed quam frigide haec omnia dicantur, quam sint exilia, et longe infra exspectationem, quam propheta magnificis verbis Ahaso et populo fecerat, unusquisque, et nobis non monentibus, sentiet ipse. Miror, Steudelium, V. S. V., quum nomine אות recte mirabile quid denotari agnosceret (vid. not. ad Vs. 11.), tamen ad Versum 14. haec scribere: „הָעַלְמָה utrum *innuptam virginem*, an *nuptam* etiam feminam significet, in nostri loci interpretatione haud ita multum interest. Gravida adstabat femina, nec in suum finem prophetae referebat, utrum innupta an nupta esset. Non quod הָעַלְמָה gravida esset aut fieret, signi loco haberi propheta volebat; sed אות erant illi eventus, quos tenera adhuc nasciturі puelli aetate civitas Judaica esset expertura. Exempli tantum loco hanc ipsam adstantem עַלְמָה innuit; eodem jure innuere poterat quamlibet isto tempore gravidam feminam." Ita quoque sentit H. E. G. Paulus in *Clavi ad Jesajam* p. 41. 48. Eam sententiam cur nostram facere nequeamus, ex iis quae supra exposuimus apparet.

Denique minime praetermittendum illud, veterem esse opinionem, inter plures pervulgatam populos, de viris insignibus, praeclaris, ceteris mortalibus sapientiae atque praestantiae laude antecellentibus, quibus coelestis esset origo, praeter communem naturae legem matribus *virginibus natis*. Observavit id jam Hieronymus (*adversus Jovinianum* L. I. Cap. 26.): „Apud Gymnosophistas Indiae quasi per manus hujus opinionis auctoritas traditur, quod Buddam, principem dogmatis eorum, e latere suo virgo generarit. Nec hoc mirum de barbaris, quum Minervam quoque de capite Jovis et Liberum patrem de femore ejus procreatos, doctissima finxerit Graecia. Speusippus quoque, sororis Platonis filius, et Clearchus in laude Platonis, et Anaxilides in secundo libro Philosophiae, Perictionem, matrem Platonis, phantasmate Apollinis oppressam ferunt [cf. Diogenes Laërtius L. III. Segm. 2. 3.], et sapientiae prin-

principem non aliter arbitrantur nisi *de partu virginis* editum. Ac ne nobis Dominum Salvatorem de virgine procreatum Romana exprobraret potentia, auctores urbis et gentis suae Ilia virgine et Marte genitos arbitrantur." Hujusmodi plura e Graecis Romanisque scriptoribus attulit P. D. HUETIUS in *Demonstrat. Evangel.* Propos. IX. Cap. IX. §. 4. p. 771. edit. Lips., et in *Quaest. Alnet.* L. II. C. XV. p. 188. seqq. Quae vero Hieronymus ejus, quem adscripsimus, loci initio de Indorum Budda dicit, confirmantur narrationibus virorum fide dignissimorum, qui nostra memoria oras istas invisere. Ita PAULINUS A S. BARTHOLOMAEO, Malabariae Missionarius, in *Systemate brahmanico liturgico, mythologico, civili* etc. (Rom. 1791. 4.) p. 158. Brahmanorum de Budha doctrinam exponens, haec scribit: „Natus est ex *Máyà* [ut Mercurius, quocum Budha non pauca habet communia, ex *Maia*], quae imaginationis dea est, ex mente, ex voluntate *virgine*, et sine complexu carnali; quemadmodum filii Pandavarum apud Brahmanes per auriculam ex sole, ope orationis magicae, et sine complexu virili nati fuisse scribuntur in libro Sambhavam et Yudhishtira." Cf. *Darstellung der brahmanisch-indischen Götterlehre nach dem lateinischen Werke des Vater Paulinus a St. Bartholomaeo bearbeitet* (Goth. 1797.) p. 142. seqq. Similia de suo *Fo, Fohi*, sive *Xaca* (qui nomine tantum a Budha est diversus, vid. LANGLES Not. ad versionem gallicam Thunbergiani Itinerarii T. II. p. 162.), narrant Tibetani et Sinenses. Refert ea AUGUSTIN. ANTON. GEORGI in *Alphabeto Tibetano* (Romae, 1762. 4. p. 32.): „Xaca, postquam pluries in corpora transmigrasset, tandem, ut depravatos hominum mores emendaret, convolavit in uterum Lhamoghiuprul, Nymphae omnium pulcherrimae, et recens nuptae regi viro Sezan. De ea praedixerant vates, et qui imponendorum nominum auctores erant, fore, ut pareret filium venustissimum omnique sanctitate donatum; ipsamque propterea admirandae pulchritudinis atque virtutis, Deam Lhamoghiuprul appellarunt. Sed antequam in novae matris sinum

sinum reciperetur Cianciub (hoc nomen gessit in penultima incarnatione), Laharum princeps, Chiacio, tantam illius utero splendoris copiam infudit, ut ab omni faece et coinquinatione purum reddiderit. Totus ita nitidus et pellucidus factus uterus, infantulus, quem clausum gerebat, admirabili tum corporis, tum animi fulgore micantem intuentium oculis ostendebat, quamdiu a latere dextro, nullo relicto hiatus vestigio, genitrix intacta eum in lucem effudit." Cf. Du-Halde *Descript. regni Sinensis* Vol. III. p. 26. vers. germ., et Couplet *Confucius Sinarum Philosophus*, Declarat. Prooemial. p. XXVIII. Frequens est hodienum apud Sinenses pulcherrimae mulieris effigies (*Schingmuh*, i. e. *matrem mentis perfectae* vocant), capite fulgore radiante circumdato, infantem in ulnis gestantis, quam ex ea natum esse ajunt sine ullo virginitatis dispendio. Vid. Barrow *Itinerar. Sinense*, P. II. p. 139. vers. teuton. Vinar. 1804. edit., sive P. II. p. 247. vers. teut. Hamburg. 1805.

Ejusdem illius opinionis vestigia deprehendimus in Graecorum Romanorumque poetarum fabulis de Virgine Justitia, quae quum olim per aurea secula inter homines versata esset eosque rexisset, posthac vero, mortalibus in deteriora labentibus, ad sidera evolasset, inter quae Astraeae sive Erigones nomen gerit (vid. Arati *Phaenom.* Vs. 96. seqq., et versionem Germanici Vs. 95. seqq., nec non Festi Aviani paraphrasin poeticam, Vs. 273. seqq.), reditura sit aliquando, cum in magna illa rerum omnium ἀποκαταστάσει aurea aetas ad terram redibit. Ita Manilius *Astronomic.* IV. Vs. 543. seqq.

Erigone surgens, quae rexit secula prisca
Justitia, rursusque eadem labentia fugit;
Alta per imperium tribuit fastigia summum,
Rectoremque dabit legum jurisque sacrati,
Sancta pudicitia divorum templa colentem.

Eodem

Eodem ſpectat VIRGILIUS, dum reverſurae aureae aetatis deſcriptionem *Eclog.* IV. Vs. 4. ſeqq. ita orditur:

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas;
Magnus ab integro ſaeclorum naſcitur ordo.
Jam redit et Virgo; redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo.

Sunt autem plura, in quibus Virgilianum carmen congruit cum Jeſajano illo, quod Capp. VII — XII. continetur. Agi nunc ultimam mundi aetatem, qua exacta novus ſeculorum ordo inchoaturus ſit, puero aliquo nato, canit Virgilius, canit item Jeſajas (Vs. 14., cf. ſupra p. 257.). Puer ille adſcriptus erit heroibus, et orbis terrarum pacati erit regnator, apud Maronem Vs. 15 — 17., et apud Jeſajam IX, 4 — 6. XI, 6. ſeqq. Porro melior illa aetas apud Virgilium per gradus ſuccedit, ita ut puero nato exordia (Vs. 18 — 25. 31. ſeqq.), incrementa vero ſua habitura ſit, quando ille adoleverit (37. ſeqq.). Similia obſerva in Jeſajano carmine; nam Immanuelis partus et aetas juvenilis cadunt in ultimae aetatis triſtia tempora, quibus bella et discordiae nondum ceſſarunt, Jeſaj. VII, 15. — VIII, 22. (cf. *Eclog.* Vs. 31. 36. *Pauca tamen ſuberunt priſcae veſtigia fraudis*), illo demum adulto deſinent diſcidia atque certamina omnia, IX, 4 — 6.

CAP. VII, 1. *Temporibus Achaſi, Jothami filii, Uſiae nepotis, Judaeae regis, Rezin, Syriae rex, et Pecachus, Remaljae filius, Iſraelitarum rex, bellum Hieroſolymae intulerunt, ſed eam expugnare non potuerunt.*

2. *Quum autem Davidis domui nunciatum eſſet, cum Ephraimitis coiviſſe Syros, et regis et ſuorum animi*

non

non aliter commoti sunt, quam vento moventur sylvarum arbores.

3. *Tum Jova Jesajae dixit: exi obviam Achaso, una cum Schear-Jaschubo, filio tuo, ad extremum aquaeductus piscinae superioris, ad viam agri fullonis,*

4. *Et sic ei dicito: cura, ut sis quietus, neque metuas, aut animo remollescas ob istas duas caudas titionum fumantium, id est, propter iram Rezinis et Syrorum, filiique Remaljae,*

5. *Quod tibi Syri, Ephraimitae, et Remaljae filius malum moliuntur, ita dicentes:*

6. *„Petamus Judaeam, infestemus et expugnatam nobis vindicemus, atque in ea regem constituamus Tabealis filium."*

7. *Sic dicit Dominus Jova: id non praestabitur, non fiet.*

8. *Licet Syriae caput sit Damascus, Damasci caput Rezin, tamen intra hos sexaginta quinque annos ita frangetur Ephraim, ut populus esse desinat.*

9. *Et licet Ephraimi caput sit Samaria, et Samariae caput sit Remaljae filius* (tamen conteretur). *Quodsi non creditis, non stabiliemini.*

10. *Porro Jova Achaso hoc dixit:*

11. *Pete tibi signum a Jova, Deo tuo, sive in profundis fuerit quod petis, sive in excelsis.*

12. *Achasus autem dixit: non petam, nec Jovam tentabo,*

13. *Tum vates: audite, domus Davidis! parumne vobis est, molestiam hominibus creare, ut etiam Deum meum fatigetis?*

14. *Quapropter Dominus ipse signum vobis dabit: ecce! puella praegnans filium pariet, cui nomen Immanuel imponet.*

15. *Lacte spisso melleque vescetur, usque dum sciat reprobare malum, et bonum eligere.*

16.

16. *Prius vero quam is puer malum reprobare bonumque eligere sciat, desolabitur terra, cujus ob duos reges tu es anxius.*

17. *Invehet Jova tibi tuoque populo, et domui paternae, tempora, qualia non fuerunt, ex quo defecerunt a Judaeis Ephraimitae, Assyriae regem.*

18. *Ac tum quidem evocabit sibilo Jova muscas usque ab extremo flumine Aegypti, et apes ex Assyria,*

19. *Quae venient, et omnes in vallibus desertis, in petrarum cavis inque omnibus senticetis et vepretis consident.*

20. *Tum radet Dominus conductitia novacula, id est, per eos, qui trans flumen incolunt, per Assyriae regem, caput crurumque pilos, etiamque barbam tondebit.*

21. *Atque ita fiet, ut si quis unam buculam, vel duas oves aut capras alat,*

22. *Is prae copia lactis, quod proveniet, butyro vescatur; nam butyro et melle vescentur omnes, qui superfuerint in terra,*

23. *Itaque tum omnia loca, in quibus mille vites mille valuerint nummos argenteos, vepreta erunt et dumeta,*

24. *Adeo ut eo cum sagittis et arcubus veniatur; nam tota terra in vepreta et senticeta versa erit,*

25. *Ut montes omnes, qui ligonibus coluntur, prae vepribus et sentibus sint inaccessi, atque a bobus pervadantur, et a pecore terantur.*

VI.

Cap. VIII, 1. — IX, 6.

ARGUMENTUM.

Promissum, quod antea (VII, 8. 9. 15.) factum erat Ahaso vel potius piis in populo Judaico superstitibus, de vicinorum regnorum, quorum metu cruciabantur, subversione mox futura, propheta jam repetit jussu divino, novoque signo confirmat. Puerum ut ex uxore prophetide suscipiat, Deus mandat Jesajae, ejusque nomen publico testimonio in volumine grandi exarare jubet, quod futurum sit Judaeorum genti in signum et portentum (Vs. 1—4.). Tum populo utrique, et Israelitico et Judaico, minatur graviter vexandum esse ab Assyriis (Vs. 5—8.). Illudit tamen molimini gentium hostilium, firmatus auxilii divini promisso, quod significatur Immanuelis nomine (Vs. 9. 10.), hortaturque suos, ut in solo Jova spe locata, nihil sibi metuendum putent a duobus regibus, quorum conjuratio frequens erat in eorum sermonibus (Vs. 11—18.). Ad extremum his, qui a Jova defecerint, ejusque promissis existimaverint credendum non esse, sed potius a pythonibus et divinis petendum oraculum, adversa omnia minatur (Vs. 19—22.). Gravissimis hisce comminationibus subjungit laetiorum temporum promissionem. Ea primum illucescent illis terrae Hebraeorum regionibus, quae olim plurimas expertae fuerant calamitates, neque ullo antea dignitatis splendore eminuerant, Galilaeae, tractuique huic fini-

finitimo (VIII, 23.). Ibi enim divinus ille heros, cujus natales ſupra VII, 14. praedixerat vates, quem terrae ſuae ſoſpitatorem jam appellaverat (VIII, 8.), primae ſuae virtutis documenta edet, dum ſervile, quo gens Hebraea opprimitur, jugum concutiet, illique libertatem vindicabit, plurima ab hoſtibus devictis reportata praeda (IX, 1—4.). In cujus magni liberatoris laudes protinus erumpit, ſplendidiſſimis eum celebrans nominibus (5. 6.).

Tempus editi hujus vaticinii Steudel vere obſervat eſſe cum antecedente fere idem, paulo fortaſſe ſerius. Jam enim disceſſiſſe e terra Judaica ſocios Rezin et Pecach, ex Verſu 6. probabile, liberum ab omni periculo Ahaſum cum ſuis ſeſe putaſſe, omnemque in foedere cum Aſſyriorum rege iſto et quovis modo ſervando ſpem poſuiſſe. Addit Gesenius, oraculum hoc eſſe ſerius ſuperiore editum, apparere et inde, quod tempus, quo futurum ſit, ut Damaſcus et Samaria ab Aſſyriis diripiantur, Vſs. 3. 4. propius inſtare dicitur, quam VII, 16., videlicet priusquam puer patrem ſuum et matrem ſuam vocare poſſet, id eſt, intra annum unum et dimidium, quum altero loco trium fere annorum ſpatium definiatur.

Caput hoc teutonice verſum et explicatum a J. G. Eichhorn legitur in *den Blumen althebräiſcher Dichtkunſt*, p. 339. ſeqq. et p. 326. ſeqq., et in *den hebräiſchen Propheten*, P. I. p. 181. ſeqq. et p. 191. ſeqq. Nulla tamen neceſſitate urgente Eichhorn hocce vaticinium in duo diviſit, quorum prius VIII, 1—8., alterum VIII, 9—IX, 6. conſtituatur, et hoc quidem anno prius quam primum editum exiſtimat.

---

1. גִּלָּיוֹן haud pauci interpretantur cum Chaldaeo (לוּחַ) *tabulam*, et intelligunt vel *lapideam*, vel, ut Lowthus, *aeneam*, vel, ut Michaelis in *Supplemm.* p. 313., *tabulam ex marmore polito*; ab Arabico جلى *polire*; eodem modo, ut

ut a פָּרָה dicitur פִּרְיוֹן, a כָּלָה formatur כִּלָּיוֹן, נִקָּיוֹן a נָקָה, עֶלְיוֹן ab עָלָה; Jod enim est radicale, pro quo Hebraei ob faciliorem pronunciationem ה ponere solent. Alii intelligunt *volumen membraneum* explicatum; cujusmodi volumina, quod in formam cylindri circa lignum teres convolvi (גָּלַל) solerent, inde tulerunt nomen מְגִלָּה (cf. infra XXXIV, 4. כְּגִלּוֹ בַסֵּפֶר, *libri instar convolventur*), qua ipsa voce utitur Jarchi ad nostrum גִּלָּיוֹן explicandum. Verisimilius arbitrantur, Jesajam inscripsisse *chartae membranaceae*, quam *tabulae lapideae* vel *aeneae*. At *tabulis* (עַל־לֻחוֹת) vaticinia inscripta invenimus et infra XXX, 8. Habac. II, 2. Uti solebant veteres, praeter aeneas, et tabulis plumbeis et ligneis, in quibus exararent literas. Vid. J. N. Funccii *de Scriptura Veterum Commentat.* Cap. II. §. 3. 8. Syrus interpres usurpat h. l. nomen ܓܶܠܝܳܘܢܳܐ, quod a ܓܠܐ s. ܓܠܝ *revelavit*, denotat vel *paginam apertam*, vel *volumen explicatum*, patens. Convenit cum Chaldaico גִּלְיוֹן, *spatium in librorum lateribus retectum et scriptura vacuum.* Vid. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 427. LXX pro גִּלָּיוֹן גָּדוֹל posuerunt τόμον καινοῦ μεγάλου, pro quo in codice Alexandrino χάρτου μεγάλου, quod probat Cappellus in *Nott. Critt.* ad h. l. Sed prius exhibent Eusebius, Cyrillus, Theodoretus, nisi quod is habeat: τόμον καινὸν μέγαν. Hieronymus: „LXX pro *libro grandi* interpretati sunt *librum novum et magnum.*" Arabicus in Polyglottis interpres: مُدْرَجًا صَحِيفًا صَحِيفَةً جَدِيدَةً كَبِيرَةً *volumen integrum, paginam s. tabulam novam magnam.* Reliqui Graeci interpretes, Procopio referente, posuerunt τεῦχος, διφθέρωμα, κεφαλίς. *Tabulam* vero *magnam*, גָּדוֹל, sumere jubetur vates, quae majusculis literis apta sit, in omnium oculos incurrentibus. בְּחֶרֶט אֱנוֹשׁ *Cum stylo hominis*, i. e. scriptura vulgari, inter homines usitata, ut ἀριθμὸς ἀνθρώπου, *numerus hominis*, Apoc. XIII, 18. dicitur *numerus bestiae*, quod communi et recepto more putandus esset, et

Cap.

Cap. XXI, 17. *μέτρον ἀνθρώπου*, *mensura hominis*, communis et vulgata. Chaldaeus: כְּתָב מְפָרַשׁ, *scriptura clara*, distincta; quod sequutus Jarchi hanc phrasin ita exponit: „eâ scripturâ, quam cujuscunque ordinis homines, etiam legendi minus periti, legere queant." Locus plane geminus est Habac. II, 2., ubi vati Deus hoc legitur praecipere: כְּתֹב חָזוֹן וּבָאֵר עַל־הַלֻּחוֹת לְמַעַן יָרוּץ קוֹרֵא בוֹ, *scribe visionem hanc, et quidem dilucide super tabulis, ut* cito eam *percurrere* et assequi *possit*, quisque *eam lecturus*. חֶרֶט, *stylus* scribentis et delineantis, coll. Syr. ܚܪܛ, *incidit, sculpsit*, hic positus est pro ductibus, qui eo scribuntur, ut Exod. XXXII, 4. וַיָּצַר אֹתוֹ בַּחֶרֶט, *et delineavit eum stylo*. Fusius de hujus vocis significatione varia egerunt Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XXXIV., T. I. p. 343. edit. Lips., Fullerus *Miscell. SS.* L. V. C. 10., Schroederus *de Vestitu Mulier. Hebr.* p. 280. et Michaelis in *Supplemm.* p. 917. seqq. Atque is quidem חֶרֶט אֱנוֹשׁ interpretatur *scripturam communem et notam*, sacrae, hieroglyphicaeque oppositam. Verum talem scripturam sacram Hebraeis fuisse usitatam, nullo testimonio potest probari. Steudel conjicit, fuisse Hebraeis diversa scribendi genera, qualia etiamnum apud nonnullos Orientis populos in usu sunt, ut apud Persas tria, *Neschki*, *Taalik* et *Schekesteh*, quorum postremum, quamvis inelegantissimum et lectu difficillimum, usitatum est in scribendis imperialibus jussis et decretis. Jure itaque nostro loco sumi posse videtur, חֶרֶט אֱנוֹשׁ scripturae genus vulgare, quod ab omnibus legi possit, significare. Gussetius in *Commentar. Ling. Hebr.* sub voce חֶרֶט p. 536. edit. Lips. גִּלָּיוֹן esse *vestem pretiosam*, ut supra III, 23. גִּלְיוֹן, חֶרֶט autem h. l. denotare contendit *cistam*, in qua vestis illa pretiosa recondi debuerit, ut incorrupta aut occulta servaretur usque ad tempus nascendi filii prophetae; super ea veste igitur (עָלָיו) hanc inscriptionem cistae imposuisse vatem: לְמַהֵר וגו׳, quasi direxisset hunc fasciculum ad nasciturum Maherschalalchazbasum, vel quasi diceret, praedam esse destinatam festinanti. Illud indumentum exquisitum

fuisse

fuisse specimen praedae cujusque pretiosae, simulque innuisse, mulieres ipsas, quae procul a proeliis latere solent, spoliatum iri, nec solum viros in pugna foris casuros. Quam interpretationem pluribus refutavit Hoheisel in *Observatt. philologico-exegett. in Jesaj.* p. 74. 75. (cf. Schroederum l. l. p. 293.). Ipse אֱנוֹשׁ infinite sumit, *aliquis, quispiam*, ut infra XXXIII, 8. LI, 7., ut verba nostra ita sint explicanda: *scribe stylo alicujus*, seu: sume stylum ab aliquo, qui primum tibi obvenerit. Alii: *caelaturâ hominis*, i. e. literis grandioribus, ita ut humanae magnitudinis esset inscriptio haec, quae nunc agitur. Ex Lowthi sententia חֶרֶט אֱנוֹשׁ, *stylus viri* sive *artificis*, opponitur τῷ חֲרִיט אִשָּׁה, seu, ut aliqui codices sine Jod habent, חֶרֶט, *ornamento feminarum*, de quo supra III, 22. Sed recte huic sententiae opponit Michaelis l. c. primo, quod ita non חֶרֶט אִשָּׁה dicendum fuisset, sed חֶרֶט אִישׁ, deinde, quod in plerisque certe exemplis utrumque nomen ipsa satis scriptione distinguitur; denique quod res ipsa jam clamat, ubi litterae scribendae, non de ornamento feminarum sermonem esse posse. Sunt alii, qui בְּחֶרֶט disjungendum putent ab אֱנוֹשׁ, id vero in Vocativo capiendum, hoc sensu: *scribe stylo, o homo!* Quod adversatur non solum interpungendi rationi Masorethis receptae, verum etiam interpretum veterum omnium consensui. In verbis, quae sequuntur, לְמַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז. difficultatem interpretibus creavit praefixum ל. Plures cum Ludov. de Dieu illud habent pro signo Dativi casus, ut indicetur persona, cui volumen inscribi et dedicari vellet vates. Plane praeter consilium prophetae. Ludov. Cappellus vocem מַהֵר accipit *forma Infinitivi*, et ל pro *praefixa gerundiali*, vertitque: *ut acceleret spolia*, scil. rex Assyriorum, *festina praedari*, quae cum non cohaereant, addit: verba duo priora esse veluti titulum voluminis, duo vero posteriora veluti corpus ipsum libri. Verum quisque ipse videt, et patet ex Vs. 3., prioris et posterioris partis hujus nominis eandem esse interpretationem et rationem. Rectum vidit Vitringa, ל h. l. esse *specificativum*, sive

opti-

ὁριστικὸν, et idem valere, quod Graecorum τὸ (cf. Storrii *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 283.), ut adeo sensus sit: *scribe in eo τὸ Maher Schalal, Chasch Bas.* Inscribe volumini haec verba, hoc nomen. Verba vero illa capienda sunt in *tempore praesenti; properat spolium! festinat praeda!* מַהֵר est forma *Infinitivi*, sed subaudito *Praeterito*, quasi scriptum esset מַהֵר מִהֵר, *properando properavit.* Qui loquendi modus quum satis frequens sit apud Hebraeos (exempla vid. apud Glassium *Philol. S.* p. 288. edit. Dath., add. Schoettgenii *Dissertat. de singulari aliqua Ling. Hebr. ellipsi* §. 4. in Waltheri *Ellipss. Hebrr.* edit. Schulz. p. 152. seq.; Storrii *Observatt.* p. 157. 315.); nulla est causa, ut pro לְמַהֵר hic legamus לְמַהֵר, cum Michaeli, *Bibl. Orient.* T. XIV. p. 126. Ante nomen utrumque שָׁלָל et בַּז subaudiendum ל, quasi plene scriptum esset: מַהֵר לְשָׁלָל חָשׁ לְבַז. Sed quum componenda essent haec verba in formam gemini nominis proprii, neglecta est litera ל, et verba מַהֵר et חוּשׁ, sua natura *intransitiva*, adsciverunt potestatem *transitivorum*, ut *properat spolium*, idem sit quod *accelerat*, sive *properat ad spolium.* LXX: Τοῦ ὀξέως προνομὴν ποιῆσαι σκύλων, *ad velociter depraedationem faciendam spoliorum.* Hieronymus: *velociter spolia detrahe, cito praedare.* Chaldaeus: מוֹחִי לְמִבַּז בִּזָּא וּלְמֶעְדֵּי עֲדָאָה, *festina ad praedandam praedam, et auferendum spolium.* Saadias: لُوحَا ٱلسَّلْبِ وَسُرْعَةُ ٱلْغَنِيمَةِ, *certe festinatio est praedae, et acceleratio spolii.* Hoc vero innuit vates, ad accelerandum, sive festinanter capiendum spolium festinaturum Assyrium, et ex voto suo Damasci atque Samariae praedam facturum; cf. Vs. 4.

2. וְאָעִידָה לִּי *Idque ut attestari facerem mihi* scil. praecepit Deus, ut Jerem. XXXII, 11. וָאָעֵד עֵדִים *et testari feci testes.* Hebraeorum plures interpretantur: *ego testes constituam*, ut continuetur oratio Dei, quem volunt his verbis praedicere, se missurum esse duos prophetas, *Uriam,* Se-

Semajae filium (sub Jehojakimo), qui praedixit calamitatem Judaeae gentis, et imminens reipublicae exitium, et prophetiam illam tanquam martyr suo obsignavit sanguine; vid. Jerem. XXVI, 18. seq.; atque *Zachariam*, Barachiae filium, undecimum inter duodecim prophetas minores, qui fausta annunciavit VIII, 4. seqq. Auctor est Chaldaeus, cujus explicatio talis est: *Et contestare coram me testibus fidelibus diras, quas dixi me inducturum in prophetia Uriae Sacerdotis; ecce venerunt; et etiam omnes consolationes, quae dixi me adducturum in prophetia Zachariae, filii Berachiae, ego adducturus sum.* Cujus sententiae inconcinnitatem unusquisque ipse intelliget; manifestum enim est, in hac prophetia, quae *testibus* consignanda erat, de nulla alia re agi, quam de excidio et direptione regnorum Syriae et Ephraimitarum. Itaque haec verba accipienda erunt ut verba prophetae, narrantis, quid ipse ex mandato divino fecerit. Neque vero opus est, ut ואעידה instruatur vocalibus his: וְאָעִידָה, ut *Vau* sit *conversivum Futuri*, si ita vertas, ut nos supra. Vel Futurum pro Praeterito positum sumendum est, ut vertatur: *et constitui mihi testes*, vid. Glassii *Phil. S.* p. 312. et Storrii *Observatt.* p. 162. LXX pro וְאָעִידָה לִי habent: *πάρεστι γάρ· καὶ μάρτυράς μοι ποίησον*, cepit interpres vel א in voce וְאָעִידָה pro ה, ut Hebraeorum quidam Aben-Esra laudati, quibus est Imperativus (ita Chaldaeus, qui אַסְהֵיד posuit), vel acceperat a dictante וְהָעִידָה, non inspecto codice, quum enunciatio literarum א et ה parum differat. בְּאֱמָנִים *Fidos*, fide dignos, ut Nehem. XIII, 13., notae auctoritatis in gente, quorum fides et auctoritas non facile poterat reprobari. אֶת אוּרִיָּה הַכֹּהֵן, *Uriam*, Pontificem, Sacerdotum principem, cujus mentio fit 2 Reg. XVI, 10. 11. Sunt, qui eum hoc loco graventur, quod notetur ut vitae pessimae homo, et minister libidinis Ahasi in corrumpenda vera religione. Sed observandum est, primo, accidisse quae hic narrantur in regni Ahasi initiis, quo tempore Urias Pontifex in re turpi nondum se regi morigerum gesserat, id enim accidit

post

poſt expugnatam Damaſcum; deinde, illum non ob vitae ſanctitatem, ſed officii dignitatem *teſtem* appellari *fidum*, utpote cujus auctoritas et teſtimonium permagni futurum erat in populo. וְאֶת־זְכַרְיָהוּ בֶּן יְבֶרֶכְיָהוּ Intelligitur haud dubie *Zacharias*, Levita, ex Aſapho ortus, 2 Chron. XXIX, 13.; alius haud dubie ab illo Zacharia, Propheta, cujus mentio 2 Paral. XXVI, 5., quum ex eodem loco liqueat, hunc in initiis Uſiae floruiſſe, nec eum regem ſupervixiſſe. Teſtes hic advocatos quidam arbitrantur cauſſa contrahendi matrimonii prophetae Jeſajae cum virgine quadam, ex qua ſuſciperet filium ex mandato divino; ſponſalia enim, ritu Hebraeo, contrahi non poterant absque teſtibus. Ita Grotius. Sed prophetam habuiſſe jam uxorem, patet ex iis, quae ſupra VII, 3. narrantur de filio Schear-Jaſchubo; et eam tunc adhuc ſuperſtitem fuiſſe, non eſt cur dubitemus; neque enim de alia conjuge ducenda, vel de contractu nuptiali ullum hoc loco veſtigium. Quare ſtatuendum, teſtes illos volumen, in quo ſcribenda erant verba *Maherſchalal-Chaſchbaz*, inſtar ſcripti publica auctoritate muniendi, obſignaſſe, quem morem apud Hebraeos obtinuiſſe, patet ex Jerem. XXXII, 10.; cf. Vitringae *Obſervatt. SS.* L. III. Cap. I. Signabant igitur illud volumen, vel illam tabulam inſcriptis nominibus, ut deinceps conſtaret, ſubverſionem regnorum Ephraimi et Syriae a Jeſaja eo tempore denunciatam fuiſſe, quo nemo praedictioni adhiberet fidem, et vates plane incredibilia loqui videretur.

3. Idem illud nomen, quod volumini inſcripſerat, vates imponit filio ſuo, circa hoc tempus nato, ut hoc etiam argumento populus Judaicus de hoſtium clade, mox futura, certior redderetur. Cujusmodi nominis ominoſi exempla jam vidimus ſupra VII, 3. 16. Verba וָאֶקְרַב (quod de *coitu* uſurpatur et Geneſ. XX, 4. Levit. XVIII, 6. 14. 19., cf. Gatacker *de Novi T. Stylo*, C. XI., in *Opp. Critt.* p. 78.), et וַתַּהַר vertenda eſſe in *Plusquamperfecto*, res ipſa docet. Manifeſtum enim eſt ex toto contextu, hoc vatici-

nium eodem fere tempore editum eſſe, quo ſuperius (vid. Argument.), dum Syrorum et Ephraimitarum adhuc parabatur expeditio, et utriusque gentis reges optatum conſiliorum ſucceſſum ſibi pollicebantur; cf. Vs. 6. Si igitur puer natus ſit illo ipſo tempore, quo Rezinus et Pecachus adhuc pleni erant ſpei ſucceſſus optati ſuae expeditionis: neceſſe eſt, uxorem Prophetae jam ante utero tuliſſe, et circa hoc tempus puerum enixam eſſe. Praeterea ſatis notum eſt, Hebraeos formam Praeteriti uſurpare ſaepius pro Plusquamperfecto; vid. e. c. Geneſ. XXXVI, 6. Exod. XII, 35. Cf. Glassii *Philol. S.* L. I. Tract. III. Can. XLIII. p. 298. edit. Dath. Storrii *Obſervatt.* p. 159. 161. הַנְּבִיאָה *Prophetiſſa,* non erat virgo, *prophetiae dono clara,* uti vult Grotius, ſed *uxor Jeſajae.* Moris enim eſt apud Hebraeos, ut *mulier* a *viro, conjux* a *marito,* ejusque conditione et ſtatu nomen mutuetur, ut אִשָּׁה, *femina,* ab אִישׁ, מַלְכָּה, *regina,* a מֶלֶךְ; quemadmodum Latinis *regina* dicitur a *rege, coqua* a *coquus.* Hieronymus: „Praecipiturque Jeſajae, ut ipſum puerum, qui prius vocabatur Emmanuel, nunc appellet *accelera, ſpolia detrahe, feſtina praedari.*" Eadem Jarchii et Grotii eſt ſententia, a qua haud longe diſcedit Gesenius, qui *prophetiſſam,* i. e. prophetae uxorem eandem eſſe exiſtimat, quam ſupra VII, 14. הָעַלְמָה vocavit, illo tempore ſibi deſponſatam, aut recens nuptam. Sed vid. quae diximus in Additamento II. Annotationis ad Cap. VII. p. 301. ſeqq.

4. כִּי בְּטֶרֶם יֵדַע הַנַּעַר קְרֹא אָבִי וְאִמִּי *Nam priusquam hic puer noverit vocare: pater mi, et mater mea,* quod Graeci *παππάζειν,* vocant, quod tempus non poteſt ultra biennium produci, quin circumſcribi poteſt anno et dimidio. Igitur temporis ſpatium paulo brevius hic ſignificatur, quam ſupra VII, 16.; cf. Argument. Vulgatus: *patrem ſuum et matrem ſuam,* quaſi אָבִיו וְאִמּוֹ legiſſet, quod ipſum etiamnum in codice aliquo Kennicotti reperitur. Reliqui interpretes ſuffixum non exprimunt. יִשָּׂא ſcil. נוֹשֵׂא, ſive אִישׁ,

i. e.

i. e. *auferetur*; impersonale loquendi genus, ut infra IX, 5. וַיִּקְרָא *et vocabit*, scil. קוֹרֵא, i. e. *vocabitur*. Vid. Glassii *Phil. SS.* Lib. I. Tract. III. Can. XXIII. p. 245. Storrii *Observatt.* p. 412. sequ. חַיִל hic significat *facultatem, copiam, opes*, ut Ezech. XXVIII, 4. Zach. XIV, 14. לִפְנֵי מֶלֶךְ אַשּׁוּר *Coram rege Assyrio*, i. e. ipso praesente, ab ipsius copiis, ad nutum et imperium ejus; triumphantium ritu, ante quos solenni pompa spolia opima, hosti erepta, ferri solebant. Rex Assyrius, Tiglath-Pulassar, ad Ahasi desideria brevi post editum hoc vaticinium (anno quarto regni Ahasi, qui 2 Reg. XV, 29. 30. Jothami, patris ejus, vocatur vicesimus), Damascenum regnum evertit, eodemque tempore adversus Pecachum conversus, Gileaditis et Peraeae incolas, Rubenitas, Gaditas, et dimidiam Manassis, eisque Jordanem Galilaeae incolas, Syriae proximos, in Assyriam abduxit; vid. 2 Reg. XVI, 7. 8. 9. 2 Chron. XXVIII, 16.

6. Ad quem populum Versu hoc et seq. oratio dirigatur, valde interpretes dissentiunt. Sunt plures, qui sub הָעָם הַזֶּה intelligant *populum Israeliticum decem tribuum*; nam de Judaeis non dici potuisse, eos *spernere aquas Siloae lente euntes*, i. e. gentem Davidicam, cum ex hac gente semper reges habuissent; illud vero, quod de hoc populo, de quo in hoc Versu sermo fit, dicatur, *laetari eum de Rezino*, id sine ulla dubitatione ad Ephraimitas pertinere; ad Judaeos Versu demum 8. orationem dirigi. Ea Hieronymi sententia: „Est autem sensus: quia populus decem tribuum magis voluit Rasin et filio Romeliae, id est, Damasci et Samariae regibus esse subjectus, quam stirpi David, quae meo cepit regnare judicio, faciam eum nequaquam his regibus, quos assumsit, sed regi servire Assyrio, cujus potentia occupantis terram Samariae, inundationi fluminis comparatur." Eandem sententiam commendavit J. G. Lackemacher *de spreta aqua Siloae* in *Observatt. Philologg.* P. X. Obs. II. §. 7. Alii contra intelligendos censent *Judaeos*, his maxime rationibus ducti: primo, prophetam inter Judaeos

concionantem, ubi ἀορίστως, ſive ſine reſtrictione loquutus ſit de *hoc populo*, haud dubie intellexiſſe eum populum, in quo vatem egerit: deinde mox in eadem oratione, Vs. 11. 12. *Judaeos* ſolos, a decem tribubus diſtinctos, bis vocari הָעָם הַזֶּה: praeterea de *Ephraimitis*, hoſtibus Judaeorum, non commode dici poſſe eos *ſpernere* (מָאַס) domum Davidicam; levius id de hoſtibus dictum eſſet. Verum quamquam haec vera ſunt; id tamen nullo modo negari poteſt, ultima Verſus ſexti verba, *populum hunc laetari de Rezino*, de populo Iſraelitico intelligenda eſſe. Nam quod illi, qui hunc locum de ſolis Judaeis interpretantur, contendunt, multos fuiſſe inter Judaeos, qui, mores Ahaſi faſtidientes, et potentiam adventantium regum conſiderantes, transferri regnum ad Syros et Iſraelitas optaſſent; id nullo argumento poteſt probari; nec, ſi verum eſſet, propheta de toto populo loquutus eſſet; immo ipſe narrat VII, 2., Ahaſum *cum toto ejus populo*, percepto nuntio, Syrum junxiſſe ſe cum Iſraelitis, maximo terrore eſſe commotum. Quibus omnibus perpenſis, recte ſtatuit Lowthus, eſſe h. l. nec Judaeos nec Iſraelitas excludendos; vatem tribus hisce Verſibus 6. 7. 8., orationem ad *totum populum Iſraeliticum, utriusque regni*, Judaici et decem tribuum, convertere, perque populum, leniter fluentes Siloae aquas aſpernantem utrumque intelligi poſſe populum, Iſraelitas quippe regnum Judae, a quo defecerint, quodque evertere jam conſtituerint, vilipendiſſe, Judaeos contra ſuis ipſorum viribus diffiſos eſſe pariter ac de divino auxilio deſperaſſe atque adeo ab Aſſyriis opem adverſus foederatos reges petiiſſe; recte itaque utrosque aquas Siloae contemtim deſpicere dici poſſe. Quae ſententia confirmatur collato Verſu 14., ubi diſerte *duarum domuum Iſraeliticarum* mentio ſit. Utramque igitur gentem, quae olim *unum populum* conſtituerat, reprehendit, quod, relicto Jova, apud reges barbaros auxilium quaereret, Iſraelitica apud Syros, Judaica apud Aſſyrios; hinc utramque gentem communi calamitate afflictum iri, minatur, Vs. 7. et ſeq. Cf. J. F. Schelling *Animadverſſ. philol. critt. in difficiliora Jeſajae loca*

loca p. 6. sequ. Verba יַעַן כִּי מָאַס הָעָם הַזֶּה אֵת מֵי הַשִּׁלֹחַ הַהֹלְכִים לְאַט, *quandoquidem sprevit populus hic aquam Siloae, fluentem leniter*, Chaldaeus hoc modo exponit: חֲלָף דְּקָץ עַמָּא הָדֵין בְּמַלְכוּתָא דְּבֵית דָּוִד דִּמְדַבַּר לְהוֹן בְּנִיחַ כְּמֵי שִׁלּוֹחָא דִּנְגְדִין בְּנִיחַ, *propterea quod fastidit populus hicce regnum domum David, quae regebat eos leniter, sicut aquae Siloae leniter fluunt. De fonte Siloae* vid. supra ad Cap. VII, 3. Hieronymus ad h. l.: „Siloe autem fontem esse ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed in certis horis, diebusque ebulliat, et per terrarum concava et antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos praesertim, qui in hac habitamus provincia.“ Ex hoc fonte rivus deductus fuerat, aquam ad ejusdem nominis piscinam pervehens, cujus Joannes bis facit mentionem Evangelii Cap. IX, 7. 11.. Apud Nehemiam III, 15. בְּרֵכַת הַשֶּׁלַח, *piscina Schelach* appellatur, nomine שֶׁלַח admodum affini. *Fluere* vero dicitur *aqua Siloae leniter*, quod rivus ille absque insigni quodam strepitu, certe tali, qualem fluvius aliquis major rapidiorque, e. c. Euphrates, concitat, laberetur, quippe tenuis magnaque undarum copia minime tumidus. Aquas ejus lente, olei instar, fluere, sine sonitu, narrat Schulzius, *Leitungen des Höchsten*, P. V. p. 137, 141. *Aquis Siloae* autem *gens regia Davidica* significatur, cui comparationi duplicem subesse rationem, unam, quod sedi regiae aqua illa esset proxima, eandemque ab austro et zephyro circumflueret, alteram, quod ad scaturiginem ejus inungi solerent Judaeorum reges (1 Reg. I, 33. 34. 38. 39.), pluribus ostendit Lackemacher loco supra laudato. Quod Judaeis crimini datur h. l. gentem Davidicam aspernari, sunt, qui referant eo, quod multi Judaeorum ab illa regnum auferri et ad Syros transferri optassent. Sed nullis argumentis hanc sententiam nisi, antea vidimus. Nec, si regnum *Domus Davidis* in se spectes, *id aspernari* majus censeri potest crimen, quam regnum Aegypti, Syriae aut qualecunque aliud aspernari. Recte vero observavit Vitringa, intelligendum esse *regnum Jovae*,

qua-

quatenus manifestum erat in regno familiae Davidicae. Jova erat rex Judaei populi, et reges Davidici in eo regno censebantur ipsi Deo esse substituti et ejus vices gerere. Eum regem *spreverunt* Judaei, regem Assyrium in auxilium vocantes et cum eo foedus pangentes; quam dissidentiam auxilii divini acriter reprehendit jam supra VII, 13. Ad *Judaeos* vero praecipue hoc membrum prius referendum esse, parallelismus membrorum docet: nam hemistichio altero de Israelitis est sermo. וּמְשׂוֹשׂ אֶת־רְצִין וּבֶן־רְמַלְיָהוּ *Gaudet* hic populus *Rezino et filio Remaliae*, i. e. delectantur prosperis successibus Rezini et filii Remaliae. מְשׂוֹשׂ (in statu absoluto מָשׂוֹשׂ) nomen verbale pro Verbo finito (שָׂשׂ aut שָׂשִׂים) positum, ut et alias haud raro v. c. Genes. XLIX, 3. 4. Jud. V, 8.; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 726. Recte Chaldaeus: אִתְרְעִיאוּ, *delectantur*; idemque fortasse intellexerunt Alexandrini: *ἀλλὰ βούλεσθαι ἔχειν τὸν Ῥασσὶν καὶ τὸν υἱὸν Ῥομελίου βασιλέα ἐφ' ὑμῶν.* מְשׂוֹשׂ in statu regiminis est positum, nam substantiva ante voces quascunque cum praefixis ב, ל, מ et מִן, aut ante praepositiones עַל, אֶת, אֶל, בִּלְתִּי recipere solent puncta constructi, vid. Glassii *Phil. S.* p. 80. seq. edit. Dath., et Storrii *Observatt.* p. 105. Vitringa אֵת h. l. vertit *apud, et gaudium apud Rezinum* etc. „Nempe reges," inquit, „adversarii, successu superioris anni elati, et viribus suis fidentes, jam ante victoriam canebant triumphum, et laeti et alacres, nil dubitantes de eventu expeditionem suscipiebant. Id ipsum est, quod vates improbat, et quod Jovae in illos provocabat indignationem. Nolebat enim in populo Israelitico regnans contemni. Praepositionem autem אֵת saepe significare *apud*, notum est, vid. e. c. Levit. XIII, 49. 1 Sam. IX, 18." Tingstadius in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 63. quemadmodum רָנַן, *jubilum edere*, ad *gloriationem* transfertur infra XLIII, 14., ita et h. l. מְשׂוֹשׂ, *gaudium*, τῷ מָאֹס oppositum, *superbiae* potestatem obtinere arbitratur. „Scilicet parvum Judaeae regnum contemtui habebant Israelitae, de foedere regis sui, cum potenti Assyriorum dominatore juncto,

magno-

magnopore ſeſe jactantes.“ Nullo modo eſt opus, cum J. D. Michaele in *Bibl. Orient.* P. XIV. p. 127. pro וּמְשׂוֹשׂ legere וּמְשֹׁשֵׂשׂ, quod eſſet Participium formae Piel a שָׁרַשׁ, quod verbum in dialecto Syriaca, Samaritana et Arabica *miſcere, turbare*, ſignificat, ut ſenſus ſit, *Judaeos cum Rezino limpidam Siloae fontem turbare.* Nova ratione hunc locum interpretatus eſt Steudel, leniter fluentes Siloae aquas *regni Ephraimitici* imaginem ratus. „Judaei,“ inquit, „ſpreverant periculum per Samariae et Syriae reges adductum, quod ut parvum Siloae rivo poterat comparari; i. e. hoc periculo non ita ut Deus voluerat, erant commonefacti; Deum ea minori poena admoniti haud quaeſiverant. Majus igitur jam periculum, quod Euphratis ripas transgreſſi furori poterat comparari, adducitur; Aſſyriae copiae invadent Judaeam, et ad ſummum perducent diſcrimen.“ Verum ut taceamus, aquas Siloae fontis prope Hieroſolymam parum apte pro regni Ephraimitici imagine uſurpari, ſenſus, quem Steudel illis verbis ineſſe arbitratur, vix poterit conciliari cum eo, quod vates ſupra VII, 8. metum utriusque regni demere ſuis ſtuduit. Nec neceſſe videtur, quod V. S. V. accentu Athnach ad לְאַט loco ſuo moto, וּמְשׂוֹשׂ cum הַהֹלְכִים conjungendum, et adverbaliter pro בִּמְשׂוֹשׂ poſitum exiſtimat, ut vertendum ſit: *aquas Siloae lente et hilariter fluentes*, vel, quod praeferendum judicat, *aquas leniter fluentes et guttatim*, collato Arabico مَشَّ *cepit rem paulatim, partem poſt partem.*

7. וְלָכֵן *Et propterea*; ſed ו h. l. *παρέλκει*, ut ſaepius, demonſtrans ſolummodo, orationem hanc conſequentem eſſe prioris; pendet a יַעַן initio Vs. 6. הִנֵּה אֲדֹנָי מַעֲלֶה עֲלֵיהֶם אֶת־מֵי הַנָּהָר הָעֲצוּמִים וְהָרַבִּים *Ecce Dominus adducet ſuper eos*, Iſraelitas et Judaeos; *aquas fluvii illius validas et praevalentes. Flumine* illo h. l. Euphratem intelligi, qui ob magnitudinem (הַנָּהָר הַגָּדוֹל נְהַר־פְּרָת, Geneſ. XV, 18. Deut. I, 7. Joſ. I, 4.) paſſim הַנָּהָר, *fluvius*, vocatur *κατ' ἐξοχὴν* (vid. ſupra ad VII, 20. p. 277.), apud plerosque in con-

confeſſo eſt. Clericus tamen Tigrim innui exiſtimat, quod de copiis agitur Aſſyriacis. Sed recte monuit Lackemacher (loco ſupra ad Vs. 6. laudato §. IX.); regum Aſſyriorum ditionem prolati hujus oraculi tempore ad Euphratem usque pertinuiſſe, nomenque Aſſyriae, quam alioqui Tigris ab occaſu terminabat, adeo late interdum patere, ut totam etiam comprehendat Meſopotamiam, Tigri et Euphrate interceptam. Qua notione laxiori apud Arrianum quoque occurrit, qui quo loco Euphratem deſcribit (*de Expedit. Alexandri M.* L. VII. p. 302. edit. Gronov.), inter cetera ait: ὑπερβάλλει ὑπὲρ τὰς ὄχθας ἐς τὴν γῆν τὴν Ἀσσυρίαν. Limitem ergo ab occaſu Aſſyria habebat Euphratem. Ejus aquae merito hic dicuntur עֲצוּמִים, *validae*, robuſtae, magna vi et impetu latae ex montibus Armeniae, et רַבִּים, *praevalentes;* ita Chaldaeus, qui תַּקִּיפִין, *praepotentes*, poſuit, alii *multas*, ut LXX et Hieronymus. Sane רַב utramque notionem admittit. Talis hic ponitur Euphrates, qualis verno et aeſtivo tempore, reſolutis montium nivibus, ripas ſuas ſolet excedere, et regiones proximas inundare, referente Arriano *Expedit. Alexandr.* Lib. VII. Cap. XXI.: Ὁ γὰρ Εὐφράτης ποταμὸς ῥέων ἐκ τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν, χειμῶνος μὲν ὥρᾳ προχωρεῖ κατὰ τὰς ὄχθας, οἷα δὴ οὐ πολλοῦ ὄντος αὐτῷ τοῦ ὕδατος· ἦρος δὲ ὑποφαίνοντος, καὶ πολὺ δὲ μάλιστα ὑπὸ τροπὰς, ἅς τινας τοῦ θέρους ὁ ἥλιος ἐπιστρέφει, μέγας τε ἐπέρχεται, καὶ ὑπερβάλλει ὑπὲρ τὰς ὄχθας ἐς τὴν γῆν τὴν Ἀσσυρίαν. Τηνικαῦτα γὰρ αἱ χιόνες, αἱ ἐπὶ τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀρμενίοις κατατηκόμεναι, αὔξουσιν αὐτῷ τὸ ὕδωρ ἐπὶ μέγα· ὅτι ἐπιπολῆς ἐστὶν αὐτῷ καὶ ὑψηλὸς ὁ ῥοῦς ὑπερβάλλει ἐς τὴν χώραν. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 190. Ne quis autem in figurá haereret, vates ipſe eam explicat, docetque ſe intelligere אֶת־מֶלֶךְ אַשּׁוּר וְאֶת־כָּל־כְּבוֹדוֹ, *regem Aſſyriae, et omnem gloriam* ſ. *excellentiam ejus*, i. e. exercitum gravem, eumque ſplendidiſſime atque ornatiſſime inſtructum pro more populorum orientalium, ut infra X, 16. 18. Cf. Proverb. XIV, 28. בְּרָב־עָם הַדְרַת מֶלֶךְ, *in multitudine populi decus*

eſt

eſt regis. Imperatores Orientis, quo erant faſtu, non heroës tantum, et nobiliſſimos ac fortiſſimos gentis viros habebant in caſtris, qui imperii decus et gloriam faciebant; ſed ipſi quoque in expeditionibus ſe magnifice oſtentabant in hominum et jumentorum ſuperbo ornatu; magnam trahebant pompam, et apparatum caſtrenſem; ut ex Xerxis, Darii aliorumque liquet expeditionibus. Id vero omne complectitur vates voce כְּבוֹדוֹ. Nonnullis, inter quos Geſenius, haec verba ut interpolata ſuſpecta ſunt. In altero hemiſtichio redit ad imaginem Euphratis. וְעָלָה עַל־כָּל־אֲפִיקָיו *Aſcendet ſupra omnes ejus alveos,* quales qui ſint docet Arrianus l. l. L. VII. C. 7. p. 282. edit. Gronov. Ὁ δὲ Εὐφράτης μετέωρός τε ῥεῖ καὶ ἰσοχειλὴς πανταχῇ τῇ γῇ, καὶ διώρυχές τε πολλαὶ ἀπ' αὐτοῦ πεποίηνται, αἱ μὲν ἀέναοι, ἀφ' ὧν ὑδρεύονται οἱ παρ' ἑκάτερα ᾠκισμένοι· τὰς δὲ καὶ πρὸς καιρὸν ποιοῦνται, ὁπότε σφίσιν ὕδατος ἐνδεῶς ἔχοι. *Euphrates per altiora* (quam Tigris) *loca labitur, et paſſim ſuis aquis terrae, quam alluit, altitudinem exaequat, multique ex eo alvei derivantur, alii quidem perennes, ex quibus utriusque ripae accolae aquam petunt, alii certo tempore fiunt, cum aquae ad irrigandam terram inopia premuntur.* Libanius *Orat.* T. II. p. 313. Μέγιστος δ' αὐτὸς (Euphrates) γίγνεται τῶν ἠρινῶν ὄμβρων λυόντων εἰς ὕδωρ τὴν ἐν Ἀρμενίᾳ χιόνα, τοῦ χειμῶνος οἰκοδομηθεῖσαν. Οἱ δὲ περὶ αὐτὸν γεωργοὶ διώρυχας ἔνθεν καὶ ἔνθεν κατατέμνοντες, ὁπόσα Αἰγύπτιοι τῷ Νείλῳ χρῶνται καὶ οὗτοι τῷ ποταμῷ. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 113. אֲפִיקָיו ſcribi vult, ut ſignificentur *exitus* (ab Aramaeo נְפַק, *exire*), et noſtro quidem loco Euphratis exitus innumeri canales et rivi ei videntur, quibus Euphrates inferior cum Tigride connexus eſt, atque aqua ejus, ubi intumeſcit, derivatur. Sed אֲפִיקִים eſſe *alveos*, dubio caret, vid. not. ad Pſ. XVIII, 16., et cf. Ezech. XXXII, 6. וְהָלַךְ עַל־כָּל־גְּדוֹתָיו *Et ibit ſuper omnes ripas ſuas.* At LXX: ἐπὶ πᾶν τεῖχος ὑμῶν, et eodem modo Syrus: ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܫܘܪܝܟܘܢ,

quaſi

quasi legissent, illi גְּדוֹתֶיךָ, hic גְּדוֹתָיו, *sepes*, i. e. *aggeres ejus*. Hostes irrumpentes cum fluvio exundante comparare, nec poetis exteris inusitatum. Sic Pompejum fluvio comparat Lucanus *Pharſ.* VI, 272. seqq.

Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, et totos concutit agros.
Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem
Undarum non passa ruit, dum flumine toto
Transit, et ignotos aperit sibi gurgite campos.

Conferendus et Horatius *Carm.* IV, 24. 25. seqq.

8. וְחָלַף בִּיהוּדָה *Et pervadet* (ut infra XXI, 1. Habac. I, 11.) fluvius ille *Judam*. שָׁטַף *Inundabit*, ut infra XXVIII, 2. Jerem. XLVII, 2. Ps. LXIX, 3. וְעָבַר *Et transibit*, cf. Dan. XI, 10., ubi eadem imago iisdem expressa verbis. Chaldaeus: וְיַעְדֵי בְּאַרְעָא דְבֵית יְהוּדָה כְּנַחַל מְגַבַּר, *et transibit per terram domus Judæ sicut torrens validus.* Bello inundandam Judaeam per eosdem Assyrios, quos in subsidium vocabant, minatur, perstans in comparatione magni et exundantis fluvii, qui, postquam Syriam et Ephraimitidem inundatione vastasset, in Judaeam quoque irrupturus esset. עַד־צַוָּאר יַגִּיעַ *Usque ad collum pertinget*, proverbialis figura, et infra XXX, 28. et Habac. III, 13. obvia, qua significatur, rem esse deductam in magnum discrimen, et nihil esse propius, quam ut omnino pereat. Et in allegoria praesenti de fluvio magno ac forti aptissima est loquutio. Si quem enim ita gurges demergat, ut nihil ab aquis exstet praeter caput, ille quam proxime abest a mortis periculo. Chaldaeus: וְעַד יְרוּשְׁלֶם יְמַטֵּי *et usque ad Jerusalem veniet.* Retulit hoc vaticinium ad Sanheribi expeditionem sub Hiskia, quando ille vastatis pluribus Judaeae urbibus ad Hierosolyma usque pervenit, ita ut obsessa fuerit urbs, non capta. Idem sequuntur interpretes plerique et Judaei et Christiani. Hieronymus: „Tanto Assyrius feretur impetu, ut, postquam decem tribuum occupaverit terram, ad Judam perveniat, et transiens, ad collum usque pertingat,

tingat, per quae vicinam significat captivitatem. Non enim tunc captus est Judas, sed cunctis duarum tribuum urbibus subjugatis, sola remansit Jerusalem, quae incredibili Dei misericordia liberata est.“ Sed in Sanheribi expeditionem non quadrat Versus superior, quo rex Assyrius Syriam atque Ephraimitidem obruiturus dicitur. Sanheribo enim in Judaeam irrumpente Syrorum atque Israelitarum regna constat jam subversa a Tiglath Pulassare atque Salmanassare. LXX prius hemistichium ita reddunt: Καὶ ἀφελεῖ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἄνθρωπον ὃς δυνήσεται κεφαλὴν ἆραι, ἢ δύνατον συντελέσασθαί τι. Ubi verba ὃς δυνήσεται κεφαλὴν ἆραι videntur respondere Hebraicis istis עַד צַוָּאר יַגִּיעַ, quae interpres ille *plaga afficere collum*, i. e. percutere seu amputare collum notare opinatus est. וְהָיָה *Et erit*, fiet, eadem constructio Genes. XXIV, 14. 43. מֻטּוֹת כְּנָפָיו Erunt *extensa* (Participium Hophal verbi נָטָה, significatione *extendendi*, ut supra V, 25.) *alarum ejus*, quibus intelligendae sunt *alae exercituum*, copiae hostium. *Alas* Hebraei vocant omnes copias, non equestres tantum, ut Latini, sed et pedestres, vid. Dan. IX, 27. Hieronymus: „Potentiam Assyrii et innumerabilis ejus exercitus, quam sub fluminis inundatione descripserat, nunc per aliam ostendit translationem, quod *alis suis*, id est, ducibus, et infinita multitudine operuerit terram Emmanuelis, hoc est, defendentis eam Dei, sed tamen non possederit.“ LXX מֻטּוֹת כְּנָפָיו verterunt ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ, rem expresserunt, non vocum proprietatem. מְלֹא־רֹחַב אַרְצְךָ עִמָּנוּאֵל *Plenitudo latitudinis terrae tuae, o Immanuel!* nihil aut agrorum aut oppidorum manebit intactum. Puerum, de quo Capite superiore (VII, 14.), alloquitur testem futurorum horum malorum. Alii, post Abarbenelem, hoc Versu ad prophetam orationem dirigi et עִמָּנוּ אֵל a reliquis sejungendam existimant, hoc sensu: *et alae ejus extensae alam tuam (o vates) replebunt. Nobiscum tamen est Deus!* Ita jam LXX, observante Hieronymo: „*Emmanuel* a LXX sequenti capitulo [i. e. versiculo] coaptatur, non proprio nomine,

ut

ut apud Hebraeos vocatur, sed interpretato, id est, *nobiscum Deus.*" Similem in modum Steudel voce עִמָּנוּאֵל novam oraculi partem incipere, et in aliud quid, videlicet in spem Dei populo capessendam flecti orationem existimat. „Non videtur," inquit, „esse Immanuelis alloquutio, sed subita animi prophetae in meliora se convertentis obfirmatio. Ut maximum fuerit periculum, Deus nos juvat. Incipitur hac phrasi eademque clauditur Versu 10. haec oraculi sectio. Qui terrorem injiciebant, iidem jam perterrefieri jubentur, et hoc quidem, quod nobiscum (cum Judaeis) Deus est. Paulo quidem rapidior abruptus quasi transitus ad alia est ope verborum עִמָּנוּ אֵל, sed ab hujus tamen prophetae ingenio minime alienus. Simile exstat exemplum VII, 17., ubi sine ulla particula conjunctiva ad aliud quid transitur. Ceterum in אַרְצְךָ vatem Judaeam ipsam alloqui, facillime sumi potest." Sed quis non sentiet, et simpliciorem et elegantiorem enasci sensum, עִמָּנוּאֵל accepto pro nomine proprio, ad quod pertineat suffixum in אַרְצְךָ? Nomen proprium et hic expressit Saadias: يا عمنوأل, *o Immanuel!* et Syrus, qui ܥܡܡܢܘܐܝܠ scripsit. Rectius quoque in pluribus codicibus hebraicis a Kennicotto notatis conjunctim עִמָּנוּאֵל scribitur. Illum igitur virgine nasciturum divinum heroem, quem supra VII, 14. praenunciaverat, vates appellat per apostrophen, Judaeam vero *ejus terram* (אַרְצְךָ) vocat, non hac solum ex causa, uti vult Gesenius, quod *illa* ejus *patria futura* sit, uti alias alicujus terram ejus patriam denotare constat, vid. Genes. XXIV, 4. XXX, 25. Jon. I, 8.; verum utitur ea appellatione potissimum ideo, ut illum permoveret ad miserationem tantae calamitatis, quae terrae suae, cujus ipse protector, defensor et servator sit futurus, impendebat. Plena igitur sententia est: copiae hostiles pervadent et replebunt terram tuam, o Immanuel! Ergo si terra haec sit terra tua, si id es vere, quod tuum nomen significat, miserere populi tui, et fer opem! Immanuelem futurum

Deum

Deum ipsum natura humana induendum, vidimus, supra ad VII, 14. (p. 259.). Cum itaque Judaea Immanuelis dicitur terra, erit idem ac si *terra Dei*, sive *Jovae* appelletur, quod ipsum nomen gerit infra XIV, 2. Hos. IX, 3. Ceterum discrepant interpretes in constructione verborum מֻטּוֹת בְּנָפָיו מְלֹא־רֹחַב אַרְצְךָ. Quidam מְלֹא construunt cum מֻטּוֹת, ut Vulgatus: *et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terrae tuae.* Ita et Junius: *implebuntque passae alae ejus latitudinem* etc. Ad verbum autem sonare dicit, *et erit extensionibus alarum ejus plenitudo latitudinis terrae tuae.* Verum מְלֹא ob Makkaph conjungendum est cum רֹחַב, eodem sensu, quo supra VI, 3. מְלֹא הָאָרֶץ dicitur *plenitudo terrae*, pro, quicquid terra continetur, eamque quasi implet. Hinc ad verbum erit vertendum: *et erunt extensa alarum ejus plenitudo latitudinis* (i. e. quicquid continetur latitudine) *terrae tuae.* Sensus est, extendentur alae ejus per omnia, quae implent latitudinem terrae tuae.

9. Dum vates in ecstasin raptus conatus videt hostium genti suae interitum parantium, simul erigitur spe liberationis et salutis, quam Deus, vel Immanuel, populo suo sit praestiturus. Eam declarat figurata oratione per apostrophen ad hostes, quorum consilia irrita fore denunciat. Oratio autem, ut ex fine Vs. 10. patet, non est Dei, sed vel solius prophetáe, Judaeorum omnium nomine loquentis, vel chori sive coetus alicujus piorum, apostrophae superiori ad Immanuelem respondentis per modum *ἀντιφωνίας*, in Psalmis frequentissimi usus. In prima Versus voce, רֹעוּ, explicanda discrepant interpretes. Quidam: *mali* s. *maligni estote* (ita Lutherus: *Seyd böse, ihr Völker!*) a radice רוּעַ, ad formam בֹּאוּ. Illius verbi Infinitivus Cal רֹעַ legitur Cohel. VII, 3. Hinc Gesenio רֹעוּ est Imperativus apocopatus, ut קֹם a קוּם. *Malignum esse* vero h. l. idem esse quod *comminari* significare putat, vertitque: *comminemini* (*droht nur!*). Alii, cum Aben-Esra et Kimchio: *conterite, quassate*, a רָעַע, coll. Ps. II, 9. תְּרֹעֵם בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל, *confringes*

illos

illos sceptro ferreo. Verum hoc cum sequenti *accingite vos* non bene convenit, neo vates hac apostrophe hostium effectum, sed conatum exprimit. Melius alii faciunt רֹעוּ Imperativum Pyal verbi רָעָה, *consociare se,* Judic. XIV, 20. Proverb. XXII, 24. Verum quia insolentior est Imperativus Pyal, et tonus in penultima, praestat illud accipere pro Imperativo Cal verbi רָעַע, eadem, qua רָעָה, significatione sumendi, ut Proverb. XVIII, 24. אִישׁ רֵעִים לְהִתְרוֹעֵעַ *virum amicorum adsociare sibi convenit.* Ita etiam שָׁחָה et שָׁחַת, *perdidit,* שָׁסָה et שָׁסַס, *diripuit,* formas miscent. Illam significationem expressit Chaldaeus: אִתְחַבָּרוּ, *consociate vos.* Vulgatus: *congregamini.* Saadias: اتضافروا, *opem vobis invicem ferte!* Respondet ei הִתְאַזְּרוּ *accingite vos* in posteriore hemistichio. Male LXX: γνῶτε, quasi דעו legissent. Hieronymus: „Pro *congregamini,* sive *infirmamini,* et *confringimini,* ut interpretati sunt alii, LXX posuerunt *scitote.* Verbum enim hebraicum *Rou* propter Res literae et Daleth similitudinem intellexerunt *Dou.*" Syrus: ܙܘܥܘ, *contremiscite.* עַמִּים *Populi,* hostiles, Israelitae, Syri, Assyrii, VII, 1. 17. וָחֹתּוּ *Sed consternamini,* Obad. Vs. 9., prosternimini, et ruite in propriam perniciem, sive, phrasi Romana (apud Livium Lib. VIII. Cap. 9.): *terrore, formidine, morteque adficimini.* וְהַאֲזִינוּ *Et auscultate,* quae jam dico. Hubigant: *induite arma,* ex verbo אָזַן, *armatus est,* Chaldaeis usitato. Verum הַאֲזִינוּ quotiescunque in V. T. occurrit, semper *auscultate* notat. מֶרְחַקֵּי־אָרֶץ *Longinquitates terrae,* incolae regionum longe dissitarum, ut infra XXXIII, 13. שִׁמְעוּ רְחוֹקִים, *audite remoti* populi. הִתְאַזְּרוּ *Accingimini* etiam; parate bellum, et quam expeditissimi milites procedite. *Cingendi* vox in omni lingua militiae proprium, cf. 1 Sam. XXV, 13. et Ephes. VI, 14. περιζωσάμενοι τὴν ὀσφῦν. Appianus *de bello Pun.* Cap. XXVI. Σκιπίων διαζωσάμενος. Quod autem repetit hanc apostrophen, ostendit concitatiorem affectum.

10.

10. עֻצוּ עֵצָה *Consulite consilium*, ut Jud. XIX, 30., inite consilia ad perdendam rempublicam Judaicam. וְתֻפָר *Sed dissolvetur*, irritum fiet, Jerem. XXXIII, 21., ubi eodem plane, quo h. l. modo scribitur pro וְתוּפַר, quod in uno codice reperit Hubigant, ut 2 *Sam.* XXIII, 2. הֻקַם pro הוּקַם, alternante Kübbuz cum Schurek. דַּבְּרוּ דָבָר *Loquimini verbum*, edite mandata de consiliis et decretis exsequendis, insolenter jactate vires vestras, וְלֹא יָקוּם *sed non consistet*, mentietur successus, ut supra VII, 7. infra XLVI, 10. כִּי עִמָּנוּ אֵל *Nam nobiscum est Deus*, אֲרֵי בְּסַעֲדָנָא אֱלָהָא *nam in auxilium nostrum est Deus*, uti Chaldaeus, cf. Num. XIV, 9., et not. ad VII, 14. (p. 259.). Alludit ad nomen divini illius liberatoris, quem a virgine pariendum praedixerat. Bene Versum hunc cum superiore enarrat Hieronymus hoc modo: „O igitur populi Samariae et Syriae, infirmos et debiles vos esse cognoscite, et Emmanuele praesente nihil posse contra Jerusalem, urbem Dei, et hoc non solum vos, qui vicini estis, sed cuncta procul terra cognoscat. Quamvis enim exercitum congregetis, et accingatis vos ad proelium, et major sit numerus obsidentium, quam obsessorum, tamen non semel, sed iterum dicam, *vincimini*. Et quodquumque contra Jerusalem inieritis consilium, dissipabitur. Et licet supra [VII, 6.] dixeritis: *Ascendamus ad Judam, et suscitemus* eum quiescentem, et ponamus regem super eum, filium Tabeel, loquimini quidem verbum, sed non fiet, quia nobiscum est Deus, id est, Emmanuel.“

11. Prophetiam superiorem videbat vates a multis exceptum iri cum admiratione; pollicebatur populo salutem et liberationem, cum omnia viderentur desperata. Exponit igitur jam rationem, qua motus tam fidenter loquutus fuerat: Deus ipsum quoque se jam ad metum propensum in tantis periculis, et incipientem haesitare animo confirmavit atque erudivit. *Loquutus est*, inquit, *ad me Deus* בְּחֶזְקַת הַיָּד *cum*, s. *in fortitudine manus*, cum valida manu, quod Chal-

Chaldaeus recte explicat בִּמְתְקַף נְבוּאָתָא *in fortitudine prophetiae*, nam *Dei manus super vates* esse dicitur, quum moventur impellunturve ad loquendum et agendum, aut tenacius etiam haerentes animo sententiae, affectiones, studia, corriguntur aliorsumque flectuntur, quod absque magna et praevalente vi nequit fieri. Cf. Jerem. XV, 17. XX, 7. Ezech. I, 3. III, 14. 22. VIII, 1. Mich. III, 8., et ad ea loca notata. Hinc illud Apostolis 1 Thessal. I, 5. ἐν δυνάμει καὶ πνεύματι ἁγίῳ. Significat vates, se potenti Dei impulsu a communi totius populi sensu pene vi esse deductum. Pro בְּחֶזְקַת in pluribus codicibus et aliquot libris impressis legitur כְּחֶזְקַת, quod ipsum et Syrus in suo codice reperisse videtur, vertit enim: ܐܝܟ ܕܐܚܕ ܐܝܕܐ, *ac si prehenderet manum*. Ita et Lutherus: *als fassete er mich bey der Hand*, ut sit tanquam manuductio Dei et admonitio. Similiter Lowthus: *quasi manu inserta manui*. Verum et eorum, qui בְּחֶזְקַת retinent, plures reddunt: *dum manu me apprehenderet*. Sed *apprehendendi* manu notionem verbum חָזַק in Hiphil tantummodo obtinet, et conjungitur cum יַד praefixo בּ, vid. infra XLII, 6. XLV, 1. LI, 18. Job. VIII, 20. Nomen חֶזְקָה, e forma Cal derivatum, non nisi *vim roburque*, et τὸ *invalescere* significat, vid. 2 Chron. XII, 1. XXVI, 16. Dan. XI, 2. Quamvis concedam Gesenio (*Lehrgeb.* p. 483.), nomina abstracta a Cal ducta, significationes subinde Conjugationum derivatarum adsciscere; nostrum חֶזְקָה tamen nusquam alias *apprehendendi* significatu legitur. Supervacanea J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 710. conjectura, בְּחַזְקַת יַד esse legendum, *confirmatione manus*, i. e. animum mihi addens, jubensque non de republica desperare. וְיִסְּרֵנִי *Et erudivit me*, Ps. XVI, 7. Alii: *coërcuit me, ne irem*, et quae sequuntur. Kimchi יִסְּרֵנִי positum observat pro יִסְּרַנִי, sive (ob Accentum, pro יִסְּרַנִי), Tzere posito pro Patach, ut קִלְלֵנִי, *maledixit mihi*, 1 Reg. II, 8. Quae observatio vera est, si nostram vocem habeas pro Praeterito. Alii vero volunt esse Futurum, deficiente

ciente prima radicali י, et tum forma eſt analoga. Jarchi pro וּלְיַסְּרֵנִי, *et ad erudiendum me*, ſ. *ut erudiret me*, dictum putat. J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 128. וַיְסִרֵנִי enunciat, ut ſit Hiphil verbi סוּר, *recedere me juſſit* a via populi hujus, Syro (ܣܢܛܢܝ) et Symmacho (*ἀπέστασέ με*) praeeuntibus. מִלֶּכֶת בְּדֶרֶךְ הָעָם הַזֶּה *De non eundo, ne inirem ego in via hujus populi*, Deo diffidentis. Erudivit, continuit me, ne ſequerer conſilium Ahaſi et populi ejus de advocandis Aſſyriorum viribus contra duorum regum conſpirantes copias. LXX prorſus aberrarunt a genuino ſenſu, ita enim habent: *τῇ ἰσχυρᾷ χειρὶ ἀπειθοῦσι τῇ πορείᾳ τῆς ὁδοῦ τοῦ λαοῦ τούτου, λέγοντες, forti manu receſſerunt ab itinere viae populi hujus, loquentes*, ut Graeca verba reddidit Hieronymus. Verba בְּחֶזְקַת הַיָּד, cum אָמַר יְהוָה אֵלַי nectenda, junxerunt ſequentibus, et pro וַיְסִּרֵנִי legerunt וַיָּסִרוּנִי, *receſſerunt a me.* לֵאמֹר Dum ita mihi *dixit* Dominus (cf. IX, 8., ubi eadem dictio itidem ad Verſus finem poſita), affert enim Vs. ſequ. verba, quibus a Deo a mente reliqui populi revocatus eſt, quibus etiam ipſe ab eodem conſilio reliquos abducere contendit.

12. לֹא־תֹאמְרוּן קֶשֶׁר לְכֹל אֲשֶׁר־יֹאמַר הָעָם הַזֶּה קָשֶׁר *Ne dicatis conjurationem de omni, de quo populus hic dicit: eſt conjuratio*, ſive, *ne appelletis conſpirationem*, quod *hic populus vocat conjurationem*, i. e. non audiatur jam amplius inter vos conjurationis nomen, quod multum eſt, et paene ſolum in ore pavidi ac perturbati populi, quaſi nihil tutum ſit futurum a duorum regum conjuratione. Hebraei veteres, quibus adſtipulatur Jarchi, haec ad Hiskiae tempora referunt, adverſus quem volunt Sebnam (de quo infra XXII, 16.) concitaſſe validam civium Hieroſolymitanorum factionem, a qua vates hic populum dehortetur. Aben-Esra et Kimchi cogitant de conjuratione factioſorum adverſus Ahaſum et domum Davidicam ſive cum Syris et Ephraimitis, ſive cum rege Aſſyriae, monetque Kimchi, verbum אָמַר hoc loco ſenſu *cogitandi* capiendum eſſe, ut

Exod. II, 14. הֲלְהָרְגֵנִי אַתָּה אֹמֵר, *an cogitas me occidere?* et 2 Sam. XXI, 16. וַיֹּאמֶר לְהַכּוֹת אֶת־דָּוִד, *et cogitabat Davidem caedere.* Sic ſenſus eſſet: ne cogitetis cum factioſis conſpirare adverſus Ahaſum et domum Davidis; ne placeat vobis hoc conſilium. Grotius: „Ne dicite cum ceteris: age, conjuremus cum hoſtibus contra regem noſtrum." Id proxime accedit ad Hebraeorum ſententiam, in qua videntur quoque fuiſſe Chaldaeus et Syrus, qui מְרוֹד, ܡܪܘܕܐ, *rebellio*, poſuerunt, nec non Symmachus, qui vertit: οὐκ ἐρεῖτε· ἄνταρσις, qua voce ſignificatur inſurrectio civium contra magiſtratum. LXX pro קֶשֶׁר σκληρὸν poſuerunt, quaſi קָשֶׁה, *durum*, legiſſent. Hieronymus: „Juxta LXX manu forti populus reſtitit Dei voluntati, et dicit omnia dura eſſe, quae Dominus praecepit." Seckerus, Archiepiſcopus quondam Cantuarenſis, ad Bibliorum, quod poſſidebat, exemplar, annotaverat, pro קֶשֶׁר legi poſſe קֹדֶשׁ, vel קָדוֹשׁ, coll. ſupra V, 16. et hujus Cap. Vs. 14., eadem ſententia, qua אֱלֹהֵינוּ, Hoſ. XIV, 4. Cui conjecturae etſi Seckerus ipſe non multum tribuit, eam tamen commendat Lowthus, ſenſumque arbitratur ea adſcita perquam concinnum, eumque hunc: ne ſanctum vocate illud, quod populo iſti ſanctum (σέβασμα) dicitur, neque veneramini, quod ille veneratur. Merito vero Lowthum caſtigat Kocherus: „Siccine, inquit, pium vatem veluti quadam idololatriae ſuſpicione adſpergi decet, qui tanquam retrahendus, ſaltem adhortandus fuerit, ne illo ſe cum populo crimine pollueret?" Recteque idem monet, eſſe hoc loco de foedere Iſraelitarum ſive Ephraimitarum cum Syris adverſus Judam ſermonem, illudque *conjurationem* dici, utpote externis cum hoſtibus adverſus ſanguine avitaque religione conjunctos fratres initum. Ita jam Hieronymus: „Noli duorum regum timere conjurationem." Nomen קֶשֶׁר, quod a קָשַׁר, *ligare, vincire*, in genere quodcunque foedus ſignificare poteſt, uſurpari ſolet, quemadmodum Latinorum *conjuratio*, in deteriorem partem, de foedere inhoneſto, pravo

pravo consilio inito. Illud in perniciem Judaeorum ictum duorum regum foedus, formidolosum habitum vocitatumque, a vate *conjurationis*, קֶשֶׁר, appellatione innui, suadet praeterea illud, quod addit, וְאֶת־מוֹרָאוֹ לֹא־תִירְאוּ, *nec timorem ejus* populi *timeatis*, non timeatis quod timent illi, Ahasus cum populo, VII, 2. אֶת־מוֹרָאוֹ Saadias bene reddidit مُرْعِبُهُمْ, *quod illis metum injicit.* וְלֹא תַעֲרִיצוּ *Neque formidetis*, q. d. ne vos expavefacite, cf. infra XXIX, 23. Deut. I, 29. Alii: *nec* illo timore *alios terreatis.* Chaldaeus verba haec posteriora ita reddidit: וְעַל תּוּקְפֵיהּ לָא תֵימְרוּן תְּקוֹף *et de fortitudine ejus ne dicatis esse fortitudinem.* Quod JARCHI sic explicat: „ne dicatis, Sanheribum fortem esse." Saadias: وَمَذْهَبَهُمْ لَا تَرْهَبُوا, *et institutum eorum ne revereamini.*

13. אֶת־יְהוָה צְבָאוֹת אֹתוֹ תַקְדִּישׁוּ *Jovam, dominum exercituum, eum*, inquam, *sanctum habeatis*, i. e. pio et religioso cultu ostendite, vos illum pro venerando numine habere (ita הִקְדִּישׁ Num XX, 12. Deut. XXXII, 51. et apud Nostrum infra XXIX, 23.), a quo auxilium et salus exspectanda, contra quam Ahasus suo cum populo fecit, qui ab Assyrio sperabant et sibi promittebant salutem. In phrasi hebraea pronomen אֹתוֹ postponitur suo substantivo, ut Genes. II, 17. וּמֵעֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ, *de arbore scientiae boni et mali, de ea*, inquam, *non comedes.* Cf. Matth. XXI, 41. Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς. Emphasin habet, quod vates Jovam hic vocat Dominum, sive *Deum exercituum*, ostendit enim hac appellatione, cur ille ut sospitator sit venerandus, quippe qui sidera et innumeros stellarum exercitus sua in potestate et imperio teneat, vid. not. supra ad I, 9. וְהוּא מוֹרַאֲכֶם וְהוּא מַעֲרִיצְכֶם *Ille sit is, qui vobis timorem injiciat, ille, qui pavorem faciat*, illum pavete, non inimicorum minas, ipse sit vobis terrori, cui vos vestraque subjiciatis, non hostes, quorum vim et conjurationem timetis, Vs. 12. Ab illius gratia vel ira vestra

pendet ſalus aut exitium; cujus majeſtatem ſi vos ſupplices et reverenter colueritis, non eſt, cur inferior potentia vobis terrorem incutiat.

14. וְהָיָה לְמִקְדָּשׁ *Eritque Deus* (de quo Vs. 13. ſermo erat) vobis *in Sanctuarium* (ut infra XVI, 12. LXIII, 18. Jerem. XVII, 12.), i. e. aſylum; quemadmodum enim templa apud alias antiquitatis gentes loca eo confugientibus tutiſſima extiterunt (vid. Pollucis *Onomaſtic.* L. I. C. I. Segm. 10. p. 9. edit. Amſtelod. 1710., Pausaniae *Corinth.* ſ. L. II. C. XIII. p. 140. ſequ. edit. Lipſ. 1695.), ita apud Judaeos quoque templum aſyli loco erat, uti apparet ex iis, quae 1 Reg. I, 50. de Adonia, et 1 Reg. II, 28. de Joabo ad templum velut ad aſylum confugientibus leguntur. Sic Brutus cum ſociis in oratione ad populum Romanum e Capitolio habita apud Appianum (L. II. *de Bello Civil.*): *Hic nunc agimus vobiscum* οὔτε ὡς ἐς ἱερὸν καταφυγόντες, *non tanquam ad fanum refugi*, οὔτε ὡς ἐπὶ κρημνὸν, *neque tanquam in locum praeruptum.* Fana enim apud Veteres ſuper montibus, naturali ſitu praeruptis, exſtrui ſolebant. Cf. Seldenum *de Synedriis* L. III. C. VIII., et J. C. Kühn עמנו אל מקדש *Immanuel Aſylum, ſive brevis Commentatio in Jeſaj.* VIII, 14. Lipſ. 1743. 4. Alludit vates ad verbum תַּקְדִּישׁוּ, quo Verſu ſuperiore uſus fuerat. Recte Kimchi noſtram vocem h. l. notare ait *arcem, et refugii locum, quo ſe quis recipit.* Steudel מִקְדָּשׁ, quod *ſanctae reverentiae objectum* hic notare vult, ut Ezech. XI, 16., ironice de Aſſyriae rege dici cenſet, cui et reliqua epitheta, quae ſequuntur, convenire exiſtimat, hoc ſenſu: vobis ille quidem eſt לְמִקְדָּשׁ, vos quidem, ac ſi ille מִקְדָּשׁ vobis eſſet, vos geritis; ſed quam triſti, eheu, eventu! Nobis tamen parum veriſimile videtur, vatem hic ſubito loqui de rege Aſſyriae, quum proxime antea de Jova loquutus eſſet. Minus feliciter Jarchi, qui verba וְהָיָה לְמִקְדָּשׁ interpretatur: *erit in praeparationem vindictae*, ſignificatione petita ex Num. XI, 18., ubi Moſes ad populum, eſum carnis immoderate expetentem:

tem: הִתְקַדְּשׁוּ לְמָחָר, *sanctificate*, parate, *vos in crastinum* ad judicium ac vindictam, quam Deus vobis destinavit. Sequutus est Jarchi Chaldaeum: וְאִם לָא תְקַבְּלוּן יְהֵי מֵימְרֵיהּ בֵּינֵיכוֹן לְפוּרְעָן, *quodsi non receperitis verbum ejus*, i. e. ipse, *erit inter vos in ultionem*. LXX: Καὶ ἐὰν ἐπ' αὐτῷ πεποιθὼς ᾖς, ἔσται σοι εἰς ἁγίασμα. Syrus quoque et Vulgatus propriam *sanctuarii* significationem exprimunt. Sed esse hoc loco *asyli* notione capiendum, manifestum facit, quod opponitur, וּלְאֶבֶן נֶגֶף, *verum et in lapidem offensionis*; נֶגֶף, quod alias, ut Num. XVII, 11. 12., *plagam* notat, hic, re ipsa docente, *offendiculum* indicat, a verbo נָגַף, *pede offendere, allidere*, Jerem. XIII, 16. Ps. XCI, 12. וּלְצוּר מִכְשׁוֹל *Et in petram offendiculi*, quum enim rupes sit praerupta, dura, aspera, immota, nemo in eam impingit absque gravi aliqua laesione. לִשְׁנֵי בָתֵּי יִשְׂרָאֵל *Duobus domibus Israelis*, Judaeis et Ephraimitis, qui ab uno Israele propagati, ac in unum coaliti regnum, Rehabeami tempore in duas quasi domos et familias sunt dissecti. In his multi erant pii, qui Jovam antiquo cultu prosequebantur, multo vero plures in utraque familia, qui antiquam et avitam religionem prodidere, et ad inanem deorum vanitatem defluxerunt. His ergo, qui divinitus editis promissionibus diffidebant, minatur cladem et perniciem, fidentibus autem promittit salutem. לְפַח וּלְמוֹקֵשׁ *In laqueum et in decipulam*, quibus incauti homines implicantur, et in perniciem trahuntur. Comparatur Deus vindex aucupi, ut Amos III, 5.; cf. Jos. XXIII, 13. 1 Sam. XVIII, 22. לְיוֹשֵׁב יְרוּשָׁלָ‍ִם *Habitatori*, incolis, *Hierosolymorum*, quibus disertius Judaei designantur, sive, Kimchio notante, ea Israelis domus, quae Hierosolymam tenet. Fuisse olim, qui hunc locum intelligerent de Immanuele (Vs. 8.), quasi vates praenunciet, illum aliis fore asyli loco, aliis vero, qui ipsum sint rejecturi, lapidis instar, in quem quis offendat et cadat, colligi potest inde, quod ab Evangelista Luc. II, 34. et Apostolo, 1 Petr. II, 7. hic locus ad Messiam refertur. De Immanuele s. Messia eundem intellexisse veteres Judaeos.

patet

patet quoque ex loco luculento Codicis Talmudici Sanhedrin, quem attulit Raymundus Martini in *Pugione Fidei*, p. 343, edit. Carpzov.

15. וְכָשְׁלוּ בָם רַבִּים *Impingent vero in eos*, lapides, אֶבֶן נֶגֶף et צוּר (Vs. 14.) *multi*. Alii בָּם vertunt *inter eos*, Judaeos et Ephraimitas, f. utramque domum Israelis (Vs. 14.). Ita Vulgatus: *et offendent ex eis plurimi.* וְנָפְלוּ וְנִשְׁבָּרוּ *Et cadent et confringentur*, Exod. XXII, 9. Pf. XXXIV, 21. וְנוֹקְשׁוּ וְנִלְכָּדוּ *Et irretientur* in laqueum illum incidentes, *et capientur*, eadem figura infra XXVIII, 13. Prov. VI, 2.

16. Adhuc videbatur vates illud volumen, de quo Vs. 1., habuisse explicatum et apertum, et quae ibi paucis erant notata literis, eadem pluribus explicuisse verbis; nunc jubetur ut complicet volumen servetque. צוֹר תְּעוּדָה *Liga*, colliga, tu, Jesaja, *testificationem*, scriptum illud, quo quid decreverit, testificatus est Jova, de quo supra Vs. 1. 2. Illud vero תְּעוּדָה hic dicitur non inde, quod *testibus* erat munitum, sed idem valet quod תּוֹרָה, quod sequitur, ut cognatum עֵדוּת, quod et *praeceptum* significat, vid. not. ad Pf. XXV, 10., et de verbo הֵעִיד, unde תְּעוּדָה derivatur, not. ad Pf. L, 7. חֲתוֹם תּוֹרָה בְּלִמֻּדָי *Obsigna doctrinam*, institutionem, διδαχήν, a me acceptam, i. q. תְּעוּדָה, *cum iis, qui a me edocti sunt*, adhibitis piis et sapientibus, qui divinis promissis, a vate pronunciatis, fidem habent. Sic infra LIV, 13. futuri restauratae Hierosolymitanae urbis incolae, pii illi atque sapientes vocantur לִמּוּדֵי יְהוָה, *a Jova instituti.* Complicandum igitur et obsignandum vati jubet Deus volumen, cui illud oraculum inscriptum esset, ut omnino apud posteros certum sit, haec a Jesaja regi ac populo esse denunciata. Ita et Daniel suis vaticiniis, quibus longe post eventura praenunciantur, signa imponere jubetur, ne quid demi aut addi queat, VIII, 26. XII, 4. Voces צוֹר et חֲתוֹם Kimchi non pro Imperativis sed pro Infinitivis habet, Praeteritorum loco positis (ut Jerem. XIV, 19. קַוֵּה *exspectare*, pro *exspectavimus*, et Ezech. I, 14. רָצוֹא

וָשׁוֹב

וְשׁוּב, *cucurrerunt et redierunt*) tunc suffixum in בְּלִמֻּדָי ad vatem erit referendum, narrantem, se cum suis discipulis hoc volumen obsignasse. Hebraeorum plerique nostro Versu Deum prophetae mandare volunt, clausum obsignatumque hoc de fatis utriusque regni vaticinium veluti depositum quoddam paucis Dei reverentibus hominibus, discipulis Dei et prophetae, servandum committere, a vulgi autem impii, et stulti oculis abscondere. Ita Chaldaeus: *Propheta, serva testimonium, ne testificeris illis, quia non obediunt, signa et absconde legem, quia eam discere nolunt.* Vocem צוֹר, Versus nostri initio, Sam. Petitus *Variar. Lectt.* C. X. vertit: *efforma, designa,* inscribe, *testificationem;* quomodo verbum צוּר Exod. XXXII, 4. 1 Reg. VII, 15. et apud Nostrum XLIV, 12. occurrit, significatione a יָצַר mutuata; verba חֲתוֹם תּוֹרָה בְּלִמֻּדָי vero ita reddit: *et signa legem in discipulis meis.* Quod sequutus Vitringa, qui ad Immanuelem, sive Messiam orationem dirigi existimat, eique hoc a Deo mandari existimat, ut legem et testificationem consignet atque obsignet in animis certorum Dei dispulorum. LXX sensum turbant. Vocem צוֹר interpres commati superiori jungit, vertens eam ac si scripta esset בְּצוּר, *in rupe,* unde haec prodit sententia: Καὶ ἁλώσονται ἄνθρωποι ἐν ἀσφαλείᾳ ὄντες, nostrum versiculum vero sic transtulit: Τότε φανεροὶ ἔσονται οἱ σφραγιζόμενοι τὸν νόμον τοῦ μὴ μαθεῖν. Quae verba Hieronymus hoc modo vertit et explicat: „*Tunc manifesti erunt, qui signantur, ut non discant legem.* Quod hunc sensum habet: quando ceciderint plurimi, et contriti fuerint, et impegerint in lapidem offensionis, et in petram scandali, tunc manifesti erunt qui signantur in populo, ut nequaquam discant legem Mosis, sed obediant praeceptis Evangelicis."

17. Hic finitis Dei verbis incipit iterum vates loqui, vel, admissa Kimchi interpretatione, ad Versum superiorem allata, orationem continuat: וְחִכִּיתִי לַיהוָה הַמַּסְתִּיר פָּנָיו מִבֵּית יַעֲקֹב וְקִוֵּיתִי־לוֹ, *ego vero praestolatus sum Jovam, qui occul-*

occultat faciem ſuam a domo Jacobi, et exſpectavi illum, i. e. quamquam Deus benevolentiam ſuam adverſus Jacobi poſteros abscondit, i. e. factis nondum oſtendit, ego tamen promiſſis ejus fretus opem ejus patienter opperiar. Chaldaeus hunc Verſum ita interpretatur: *Dixit Propheta: pro hoc oravi coram Domino, qui dixit ſe ſubducturum majeſtatem ſuam de domo Jacobi, et deprecatus ſum in conſpectu ſuo.*

18. הִנֵּה אָנֹכִי וְהַיְלָדִים אֲשֶׁר נָתַן־לִי יְהוָה לְאֹתוֹת וּלְמוֹפְתִים בְּיִשְׂרָאֵל *En ego, puerique, quos dedit mihi Dominus, ut eſſent ſigna et portenta in Iſrael,* per nomina ipſis divinitus impoſita ſignificationem habentia rerum futurarum, *Schear-Jaſchub,* vatis filius natu major, VII, 3., et natu minor *Maher-Schalal-Chaz-Baz,* ſupra Vs. 3. Eodem ſenſu Sacharjae vatis collegae III, 8. אַנְשֵׁי מוֹפֵת *viri portenti* ſeu *ominis* dicuntur; vid. not. ad eum loc. Licet, ait vates, Deus benevolentiam ſuam nondum oſtendat, exſpecto tamen ab illo meliora; nam in duorum filiorum nominibus nihil eſt, in quibus non aliquid affulgeat ſpei. Nomen prioris filii convertendas eſſe dicit populi reliquias; poſterioris filii vero nomine brevi liberandam eſſe Judaeam a duobus regibus hoſtilibus indicatur. מֵעִם יְהוָה צְבָאוֹת *A Jova, domino exercituum* (vid. ſupra Vs. 13.), pro, *a ſeſe,* pro ſua voluntate. הַשֹּׁכֵן בְּהַר צִיּוֹן *Qui habitat in monte Zion,* ut Joel IV, 17. 20. *Natis,* ſ. *filiis,* יְלָדִים, veteres Hebraei, Jarchio obſervante, intelligunt vatis *diſcipulos.* Ita et Hieronymus: „Exſpectabo Dominum meum, et non ſolum ego, ſed et pueri, quos mihi dedit Dominus, alii videlicet prophetae, et filii prophetarum, qui non ex voluntate carnis et ſanguinis, ſed ex Deo nati ſunt. De quibus et Apoſtolus [Galat. IV, 9.] loquebatur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* Iſti autem pueri, id eſt, prophetae, in ſigna dati ſunt et in portenta Iſraeli, juxta illud, quod in Ezechiele [XXIV, 24.] legimus: *Et erit Ezechiel vobis in ſignum.* In Zacharia quoque

quoque [III, 8.] ſancti viri, prophetarumque diſcipuli *τερατοσκόποι*, id eſt, portentorum ſignorumque ſpectatores appellantur, eo quod ſemper prophetae in ſignum praeceſſerint futurorum."

19. Illa ſub Ahaſo tempora plena fuiſſe ſuperſtitionis et impietatis, ſatis patet inde, quod rex idolis altaria exſtruxit, et peregrinos ritus in Jovae templum iuvexit, vid. 2 Reg. XVI, 10. ſeqq. Quia ergo futurum erat, ut in rerum anguſtiis (*dum Jova ſuum vultum occultaret*, Vs. 17.) homines impii idola conſulerent, et ab hariolis et falſis vatibus oracula peterent; noſter vates jubet, ut ſuum potius vaticinium, divino juſſu conſignatum, conſulant homines. In hunc Verſum et eos, qui proxime ſequuntur, cf. DAV. A COELLN Commentationem quam inſcripſit: *Jeſaja an die abergläubiſchen Juden unter Ahas Jeſaj. VIII*, 19—22. in den *Analekten für das Stud. der exeget. und ſyſtemat. Theologie* Vol. II. P. III. p. 57. ſeqq. וְכִי־יֹאמְרוּ אֲלֵיכֶם דִּרְשׁוּ אֶל־הָאֹבוֹת *Quodſi dicunt vobis: conſulite necromantes!* Verbum דָּרַשׁ cum אֶל conſtructum notare *aliquem conſulendum adire*, cf. Deut. XVIII, 11. infra XI, 10. Job. V, 8., pluribus oſtendit AURIVILLIUS, *Diſſertatt.* p. 441. אוֹבוֹת eſſe *νεκρομάντεις*, feminas, quae manes evocare eosque conſulere perhiberent, ſive, ut HIERONYMI verbis utamur infra ad XXIX, 4., quae exercerent „*νεκρομαντείαν*, per quam animas evocare dicuntur, et tenues umbrarum, imo daemonum, audire voces," qualis femina 1 Sam. XXVII, 7. ſeqq., evicit DAV. MILLIUS in Diſſert. *de* אוב et אובות *ad quale divinandi genus referendum ſit?* quae eſt duodecima illius *Diſſertatt. Selectt.* Lugd. Batav. 1743. 4. Cf. MICHAELIS *Supplemm.* p. 38. LXX *ἐγγαστριμύθους*, *ventriloquos*, Vulgatus *pythones*, Chaldaeus בִּדִּין, *mendaces*, Syrus ܙܟܘ̈ܪܐ, *hariolos*, Saadias الْمُشَعْوِذِينَ, *praeſtigiatores*, vertunt. וְאֶל־הַיִּדְּעֹנִים *Et divinos*; ut recte Hieronymus, eſt enim vox a יָדַע, *ſcivit*, deducta, quaſi qui *futura ſcire prae*

ſe

se ferunt (coll. Syr. ܙܡܪܐ, *hariolus*, *sciolus*, *magus*), conjungiturque cum אוב et Levit. XX, 27. Deut. XVIII, 11. 2 Reg. XXI, 6. LXX: Τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς φωνοῦντας. Saadias: العرافين, *hariolos*. המצפצפים *Qui mussitant*. Verbum צפצף proprie notat *garritum avium*, coll. infra X, 14. XXXVIII, 14., et speciatim *pipitum passerum*, ut ex Arabico صفصف constat. Cf. J. C. Velthusen *Commentat. ad Cant. Hiskiae Jesaj.* XXXVIII, 14. in *den Kielischen Beyträgen*, P. II. p. 282. Dicitur de vatibus necromanticis, qui mortuorum umbras evocantes, eorumque voces imitati, exili solebant et submissa voce uti. Procopius ad XXIX, 4.: Λέπτα λέγοντες καθάπερ ἐπὶ νεκρομαντείας οἱ δαίμονες ψυχὰς τὰς καλουμένας ὑποκρινόμενοι, *exiliter loquentes ut daemones, qui simulant se esse animas, quae per necromantiam evocantur.* Nempe umbrarum non esse putabatur, clare loqui, sed

tollere vocem

Exiguam, inceptus sonus frustratur hiantes,

uti Virgilius ait *Aeneid.* VI, 492. sequ. Verbo hebraeo prorsus congruit graecum στρουθίζειν, quod Suidas per τρίζειν explicat, de *avicularum stridore* usitatum, et hinc ad manium exilem et tenuem vocem transfertur. Lucianus in *Necyomanti* ubi cum Mithrobarzane mago ad inferos descendisset, dicit: ἔνθα δὴ περιεπέτοντο ἡμᾶς τετριγυῖαι τῶν νεκρῶν αἱ σκιαί, *ibi circumvolitabant nos stridulae mortuorum umbrae.* Heliodorus autem *Aethiop.* L. VI. p. 295. ὑποτρύζειν eodem sensu manibus evocatis attribuit: ὁ νεκρὸς οἷον ἐκ μυχοῦ τινὸς ἢ σπηλαίου φαραγγώδους βαρύ τι καὶ δυσηχὲς ὑποτρύζων. *Mortuus tanquam ex abstruso loco, aut antro confragoso grave quiddam et asperum mussitans.* Plura vid. in Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. C. II. T. II. p. 30. sequ. edit. Lips. LXX: Τοὺς κενολογοῦντας. Vulgatus hanc vocem una cum proxima sic reddit: *qui strident in incantationibus suis.* In Saadiae versione a S. V. Paulo

edita

edita pro hebraico הַמְצַפְצְפִים legitur المُوَصْوِصِين, quod refert ad verbum وَصْوَص, *oculis vix apertis et micantibus intueri.* Nobis non eſt dubium, ſcribendum eſſe المُصَاصِيين, Particip. Conjug. III. verbi صَصَي, ſignificatione non diverſi a صَأَي, *pipivit, ſonum edidit,* pullus avis, glis. Certe يُصَاصِي pro hebraeo מְצַפְצֵף ponit Arabicus in Polyglottis interpres infra X, 14., eo loco contra morem conſuetum non Graecam verſionem, ſed fontem hebraeum, exprimens. וְהַמַּהְגִּים *Et gementes;* verbum הָגָה de *columbarum gemitu* dictum infra XXXVIII, 14., hic ad manium evocatorum *flebilem vocem* indicandam adhibetur. Sic enim Virgilius de Polydori manibus *Aeneid.* III, 39.

gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo et vox reddita fertur ad aures.

Et Claudianus *in Rufinum* L. I. 126.

Illic umbrarum tenui ſtridore volantum
Flebilis auditur queſtus.

Horatius *Sat.* L. I. VIII, 40.

Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana reſonarent triſte et acutum.

Plura de umbrarum ſtridore vid. apud Brockhusium ad *Tibullum* L. I. Eleg. II, 47. LXX: *Οἱ ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦσιν.* Rectius Chaldaeus: וּדְמְנַהֲמִין, *et qui gemunt.* Saadias: الهَذَّارِين, *vaniloquos.* Subjungit vates, quid ſuperſtitioſis iſtis ſit reſpondendum. Ante verba, quae ſequuntur, ſubaudiendum igitur תַּעֲנוּ, *reſpondebitis;* quod recte expreſſit Saadias: وَقُولُوا لَهُم, *tunc dicatis iis.* הֲלוֹא־עַם אֶל־אֱלֹהָיו יִדְרֹשׁ *Nonne populus Deum ſuum* potius quam manes *conſulat?* Numquid non eſt Deus nobis, Jova, a quo populus ex-

exquirat responsa? Simili fere sensu apud Euripidem *Helen.* 759. respondet chorus:

Τί δῆτα μαντευόμεσθα; τοῖς θεοῖσι χρὴ
Θύοντας αἰτεῖν ἀγαθὰ, μαντείας δ᾽ ἐᾶν.

Quid ergo vates consulimus? Diis oportet sacrificantes bona petere et mittere vaticinia. Chaldaeus nostra verba hoc modo explicat: *Nonne haec via est populorum idola colentium? populus unusquisque ab idolo suo requirit.* Melius Jarchi: „Haec sit responsio vestra: nonne populus, sicuti nos, cui Deus est, sicut Deus noster, Deum suum consulet?" בְּעַד הַחַיִּים אֶל־הַמֵּתִים *Pro vivis mortuos* scil. נִדְרוֹשׁ, *consulamus?* necromantas, qui mortuorum umbras consulant? Quisnam, inquit, cui mens sana, a mortuis, in vivorum causa, et pro illorum salute, poscet oracula? בְּעַד *Pro*, non *substitutive*, ut תַּחַת, sed habet significationem *utilitatis*, ut Jerem. XXI, 4. דְּרָשׁ־נָא בַּעֲדֵנוּ יְהוָה, *consulito, quaeso, pro nobis Jovam.* Cf. XXXVII, 3. 7. Genes. XX, 7. 1 Sam. VII, 9. Jarchi: „Forsan dicetis nobis, o gentes, ut simus sicuti vos, et quaeramus res, quae viventibus sunt necessariae, a mortuis."

20. לְתוֹרָה וְלִתְעוּדָה *Ad legem magis et testimonium!* uti Hieronymus non male vertit. Teneant se isti meae testificationi atque institutioni, de qua supra Vs. 16. Vel repeti potest ἀπὸ τοῦ κοινοῦ דִּרְשׁוּ, *consulite*, quod cum ל quoque construitur Job. X, 6. 2 Chron. XVII, 3. 4. אִם־לֹא יֹאמְרוּ כַּדָּבָר הַזֶּה אֲשֶׁר אֵין־לוֹ שָׁחַר *Quodsi non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux*, itidem ex Hieronymi interpretatione, quam ipse ita explicat: „Docet ergo discipulos, et infert ad legem et testimonium; si de aliquo dubitatis, scitote scriptum [Deut. XVIII, 14. 15.]: *Gentes, quas Dominus Deus tuus disperdet a facie tua, somnia audiunt et divinos, tibi autem non ita tradidit Dominus Deus tuus. Prophetam suscitabit Dominus vester e fratribus vestris sicut me, illum audietis.* Unde si vultis nosse, quae dubia sunt, magis vos legi et testimoniis tradite

Scriptu-

Scripturarum. Quodſi noluerit veſtra congregatio verbum Domini quaerere, non habebit lucem veritatis, ſed verſabitur in erroris tenebris.“ Quibus poſterioribus verbis optime explicat noſtrum locum, qui ab aliis et veteribus et recentioribus interpretibus mirum in modum eſt vexatus. LXX hunc Verſum ita reddiderunt: *Νόμον εἰς βοήθειαν ἔδωκεν, ἵνα εἴπωσιν οὐχ ὡς τὸ ῥῆμα τοῦτο, περὶ οὗ οὐκ ἔστι δῶρα δοῦναι περὶ αὐτοῦ*, hoc, uti videtur, ſenſu: Deum dediſſe legem, ut ea populo ſuo in calamitatibus et aerumnis ipſius ſuccurreret, eſſetque conſolationi atque auxilio, neve ea deſtituti cogerentur confugere ad mendacia falſorum Deorum oracula, quae tanti non ſunt, ut pro illis munera ſint falſis prophetis danda. Videtur autem Graecus interpres legiſſe חֹזָרָה לְסַעוּדָה, nam סְעַד Alexandrini interpretes haud raro reddunt per *βοηθεῖν*, unde סְעוּדָה *βοήθεια*. Pro שָׁחַר legiſſe videri poſſit שֹׁחַד, *munus*, quod ipſum et Syrus expreſſit, cujus interpretatio eſt talis: ܠܢܡܘܣܐ ܘܠܣܗܕܘܬܐ
ܕܠܐ ܢܐܡܪܘܢ ܐܝܟ ܡܠܬܐ ܗܕܐ ܕܠܝܬ ܠܗ ܡܘܗܒܬܐ ܥܠܘܗܝ ܫܘܚܕܐ
legem et teſtimonium conſulite, *ut ne proferant hujusmodi ſermonem, pro quo nullum dandum eſt munus.* Poſſit vero et Graecus et Syrus interpres idem quod nos, שָׁחַר, legiſſe, ſed ei nomini notionem *rei quaeſitu dignae, expetendae* tribuiſſe, ut Hebraeorum quidam, quos mox audiemus. Chaldaeus: כְּדֵין תֵּימְרוּן לְהוֹן לְאוֹרַיְתָא דְאִתְיְהִיבַת לָנָא וּלְסַהֲדוּ אֲנַחְנָא שָׁמְעִין אֱלָא תִּגְלוֹן לְבֵינֵי עַמְמַיָּא וְיֵימְרוּן לְכוֹן בְּפִתְגָּמָא הָדֵין מִכְּעַן לֵית לֵיהּ מַן דִּישַׁחַר וְיִבְעֵנֵיהּ Quae verba in Latina verſione in Polyglottis ſic reddita leguntur: *Sic dicetis eis: legem, quae data eſt nobis in teſtimonium, audivimus. Niſi transmigraveritis inter populos, et dixerint vobis juxta verbum hoc, jam non erit ei, qui mane conſurgat et requirat illud.* Sunt verba, non ſenſus. Nos Chaldaica ita vertimus: *Sic dicetis eis: legem, quae nobis eſt data, et teſtimonium, nos audimus. Sed transmigrabitis inter gentes, quae dicent vobis ſecundum hoc verbum,* i. e. in hunc modum: *jam non eſt ei* populo e patria terra

in

in peregrinam deportato, ullus, *quem requirat aut roget,* f. *consulat.* אִם־לֹא cepit interpres pro *sed,* quomodo fane Genef. XXIV, 38. capiendum. אֲשֶׁר vero videtur eo modo accepiſſe, quo faepe Syris ܕ in uſu eſt, ut ponatur ante verba aliena in medium allata, ad imitationem Graeci ὅτι, vid. J. D. Michaelis *Grammat. Syriac.* §. 139. p. 294. Denique nomini שֹׁחֵר *quaesitus* fignificationem tribuit; a *quaerendi* notione, qua Participium Cal Prov. XI, 27. occurrit, faepius vero forma Piel. Sed plura intulit interpres, quorum nullum in textu hebraeo veſtigium apparet. Eodem modo, quo Chaldaeus, nomen שַׁחַר cepit quoque Saadias, qui hunc Verfum fic reddit: للدلالة وشهادة وان لم يقولوا هذا القول الذي ليس له طلب, *inſtitutioni et teſtimonio* teneatis vos. *Niſi dicant hoc verbum, cui nulla quaeſitio.* Quid ea intellexerit, clarum fiet ex Jarchii expoſitione: „Haec fit reſponfio veſtra, quod cuſtodiatis legem, f. inſtitutionem, de qua fupra Vs. 16., neque credatis verbis illorum. Poſtquam dederitis hoc reſponfum, videbitis et audietis, annon cordatiores eorum verbis veſtris fidem fint habituri, atque dicturi: vere ita res fefe habet, non eſt illi, Deo necromantis et harioli, quaeſitio, i. e. non convenit, ut quis mane et fedulo illum quaerat; quomodo interpretatus eſt Jonathan [Paraphraſtes Chaldaeus].“ Kimchio ל ante תּוֹרָה et תְּעוּדָה, nec non אִם־לֹא funt jurisjurandi formulae (ut v. e. Pf. CXXXI, 2.), quafi hoc velit vates: per legem et teſtimonium! fi non, i. e. profecto vos alloquentur iſtiusmodi verbis (quae priori Verfus 19. hemiſtichio allata erant), in quibus eſt nihil aurorae, i. e. fanae mentis. Frigidiufcule. Theod. Hasaeus in *Hiſt. Crit. Reipubl. Litt.* T. XII. p. 225. et T. XIII. Differt. 2., nec non in *Biblioth. Bremenſis* Claff. I. Fafc. I. no. III. §. XV. p. 55. noſtro שַׁחַר *nigredinis, tenebrarum* fignificatum tribuit, quia verbum שָׁחַר *denigrari, nigrum eſſe* denotat;

locum-

locumque nostrum sic reddit: *Ad legem et testimonium! Annon enim loquentur secundum hoc verbum, in quo nulla est nigredo,* vel *obscuritas?* Aut sine interrogatione: *si non loquentur secundum hoc verbum, cui nulla est obscuritas.* Verum nomen שַׁחַר ter et vicies in V. T. constanti *aurorae* notione obvium hoc solo loco *nigredinis* significatu usurpari, parum est verisimile. Pluribus refutavit Hasaei interpretationem J. Guil. Hicke in *Differt. Crit. qua verborum Esajae* אשר אין לו שחר *Cap. VIII. comm. 20. aliorumque cognatorum locorum sensus genuinus propugnatur,* Vitemb. 1722. 4., et Wolfg. Dan. Sonnenmayer in Differt. theolog. (praes. Gust. Georg. Zeltner defensa) *de aurora fidei inter rationis tenebras emergente ad Jesajae Cap. VIII,* 19. 20. Altdorf. 1723. Illud ipsum obstat interpretationi propositae primo a Vrimoet[a] *ad Dicta Classica V. T.* T. I. p. 110., et in *Observatt. miscell.* Cap. X. §. 16. 17. 18., tum magno eruditionis apparatu commendatae atque exornatae ab Everh. Scheidio in *Differtat. ad loca Jesaj. VIII,* 20. *et Ezech. VII,* 7. P. I. II. Harderovic. 1770. 1771. 4., et eodem tempore a J. F. Schelling in libro *de usu linguae Arabicae* germanice scripto (*Abhandlung von dem Gebrauche der Arabischen Sprache zu einer gründlicheren Einsicht in die Hebräische,* Stutgard. 1771. 8.), p. 95., nostrum שַׁחַר obtinere significationem Arabici سِحْر, *fascinum, incantamentum, praestigiae,* unde vertunt: *si non dixerint secundum verbum hoc cui nulla incantatio,* i. e. Scheidio explicante, adversus quod nulla valet incantatio, omni malorum genere obruantur ac funditus pereant; aposiopesin enim per verba אִם־לֹא formari putat, cujusmodi aposiopeseos exempla plura adducit; etsi post magis inclinare videtur ad hanc sententiam, constitui per verba אִם־לֹא protasin, cui subjungatur apodosis Versu proximo praefixo ו, hoc modo: *si non loquuti fuerint secundum verbum illud, adversus quod nulla valet fascinatio,* tum certe transiturus est per eam terram unusquisque dura pressus paupertate fame-

famelicusque, Vs. 21. Illa ex arabica dialecto petita *fascinationis*, *praestigiarum* significatio arrisit plerisque interpretibus, eam et ad aliam nostri vatis locum, infra XLVII, 11. transferentibus. Dathius: *Illud effatum, illud vaticinium consulite! quod qui negligit, in quo nulla est fascinatio*, is terram peragrabit animi angoribus pressus. Doederlein: *Quodsi diversa ab hoc oraculo praestigiarum experte proferent*, terrore pressi vagabuntur. Ita et Koppe ad Lowthi Annotatt. in h. l. et Michaelis in *Supplemm.* p. 2314. Verum nomini toties in V. T. indubitata *aurorae* significatione occurrenti uno tantummodo alterove loco novam vicinae dialecto propriam notionem adscribere, haud satis consulte. Idem sensit Kocherus, etsi alias dialectorum cognatarum opem minime adspernans. Is vero nostrum locum hoc modo interpretatur: *Quodsi non loquantur secundum verbum istud, nulla sane illi*, quisquis fuerit, *aurora*, spesve salutis, futura est. „Ea vis," addit, „et elegantia inesse videtur, ut amittere hanc interpretationem nolim; nam שַׁחַר *auroram*, nec aliud quidquam in codice hebraeo dicere existimo, a *nigrore* ducto nomine; quod primula nigricet; quemadmodum apud Graecos Latinosque a fulgore, qui in adulta cernitur, appellationem nacta est. Itaque שַׁחַר de densis locustarum nubibus, quae coelum quasi subtexunt, tenebrasque aurorae primae et nigricanti adhuc similes terris inducunt, perquam eleganter adhiberi censeo Joelis II, 2. Sic eleganter *aurora mali* Esajae XLVII, 11. illius primam obscuramque originem designat. Ceterum אֲשֶׁר hic alibique non tam redundare, quam sententiam confirmare putandum est; exempla dabit Noldius *Concordant.* p. 104. 105. Atque ὅτι in N. T. per Hebraismum eodem modo usurpatum reperitur." אֲשֶׁר more Chaldaici דִּי et Syriaci ܕ saepe vim mere asseverativam habere, observavit Ludov. de Dieu locis pluribus *Crit. S.* veluti ad Nehem. IV, 12. (al. 6.), Job. V, 5. Ps. X, 6. CXL, 20. Cohel. V, 17. Habac. III, 16. Matth. I, 22. Nos igitur vel in ea, quam supra ex Hieronymo attulimus, interpretatione, quam ipse Hebraeorum esse dicit, vel in

Koche-

Kocheriana acquiescendum arbitramur. Ratione parum diversa GROTIUS horum verborum sensum enarrat: „Si aliter loquentur, omnis prosperitas (hanc *lucis* nomine significant Hebraei, ut jamjam Vs. 22. *caligo* ponetur pro rebus adversis) ab ipsis longe aberit.“ Similiter A COELLN locum sic interpretatur: *nisi ita loquatur populus, cui nulla affulget aurora*, i. e. nulla spes melioris status. Sed אֲשֶׁר GESENIUS apodosi indicandae inservire putat, ut Zachar. VIII, 23. 2 Sam. II, 4., quemadmodum frequentius ו et Syris ܕ, quod Hebraico אֲשֶׁר per omnia respondet, usurpatur. Ita noster locus sic est vertendus: *nisi ita populus loquatur; ei nulla affulgebit aurora.* Plurium aliarum hujus loci interpretationum farraginem congessit J. C. ORTLOB in *Dissert. de aurora verbi divini non falsi ad* Esaj. VIII, 20. Lips. 1715.

21. וְעָבַר בָּהּ *Et transibit* cui nulla aut veritatis aut felicitatis lux affulget (Vs. 20.) *in ea*, s. *per eam*, terram, quae mox memoratur Vs. 22. Haud raro Hebraei pronomen praemittunt nomini, ad quod refertur, veluti Ps. LXXXVII, 1. יְסוּדָתוֹ, *fundamentum ejus*, Zionis, quod Versu proximo memoratur. Vid. GLASSII *Philol. S.* p. 157. edit. Dath. et STORRII *Observatt.* p. 399. sequ. Recte igitur Chaldaeus: וְיִעְדֵּי בְּאַרְעָא *et transibit per terram.* Alii suffixum in בָּהּ referunt ad תּוֹרָה, Vs. 20., vertuntque vel: *transibit*, i. e. percurret legem, solatii quaerendi caussa, ut Amos VIII, 12. יְשׁוֹטְטוּ לְבַקֵּשׁ אֶת־דְּבַר־יְהוָה וְלֹא יִמְצָאוּ, *discursitabunt ad quaerendum verbum Jovae, nec invenient*, cf. Dan. XII, 4.; vel: *nam qui transibit*, sive, *transgressus fuerit eam* legem, quemadmodum *transire per* (בְּ) *terram*, Num. XXI, 23., et *transire terram* (sine praefixa particula) infra XXIII, 10., idem sit. Verum in hac *transgressionis* significatione verbum עָבַר vel cum nudo nomine, ut infra XXIV, 5., vel cum אֶת construitur, ut Jos. VII, 11. 15.; cum בְּ autem semper est *pertransire*, ut infra X, 28. Genes. X, 46. Proverb. IV, 15. 2 Sam. XX, 14. HIERONYMUS: „Lux (שַׁחַר) pertransibit

 eam,

eam, hoc est, congregationem vestram, sive terram." Hoc velle videtur: lux transibit cursim per domum Jacob, non vero in ea diu commorabitur. נִקְשָׁה *Gravatus*, difficultate pressus, versatus in magno angore et animi aegritudine, quo se verteret nescius. Respondet Graeco βαρούμενος 2 Cor. V, 4. A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. confert Arabicum مكي, *durus*, quod de *famelico, mendico* dicitur. Persis quoque سخت (*saecht*), *durus*, usurpatur pro *adflicto*, *conturbato*, et سختي (*saechti*), *durities*, pro *adversitate*. Cf. Schultens *Animadverss. philologg. ad Job.* V, 22. in *Opp. minorr.* p. 14. LXX haec verba cum proximo וְרָעֵב vertunt: καὶ ἥξει ἐφ' ὑμᾶς σκληρὰ λιμὸς, duas hasce voces ἓν διὰ δυοῖν arbitrati, qualia apud Virgilium: *molemque et montes; pateris libamus et auro*, ut *duritia* et *fames* unam rem significent; cf. supra ad I, 13. Symmachus ἐσκανδαλισμένος vertit, quod sequutus Hieronymus: *corruet.* Nec abludit Chaldaeus, qui מַקְלָא *corruens*, posuit. Legerunt illi non נִכְשָׁל, ut conjecit Lowthus, sed vel retulerunt נִקְשָׁה ad נְקַשׁ, quod Chaldaeis *allidere* est, vel eum, qui *durum* ad lapidem stipitemve impactus corruat, ea voce significari opinati sunt. רָעֵב Michaelis ad *Lowthum de Poesi Hebr.* T. I p. 181. (p. 489. edit. Lips.) vertit *timidus*, collato Arabico رعب, *timuit*, quod Doederleinio et Dathio quoque placuit. Nos tamen retinendam arbitramur vulgarem interpretationem: *famelicus*, cujus dicti elegantiam non assequuti sunt illi interpretes, qui hic cogitarunt de *fame*, proprie sic dicta. Indicatur potius *vacuus solatio, solatium* in summis angoribus *quaerens* et *circumspiciens.* Hoc fere sensu occurrit Ps. CVII, 4. 5. *Errarunt in deserto* רְעֵבִים, esurientes, *etiam sitibundi, et anima eorum in iis erat obvoluta*, sive *oppressa*; multis curis gravati et undique pressi circumspicientes consolationem. Conferendus et Amosus, Cap. VIII, 11. *Ecce dies veniunt, ait Dominus Jova, quibus missurus sum famem in terram; non esuriem panis, nec sitim aquae, sed audiendi*

diendi verba Jovae; verba ſolatii. וְהָיָה כִּי־יִרְעַב וְהִתְקַצַּף וְקִלֵּל בְּמַלְכּוֹ וּבֵאלֹהָיו *Fietque cum eſuriverit*, fruſtra ſolatium quaeſiverit, *ut efferveſcat, et maledicta conjiciat in regem ſuum et deum ſuum*, quo plerique ex Hebraeis interpretes intelligunt falſum deum, cujus cultui ſe impii illi et ſuperſtitioſi homines manciparant. Ita Chaldaeus: *Fietque cum expertus fuerit famem et afflictionem, maledicet et contemnet* שׁוּם פַּחְכָּרֵיהּ וְטַעֲוָתֵיהּ *nomen imaginis ſuae et idoli ſui.* Gravior tamen erit ſententia, ſi Deus intelligatur gentis Hebraeae, *regis et dei* nomine et Pſ. V, 3. LXVIII, 25. nuncupatus, quem cum ſentirent illi ſibi iratum et adverſum, deſperatio eos concitavit ad hunc animi furorem, ut in ipſum ſanctiſſimum et potentiſſimum numen convicia et maledicta jacerent; fere ut de Albanis Livius L. I. C. 31., quod *fortunae obirati cultum reliquerant Deorum.* Noſtrum locum forſan reſpexit Joannes Apocal. XVI, 11. *Καὶ ἐβλασφήμησαν τὸν θεὸν τοῦ οὐρανοῦ ἐκ τῶν πόνων αὐτῶν.* Cf. ibid. Vs. 21. וּפָנָה לְמָעְלָה *Atque ita* indignabundus *ſuſpiciet ſurſum*, לְמִבְעֵי פּוּרְקָן, *ut quaerat ſalutem*, ut bene addit Chaldaeus, *poſtquam ſignata eſt ſententia, nec tamen poterit* obtinere illam. Repraeſentatur ad vivum deſperatio hominis per ſtulta conſilia, quae melioribus imprudenter praetulerat, ad extrema acti. Sic bacchatur demens, ut ſurſum in coelum oculos iratos et ſcintillantes attollens, in Deum, quaſi malorum cauſam, maledicam et blaſphemam linguam exacuat.

22. Quum e coelo atque irato numine nihil ſperare poſſit in illa rerum anguſtia praeſidii, ad terram ſeſe convertet: ſed inde quoque et erumpet calamitas, et offundentur tenebrae; neque ullum ab eo angore inveniet effugium. וְאֶל־אֶרֶץ יַבִּיט *Quodſi vero ad terram* atque humana auxilia *reſpexerit.* Chaldaeus: *et auxilium quaeret ab habitatoribus terrae.* Similis locus ſupra V, 30. וְהִנֵּה צָרָה, *ecce* undique inſtabit *anguſtia*, 1 Sam. XXVI, 24. Geneſ. XLI, 21., uti praedictum Deut. XXXI, 17. Chaldaeus: *quando venerit*

nerit ſuper eum anguſtia famis. וַחֲשֵׁכָה *Et tenebrae,* nulla conſolatio, nulla ſpes ſalutis. מְעוּף צוּקָה *Obſcuritas anguſtiae,* tenebrae angoris et terroris plenae. מְעוּף nomen formae מָצוּק 1 Sam. II, 8. XIV, 5., ut מְבוּשׁ, Deut. XXV, 11. a radice עוּף, *obſcuratum* eſſe, Job. XI, 17. Alii: *vertigo anguſtiae, ſ. vertiginoſum anguſtiae,* i. e. anguſtia vertiginem et deliquium animae adferens, coll. Jud. IV, 21. וְהוּא־נִרְדָּם וַיָּעַף וַיָּמֹת, *et ille ſopore oppreſſus, et deliquit et mortuus eſt.* Cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1868. Ad יָעַף, *defatigavit,* nomen noſtrum et retulit Chaldaeus, qui שַׁלְהֵי עָקָא, *defatigatio anguſtiae,* poſuit. LXX: *ἀπορία στενή.* Vulgatus: *diſſolutio, anguſtia.* וַאֲפֵלָה מְנֻדָּח *Et in caliginem* (לַאֲפֵלָה, ut Jarchi habet) *propulſus* erit, ut impingat et cadat, coll. Jerem. XXIII, 12. *Via eorum quaſi* merae *lubricitates erit,* בָּאֲפֵלָה יִדַּחוּ וְנָפְלוּ בָהּ *in caligine impellentur,* trudentur ad lapſum, *et cadent in ea.* Talia minatus erat Moſes leges divinas transgreſſuris Deut. XXVIII, 29. *Ut in meridie palpans,* כַּאֲשֶׁר יְמַשֵּׁשׁ הָעִוֵּר בָּאֲפֵלָה, *quemadmodum caecus in caligine palpat, improſperas vias habebis.* Cf. Proverb. IV, 19. דֶּרֶךְ רְשָׁעִים כָּאֲפֵלָה, *via impiorum quaſi caligo eſt, qui quo impingant, neſciunt.* LXX: Καὶ σκότος ὥστε μὴ βλέπειν. Hieronymus: *caligo perſequens;* quaſi Participium activum legiſſet hoc modo: אֹפֶל הַמְנַדֵּחַ. Sed Adjectivo articulus non ſolet praeponi, ubi nomini ſubſtantivo non eſt praepoſitus. Chaldaeus: קְבַל וּבִדּוּר *tenebrae et diſperſio.* Participium paſſivum ſumſit ſenſu nominis abstracti, quomodo ea haud raro ſumenda eſſe conſtat; ceterum in hisce duabus vocibus aſyndeton ſtatuit. Ita et recentiorum interpretum plures, qui *caligo, propulſum* ſ. *propulſio* vertunt. Syrus: ܘܥܡܛܢܐ ܢܕܚܝܘܗܝ *atque caligo propulſabit eum.* Saadias: وأفل منتشر فيها *et caligo diffuſa in ea* terra. Senſu non multum diverſo Kocherus, appoſitionem hic eſſe exiſtimans, ut dicatur *caligo, propulſum,* pro *caligo late tenta,* aut neutrali potius

pro

pro adverbio uſu: *caligo late.* „Sic Arabicum نَدَحَ *dilatavit*; نَدْح et نُدْح, *terra ſpatioſa, amplitudo*, نَدَح, *res eminus apparens.* Tale quid accentus Tiphcha monere videtur.“ Eleganter imaginibus hic coacervatis noſter deſcribit deſperationem et gravem miſeriam eorum, qui divina oracula negligunt: omnia in coelo et in terra atra ſunt et obſcurata; atque homines, velut in caligine, incerti vagantur, conſilii inopes, preſſi calamitatibus, quo ſe vertant, neſcii. Similiter Mohammed in Cor. Sur. II. Vs. 17—20. depingit miſeriam eorum, qui Coranum ſpernunt: *Similes ſunt ei, qui accendere velit ignem, poſtquam autem illuminaverit, quod eſt circa eum, auſert Deus lumen eorum et relinquit eos in tenebris; non videbunt. Surdi, muti, coeci ſunt; ideo ipſi non revertentur. Vel ſunt ſicut illi, quibus ſupervenit tempeſtas e coelo, in qua tenebrae ſunt et tonitru et fulgur. Ponunt digitos ſuos in auribus ſuis propter fulmina cum vehementi tonitru deorſum ruentia ob timorem mortis; et Deus circumdat infideles. Prope eſt, ut fulgur rapiat oculos eorum; quotiescunque illuxerit eis, ambulabunt in eo; ſed cum caligo eos invaſerit, ſtabunt.*

23. Severam comminationem promiſſum laetum excipit, cujus hic initium, caetera deinceps C. IX, 1. ſeqq., neque ſatis apta Capitum diviſione leguntur. In Bibliis Buxtorfianis tamen Rabbinor. Commentariis illuſtratis Cap. IX. recte hoc Verſu inchoatur. Poſtquam infelicitatem deſcripſiſſet eorum, qui oraculis inſtitutionibusque divinis nullam fidem adhibent, conſolatur pios ſpe laetiorum temporum. כִּי לֹא מוּעָף לַאֲשֶׁר מוּצָק לָהּ *Sed non* erit *obſcuratio* perpetuo duratura *ei* terrae, *cui anguſtia fuit.* Particulam כִּי h. l. vim obtinere *adverſativam, veruntamen, ſed*, ut Pſ. XLIV, 4. Cohel. VI, 2. Dan. IX, 18. 2 Paral. XX, 15. (cf. Noldii *Concordantt.* p. 374.), docet res ipſa, ſubitus a triſtibus

ſtibus ad laeta transitus. מוּעָף eſt ſubſtantivum formae Participii Hophal verbi עוף, *obtenebreſcere* (unde עֵיפָה, *caligo*, Amos IV, 13., עֵפָתָה *caliginoſa*, Job. X, 22., תָּעֻפָה, *obtenebreſces*, ibid. XI, 17.), cf. מְעוּף, ſupra VIII, 22. Eadem eſt ratio proximi מוּצָק, obvii quoque Job. XXXVI, 16. XXXVII, 10. indubia *arctitudinis* notione, a צוק, idem igitur, quod Vs. 22. צוּקָה. Videtur vates in nominibus forma diverſis, ſignificatione iisdem, uſurpatis, elegantiae quid captaſſe. לַאֲשֶׁר *Ei* terrae, Vs. 22., *cui*, cohaeret enim cum לָהּ, quod vulgatum. Senſus eſt, etſi graviter terra ſit affligenda, non fore tamen, ut in tenebris penitus deliteſcat, ſed affulſuram melioris temporis lucem. Quod ſtatim diſertius declarat. כָּעֵת הָרִאשׁוֹן הֵקַל אַרְצָה זְבֻלוּן וְאַרְצָה נַפְתָּלִי *Sicut tempus prius*, calamitoſum, *vilem reddidit*, ſ. *in contemtum deduxit terram Sebulun et terram Naphtali*; non dura accidet cuiquam metaphora, qua tempus facere dicitur ea, quae lapſu ipſius fiunt, ſic *dies docet* Pſ. XIX, 3., *dies parit*, Prov. XXVII, 1. Vid. et Job. III, 3. et ad eum loc. not. Cui vero id non placet, ita poterit nominativum יְהוָה ſ. אֱלֹהִים ſubaudire, ut ſit: *ſicut tempore priore contemptim habuit* Deus *terram Sebulon terramque Naphtali.* אַרְצָה pro אֶרֶץ, forma rarior (praeter noſtrum locum tamen et Job. XXXIV, 13. obvia), cujus pluralis, אֲרָצוֹת, uſitatus. הֵקַל *vilipendendi*, *contemnendi* notione legitur et infra XXIII, 9. 2 Sam. XIX, 44. Ezech. XXII, 7. וְהָאַחֲרוֹן הִכְבִּיד *Ita poſterius*, futurum, tempus, *glorioſam reddet*, ſive: *ita futuro tempore glorioſam reddet*, *honore afficiet* utramque illam terram. *Honorandi* ſignificatum, quem alias verbi כִּבֵּד forma Piel obtinet (vid. e. c. 1 Sam. II, 30.), habet Hiphil, uti hic, vi oppoſiti הֵקַל, et Jerem. XXX, 19. atque 2 Paral. XXV, 19. Accuratius deſignat eam terram, quae ſit honeſtanda: דֶּרֶךְ הַיָּם *viâ maris*, i. e. eam regionem, quae eſt *verſus* (ita דֶּרֶךְ et Joſ. II, 7. VIII, 15.) mare, non *mediterraneum*, ſed *lacum Genneſareth*, qui Num. XXXIV, 11. יָם־כִּנֶּרֶת, et Joſ. XII, 3. יָם כִּנְּרוֹת, terrae Sebulon et Naphtali vicinus. Hieronymus: „*Mare* autem hic lacum appellat

Gene-

Genesareth, qui Jordane influente efficitur." Unde additur: עֵבֶר הַיַּרְדֵּן; *trans Jordanem*, sive, ut vult Grotius, *juxta Jordanem*. Quae dictio totam quidem signare posset oram, quae fluvium hunc utrinque cingit, verum quoniam hic ponitur inter viam maris Galilaei, et ipsam Galilaeam interjacens, intelligendus potius omnis ille et citerior et ulterior tractus, quem Jordanes ex utraque ripa alluit, et qui mari Galilaeae fuit ad septentrionem; regio τὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, vulgo Peraea dicta, גְּלִיל הַגּוֹיִם *Galilaea gentium*, i. e. exterior pars Galilaeae superioris, quae proxima est Phoeniciae, vel terris gentium finitimarum (vid. Genes. XIV, 1. Jos. XII, 23. Jud. IV, 2.), ad aquilonem. Cf. Jos. XX, 7. 2 Reg. XV, 29. Matth. IV, 15., et *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 42. seqq. Totum vero illum tractum, qui extimus fuit Galilaeae, et Cananaeae ad aquilonem, a lacu Samochonite usque ad Phoeniciam, sive confinia Tyri et Sidonis, Galilaeae nomine venisse, patet ex 1 Maccab. V, 15., ubi Judas Maccabaeus fertur accepisse nuncios ex Galilaea ferentes, *adversum se congregatos esse ex Ptolemaide, et Tyro et Sidone*, καὶ πάσης Γαλιλαίας ἀλλοφύλων. גָּלִיל in origine *rotundior terrae tractus*, unde גְּלִילוֹת הַפְּלִשְׁתִּים, *tractus Philisthaeorum*, Jos. XIII, 2., mox proprio usu partem terrae Cananaeae ad septentrionem, ubi Judaei gentibus finitimis permisti viverent, dicere coepisse, atque inde גְּלִיל הַגּוֹיִם ortum esse videtur. Perinde ac in Gallia prope Pyrenaeos montes consederunt quidam *Convenae*, quorum caput fuit Lugdunum, inde dictum *Lugdunum Convenarum* Geographis veteribus; vid. Cellarii *Geograph. Antiqu.* T. I. L. II. Sect. I. §. XXXI. p. 145. Jam explicatis singulis dictionibus, ad rem ipsam quod attinet, id maxime expediendum fuerit, quo respectu in terram Sebulon et terram Naphtali praefertim cadat, quod tempore priori reddita fuerit vilis et contemta. Quodsi ergo rerum in populo Israelitico gestarum annales inde ab ipsa consulimus terrae Cananaeae occupatione, initio statim Sebulon et Nephtali cum vicinis Aseritis inter eas com-

parent

parent tribus, quae in eradicandis Palaestinis officio suo defuerunt, qua quidem negligentia factum est, ut regio, quae in peculium ipsis cesserat, numquam non peregrinis incolis permixta admodum fuerit, Jud. I, 30—35. Vix hi sub jugum omnes missi regnante Davide fuerant, quum filius successor in ipso florentissimo Israelitici regni statu Tyriorum regi Hiramo viginti ejusdem tractus urbes daret, auxilium illud ipsi, quod in aedificatione templi et regii Hierosolymis palatii magno operarum numero praestiterat, ex pacto compensaturus, et hae quidem, licet minus dignum Hiramo viderentur esse praemium, magnam tamen Galilaeae partem peregrinae subjecerint ditioni necesse est, 1 Reg. IX, 10—13. Scisso deinde regno, quum reges decem tribuum id maxime agerent, ut regnum suum adversus populi Judaici reges in tuto collocarent, quis credat regionum Sebulon et Naphtali ab imperii sede, Samaria, remotissimarum *honoratiorem evadere conditionum potuisse?* Imo vero viliorem indies sortem expertae, et quum Assyriae rex, Tiglath-Pileser, duas tribus Israelis et dimidiam, quae regionem trans-Jordanensem incolebant, captivas, regnante Pecacho, abduceret, idem cum istis fatum subire sunt coactae, ut captivi fierent incolae in Assyriam et Mediam deportandi, 2 Reg. XV, 29. Atque haec quidem calamitas sub illud ipsum tempus accidit, quo vaticinium *hoc de viliori terrarum Sebulon et Naphtali conditione est editum. Illam igitur ditionis Hebraicae provinciam,* per satis longum tempus multis modis vexatam, ceterisque posthabitam, sequuturo tempore inclytam futuram claramque adipiscendam nomen vates promittit. Simplicem hunc et planum nostri loci sensum interpretes et veteres et recentiores varie perturbarunt et obscurarunt. Potiores sententias in Annotationis ad hoc Caput Additamento enarrabimus.

IX, 1. Pluribus exponit, qua ratione regio illa clara et illustris sit reddenda. הָעָם הַהֹלְכִים בַּחֹשֶׁךְ רָאוּ אוֹר גָּדוֹל

Po-

Populus hic, qui ambulantes nunc sunt *in tenebris, videbunt lucem magnam,* illi ipsi populo, qui totus hactenus in miseriis versatur, tenebrarum instar eodem circumfusis, dies orietur laetus et candidus. Cf. infra L, 10. LX, 1. Sunt hoc Versu et proximo plura *Praeterita prophetica,* quale supra V, 3. יֹשְׁבֵי בְּאֶרֶץ צַלְמָוֶת אוֹר נָגַהּ עֲלֵיהֶם, *incolis terrae umbrae mortis lux effulget,* incolas illius regionis, quae omni calamitatis genere, velut densissima dudum premitur caligine, ingentis felicitatis jubar collustrabit. De צַלְמָוֶת, *tenebris orci,* vid. Not. ad Ps. XXIII, 4.

2. הִרְבִּיתָ הַגּוֹי *Amplum* et potentem *reddes,* tu, Deus, *populum illum,* per multas et varias *calamitates* ad incitas redactum, cf. not. ad Ezech. XXXVI, 10., et similia promissa ibid. XXXVII, 26. Jerem. XXX, 19., apud Nostrum infra LIV, 1. seqq. LX, 3. seqq. Nituntur ea *priscis* illis promissionibus, quae Genes. XVII, 2. XXVI, 4. 24. XLVIII, 4. leguntur. לֹא הִגְדַּלְתָּ הַשִּׂמְחָה Pro לֹא Masorethae in margine legendum jubent לוֹ, ut sensus sit: *illi,* gente, a te amplificandae, *magnam concitabis laetitiam.* Hunc sensum ex veteribus exprimunt Alexandrini, Chaldaeus et Syrus. Quod in textu scriptum, לא, expressit Symmachus: ἐπλήθυνας τὸ ἔθνος ὃ οὐκ ἐμεγάλυνας, nec non Hieronymus: *non magnificasti laetitiam;* quod etsi primo intuitu contextui minus congruum videtur, interpretes tamen haud pauci, ei quod in margine legendum jubetur (τῷ קְרִי), praeferunt. Varie autem ejus sensum exponunt. Ludov. de Dieu verba interrogative sumit: *magnamne fecisti laetitiam? annon magnam fecisti laetitiam?* ut לא positum sit pro הֲלֹא, ut saepius; vid. Noldii *Concordantt. Particularr.* sub לא, §. 3. Verum qui totum contextum legerit, sponte sentiet, orationem prophetae esse planiorem, efficaciorem et elegantiorem, si haec verba sine interrogatione sumantur. Quare alii subaudiunt אֲשֶׁר, vertuntque: *cui non magnam olim feceras laetitiam;* quae interpretatio vereor an satis congruat usitatiori constructioni Hebraei sermonis,

postulanti, si sensus foret, qui ponitur, vel: אֲשֶׁר לֹא הִגְדַּלְתָּ לוֹ, vel: לַאֲשֶׁר לֹא הִגְדַּלְתָּ. Aliter τὸ כְּתִיב interpretatur Kocherus in *Vindicc.* p. 69. „Phrasin hanc, inquit, per tritam simul et elegantem Orientalium figuram explicandam censeo, hac sententia: *Si dicam magnam laetitiam, parum est; erit enim summa; qualis illorum esse solet, quibus vel uber annona contigit, vel qui hostibus devictis praedam partiuntur.* Id comparationis negativae genus multi ponderis, cujusmodi illud Cap. XXIX, 8. שָׁכְרוּ וְלֹא־יַיִן, *inebriati sunt, et non vino*; i. e. multo vehementius quam vino. Geminum Jesaj. LI, 21. Adde Proverb. XVII, 12. et quae alia citat exempla Schultensius ad Proverb. VIII, 10., ubi legitur: *accipite disciplinam meam, et minime argentum*, h. e. multo potius, quam argentum. Vis eadem ac in Plautinis per πλοκὴν dictis: Asin. I, 11, 8. *Nam mare haud est mare, vos mare acerrimum.* Et Bacch. III, 1. 4. *Bacchides, non Bacchides, sed Bacchae sunt accerrumae.*" Neque tamen videtur doctis hisce observationibus hic locus esse. Michaelis *Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 134., fassus licet utramque lectionem posse commodum sensum admittere, textuali tamen praelata, conjecit, ה prius in הַשִּׂמְחָה jungendum fini praecedentis הִגְדַּלְתָּ tanquam paragogicum, et שִׂמְחָה dein referendum ad proxime sequens שָׂמְחוּ, hoc sensu: *amplificasti gentem, quam antea non magnam feceras; nunc igitur gaudio gaudent*, i. e. gaudent insigniter etc. Steudel verba לֹא הִגְדַּלְתָּ הַשִּׂמְחָה sic reddit: *cujus adhuc gaudia parce largitus eras.* Sed rectissime, nostro sensu, judicat Aurivillius in *Dissert. de varietate lectionis* לא *et* לו *in Cod. Bibl.*, in *Dissertatt. junctim editt.* p. 483. „Antiquorum interpretum testimonio pulcre consonat oriundus e lectione לוֹ sensus apprime facilis, et praecedenti הִרְבִּיתָ הַגּוֹי aeque congruens ac mox sequenti שָׂמְחוּ, quum contra in altera, לֹא, difficulter intelligatur, quinam fuerint demum, quibus magnificae copia lucis, et multiplicatio gentis, laetitiae tamen materiem sit nullam paritura. Judaei, ajunt, intelligendi, qui Messiae, postea quam advenerat, illius-

illiusque diſcipulis, gravi ſe odio opponebant, angerique Chriſtianorum gentem vehementer indignabantur. Enimvero ipſis e Judaeis primos magno numero collectos Chriſtianos, ſatis conſtat, nec tribui proinde Judaeis in univerſum poterit, quod ſpirituali oriente Meſſiae regno parum laetati fuerint, ne arguam ſubitam et in continua orationis ſerie vix exſpectandam mutationem ſubjecti, quod iſtius vi hypotheſeos, in הִגְדַּלְתָּ הַשִּׂמְחָה לֹא foret infidelium ac dolentium Judaeorum turba, in הִרְבִּיתָ הַגּוֹי, quod praecedit, et שָׂמְחוּ, quod illico ſequitur, eſſet Meſſiae addictorum multiplicatus coetus. At ſi excludendi hinc fuerint rebelles Judaei, qua tum poterunt ſpecie, proximis ſtatim in verbis, ſumma exultantes laetitia iidem haud dubie illi adhiberi, qui non laetari dicebantur nuper?" הַשִּׂמְחָה Steudel recte obſervat pro שִׂמְחָתוֹ poſitum, uti ſaepius Articulus Pronominis poſſeſſivi locum explet, quemadmodum apud Arabes, vid. Silv. de Sacy *Gram. Arab.* T. II. p. 482. no. 1., aut noſtr. *Inſtitutt. ad fundamm. L. Arab.* p. 310. Sane haud deſunt exempla, ubi אֲשֶׁר cum Pronomine perſonali, quod ſequi debebat, deficit; ut Pſ. IX, 16., ubi שַׁחַת עָשׂוּ pro שַׁחַת אֲשֶׁר עָשׂוּהָ, *fovea quam fecerunt*, poſitum. Vid. et Prov. XXXI, 30. Offendit nonnullos לוֹ verbo הִגְדַּלְתָּ praemiſſum. Verum ſalva analogia linguae Hebraeae ita conſtrui poſſe, ſatis oſtendit Vitringa in *Obſervatt. SS.* Lib. III. Cap. XVII. exemplis plurimis, ut Pſ. LXVIII, 30. לְךָ יוֹבִילוּ מְלָכִים שָׁי, quibus addi poteſt לוֹ יִהְיֶה et לוֹ תִּהְיֶה Levit. VII, 7. 8. 9. 14. 33. שָׂמְחוּ לְפָנֶיךָ *Laetabuntur coram te.* Deſumta eſt loquutio ab Iſraelitis, Euchariſtica, primitias, decimas, ferentibus Hieroſolyma in templum, et, menſa in atriis templi commode ſtructa, ipſo *coram Domino*, cum gratiarum actione ſe mutuo concitantibus ad hilaritatem; vid. Deut. XII, 7. XIV, 26. כְּשִׂמְחַת בַּקָּצִיר *Inſtar laetitiae in meſſe.* Pro בַּקָּצִיר Lowthus legi vult ſive קָצִיר, quod in Codice uno invenitur, ſive הַקָּצִיר, quod item Codex unus exhibet; hac ratione permotus, quod nomen praecedens in regimine poſitum eſt. Sed nihil Hebraeis praeſertim Jeſajae, ſolen-

solennius hoc dicendi modo. Vid. Vs. praeced. יֹשְׁבֵי בְאֶרֶץ, et supra V, 11. מַשְׁכִּימֵי בַבֹּקֶר מְאַחֲרֵי בַנֶּשֶׁף. Cf. הָרֵי בַגִּלְבֹּעַ, *montes Gilboae*, 2 Sam. I, 21., et Buxtorfii *Thes. Grammat.* L. II. Cap. III. p. 350. edit. sext. כַּאֲשֶׁר יָגִילוּ בְּחַלְּקָם שָׁלָל *Sicut exsultant* homines *cum dividunt spolia*. גיל plus quam שָׂמַח, idem quod Graecorum ἀγαλλιᾶσθαι, animi sua sorte contenti, et ad hilaritatem concitati affectum non clausum tenere corde, sed externis signis prodere, uti patet ex iis locis, quibus גיל aut שׂושׂ ponitur ut summum aut extremum τοῦ שָׂמַח, e. c. Hos. IX, 1., infra XXV, 9., XXIX, 19., XLI, 16. Jam constat, omnes populos in *messe* ex voto peracta collectaque, et *victoria* insigni de hostibus reportata, et, quae eam consequitur, *divisione spoliorum*, censeri habere argumentum et materiam gaudii publici omnium maximam. Laeta enim messis, et victoria de hoste a gentibus depellunt mala maxime metuenda, penuriam necessariorum, et servitutem: divisio autem spoliorum insuper ditat et locupletat. Sed apud Hebraeos praecipue *messis* celebrabatur cum demonstratione laetitiae non mediocris, in oblatione decimarum et primitiarum, festisque, ejus maxime causa institutis, quando Israelitae in omnem soluti hilaritatem laetissimos agebant dies. Vid. Levit. XXIII, 40. Deut. XVI, 15. Inde utrumque illud gaudium adhibetur ad descriptionem summae laetitiae. Sic vates Ps. CXIX, 162. *Hilaresco ego propter eloquia tua* כְּמוֹצֵא שָׁלָל רָב, *tanquam qui invenit spolium amplum*, opimum. Et Ps. IV, 8. *Dedisti laetitiam in corde meo majorem*, מֵעֵת דְּגָנָם וְתִירוֹשָׁם רָבּוּ *quam tempore, quo frumentum et mustum eorum multiplicantur.*

3. Quae sequitur oratio, praecedentem illustrat; demonstrat enim magna beneficia, quam divinus heros, quem sub hujus Versus finem alloquitur, suae genti sit allaturus; vindicabit eam in libertatem, uti olim factum a Gideone. כִּי אֶת־עֹל סֻבֳּלוֹ *Nam jugum bajulationis ejus* populi, i. e. jugum populo oppresso ab hostibus impositum ad bajulandum,

dum, ut infra X, 27. XIV, 25. וְאֵת מַטֵּה שִׁכְמוֹ *Et virgam humeri ejus*, i. e. baculum, quo humeri caeduntur, percutiuntur, cf. infra X, 24. Vitringa מַטֵּה hoc loco non *baculi*, sed *vectis* significatione capit, ut sit idem quod alias מוֹטָה, infra LVIII, 7., seu lignum, quod immittitur cervici, humerisque incumbit, coll. Nahum I, 13. אֶשְׁבֹּר מֹטֵהוּ מֵעָלָיִךְ *confringam vectem ejus a te, et vincula tua confringam.* Respici existimat ad morem antiquum, quo victis et in servitutem redactis, aut ad supplicia servatis, *κύφων*, hoc est, lignum aliquod instar jugi incurvum, cui collum immittebatur, imponi solebat, ut cervicibus incumbens, signum esset durae servitutis. Suidas T. II. p. 405. edit. Kusteri *κύφωνες* esse ait *ξύλα ἐπιτιθέμενα εἰς τοὺς τένοντας τῶν καταδίκων, ἵνα μὴ εὕρωσιν ἀνακύψαι.* Sed מַטֵּה pro מוֹטָה usurpari, nullo idoneo exemplo probari potest. שֵׁבֶט הַנֹּגֵשׂ בּוֹ *Virgam adigentis eum* ad durum laborem, tanquam servos, uti olim Aegypti Hebraeos, Exod. V, 6. 13. Hinc נוֹגֵשׂ dicitur de omni, qui cum vi exercet potestatem et imperium, sive cum imperio laborem, tributa et supplicia exigit; vid. infra XIV, 4. Zach. IX, 8. הַחִתֹּתָ *Conteres*, confringes, tu, heros divine; illum intelligit, quem mox Vs. 5. seqq. summo praeconio celebrat. כְּיוֹם מִדְיָן *Sicut die Midianis*, i. e. sicut proelio cum Midianitis commisso. יוֹם hic, ut Arabicum يَوْم, Gallicumque *journée*, usurpatur de *die proelii*, veluti يَوْم بَدْر *dies Bedrensis*, i. e. proelium Bedrense; cf. A. Schultens ad Job. III, 4. Respicitur admirabilis illa liberatio, quae obtigit populo Hebraeo, duriter presso a Midianitis, per Gideonem, Jud. VII. VIII. narrata. Consentaneum erat, illustrem illum heroa, divina stirpe oriundum, qui in orbem terrarum auream aetatem sit reducturus, suae virtutis prima documenta edere in illo terrae Hebraicae tractu, qui barbarorum incursionibus prae ceteris erat expositus, diuque multumque ab illis vexatus. Is igitur postquam per longum tempus fuisset neglectus et quasi contemtus, reddetur illustris insignibus

ſignibus et plane admirandis de barbaris oppreſſoribus reportatis victoriis, quibus coelitus demiſſus dux genti ſuae libertatem vindicabit.

4. In hoc Verſu interpretando difficultatem creat dictio סְאוֹן סֹאֵן, quia praeter hunc locum verbum סָאַן nusquam occurrit. Veteres inter ſe discrepant. LXX verba כִּי כָל־סְאוֹן סֹאֵן בְּרַעַשׁ ſic reddunt: Ὅτι πᾶσαν στολὴν ἐπισυνηγμένην δόλῳ, *quia omnem ſtolam congregatam dolo*, uti Graeca verba Hieronymus vertit. Ipſe Hebraea ita interpretatur: *quia omnia violenta praedatio cum tumultu.* Symmachus: πᾶσα βία ἐβιάσθη ἐν σεισμῷ. Chaldaeus: אֲרֵי כָּל מִסְּבְהוֹן וּמִתְּנְהוֹן בְּרִשַׁע, *nam omne accipere et dare eorum*, i. e. omnis eorum negotiatio, commercium omne, quodcunque et quocunque loco agerent, eſt *in malitia.* Syrus: ܡܛܠ ܕܟܠ ܩܠܐ ܐܫܬܡܥ ܒܙܘܥܬܐ *propterea quod omnis ſonus audiebatur cum terrore.* Saadias: وَانَّ كُلّ كَيْلٍ يَكِيلُ بِزِلْزَالٍ, *tunc omnem modium menſurabit cum tremore.* Retulit verbum סָאַן ad סְאָה, *menſura aridorum*, praeſertim *frumentorum;* cujus interpretationis et Jarchi mentionem facit, ita tamen, ut eam ſimul refutet, quod grammaticae rationes non patiantur, ut a סְאָה fiat verbum סָאַן, ultima radicali Nun. Attamen in illam ipſam cogitationem incidit Gussetius, qui verbo סָאַן ab illo menſurae nomine (סְאָה) *menſurandi* tribuit ſignificatum, et nomen סְאוֹן notione haud diverſum a סְאָה arbitratur; nec obſtare literam ן putat, quod ea ſaepe non ſit radicalis et negligatur, quemadmodum צָפָה et צָפַן, *obtexit, abscondit*, צָעָה et צָעַן *peragravit* utrumque ſignificet. Addit A. Schultens in *Animadverſſ. philologg.* ad h. l. (*Opp. minn.* p. 261.) Arabica ſimilia قسي et قسن, *durus fuit*, شجي et شجن *auxit, contriſtavit.* Itaque vertit Guſſetius: *nam omnis menſuratio menſurantis in tumultu eſt bellico*, quaſi hoc

hoc dicat Jeſajas, ſuo tempore frumenta menſurari ad distrahendam ac comparandam annonam non potuiſſe, quin *menſuratio menſurantis*, i. e. actio menſurandi turbaretur et tumultu bellico, et carnificina, et ſaevitia hominum armatorum graſſantium. Ut Verſu ſuperiori, ita et hoc alludi exiſtimat ad belli Midianitici tempus, quo Iſraelitis ſervituti preſſis propter Midianitarum incurſiones et depeculationes fructus colligendi ſpatium non concedebatur, unde tumultuarie et continuo cum metu hoſtium meſſem fructusque ex agris ſurripere quaſi cogebantur, ut docet exemplum Gideonis fruges ex agro furtim colligentis, Jud. VI, 11. Verum ſententia, quam Guſſetius verbis hebraeis ineſſe exiſtimat, parum apta eſt iis, quae hoc Verſu ſequuntur de veſtimentis in ſanguine volutatis comburendisque. Illud etiam incommodum eſſe monet Schultens l. c., ut frugum collectio ex agro *menſuratio* vocetur, et quidem *Seae*, menſurae non capacis et perexiguae. Ipſe Schultens ex radice Arabica شَأَنَ, quae *faciendi, agendi, intendendi*, ejusque nomine شَأْنٌ, quod *ſtatus, conditionis, actionis*, ſignificatum habet, hunc verborum כִּי כָל־סְאוֹן סֹאֵן בְּרַעַשׁ ſenſum facit: *quia omne negotium*, omnis actio aliquid *agentis in tumultu* fiebat *bellico*. Quae ſententia proxime abeſt ab eo ſenſu, quem Chaldaeum expreſſiſſe vidimus. Verum nec ea iis, quae antecedunt et ſequuntur, ſatis congruit. Jarchi, qui vocis סְאוֹן alias non obviae ſignificatum e contextu augurandum fatetur, illam interpretatur צהלת נצחון במלחמה, *vociferationem* ſive *exultationem bellicam victorum*. Id ipſum vult, quod Graeci *ἀλάλαγμα* vel *ἀλαλαγμὸν* vocant. *'Αλαλάγμα clamor* ille eſt, qui editur *in congreſſu acierum, acclamatio victorum*. Per רַעַשׁ vero Jarchi *equorum hinnitum ſcutorumque colliſionem* indicari putat. Alii סְאוֹן idem eſſe volunt quod שְׁאוֹן (in ſtatu regiminis שְׁאוֹן, infra XIII, 4. XVII, 12. 13. LXVI, 6.), *tumultus*, permutatis eiusdem organi literis, שׂ et ס, intelliguntque *tumultum*, ſtre-

strepitum, *bellicum.* Verum, ut taceamus, parum verisimile esse, vatem hoc solo loco סְאוֹן pro שָׁאוֹן usurpasse, huic interpretationi obstat potissimum hoc, quod שָׁאוֹן a שָׁאָה deducitur, verbo tertiae radicalis quiescentis, a quo Participium שׁאֵן nullo modo poterit formari. VITRINGA probat COCCEJI interpretationem verborum סְאוֹן סֹאֵן: *fremitus frementis, Φρύαγμα tumultuantis,* intelligitque proelii strepitum, aut pugnam et conflictum ipsum. Huic assentitur J. F. SCHELLING in *Animadverss. philologico-critt. in difficiliora Esajae loca* p. 10. Non displicere sibi fatetur Avenarii in Lexico Hebraico propositam conjecturam, סָאַן notare *laesit cum sonitu, concussit,* ut sit in omni dimicatione et pugna; et ab eodem illo verbo deducta opinatur Graeca σαίνω, *turbo,* et σινιάζω, *concutio,* nec non Latinum *sonare.* Hinc סְאוֹן סֹאֵן Schellingio est *sonitus sonantis,* i. e. tumultus bellicus, strepitus confligentium et proeliantium. Difficultate autem, quae hanc premit interpretationem, quod per סְאוֹן intelligendum esse aliquid videtur, quod aeque ac vestimenta, quorum paulo post in eodem versiculo sit mentio, nutrimentum ignis esse possit, Vir Doctissimus ita se expedit, ut syllepsin hoc loco statuat, sive eam orationis figuram, qua cum duabus diversisque sententiis et rebus unum conjungitur verbum, non utrisque aeque conveniens, ita ut ad alterutram sententiam aliud aptius verbum debeat subaudiri. Ita et hic cum priori sententia, כִּי סְאוֹן סֹאֵן בְּרַעַשׁ, aliud verbum cogitatione jungendum esse, quod tumultum bellicum *finem habiturum esse* generaliter significet. Tumultui bellico minus convenire notionem combustionis et ignis sensit et VITRINGA, quare vel metaphoricum vocis significatum vult respici, qui est καταργήσεως, *abolitionis, destructionis,* quemadmodum infra XI, 10. *radici* Isai tribuitur *requies,* metaphorice sic dicta; vel hoc statuendum, subesse nostris verbis metonymiam vel synecdochen satis frequentem, qua sub conflictu et proelio intelligantur illius instrumenta, gladii, arcus, sagittae, hastae, tela, ballistae, quae instrumenta cum pro-

propheta comburenda eſſe ait, idem dicit, quod mutata phraſi ſupra II, 4., *gladios cuſum iri in ligones, et haſtas in falces.* Verum non eſt opus ad ſyllepſin, aut metonymiam, aut ſynecdochen confugere. Offert vicina Aramaeorum dialectus ipſiſſimam vocem סְאוֹן ſignificatione huic loco perquam idonea. ܣܐܘܢ et ܡܣܐܢܐ Syris, uti Chaldaeis סֵין, Aethiopibus אֲסָאן eſt *calceus, ocrea, caliga,* quem ſignificatum noſtro loco adhibendum eſſe jam obſervavit Josephus Kimchi, Davidis pater, et poſt eum minime *primus*, ut ait Schelling l. l., commendavit Funkius in *Symbolarum ad interpretationem S. Codic.* P. I. p. 29., ſed ante illum jam Forerius, ſeculi decimi ſexti interpres, et Hoheisel in *Obſervatt. philologico-exegett.* p. 94. ſeqq. Nihil eſt, quod obvertit Schelling, *ocrearum*, ſive *calceamentorum* ſignificatum neceſſitatis tantum dura lege inventum videri. Id valet potius de ea, quam ipſe adſcivit, interpretatione; ea enim voci hebraeae *ſonitus* notionem tribuit, mera ex conjectura, „dura neceſſitatis lege inventam." Nos igitur hebraea ſic vertimus: *nam omne calceamentum calceantis*, i. e. militis calceos induentis, ſ. calceati, *cum ſtrepitu*, qua addita dictione propius deſignatur calceamentum militare. Calceamenta enim militum apud Veteres, ut appoſite ad rem obſervat Hoheiſel l. c., ſtrepitum excitabant multiplicibus, quibus munita erant, clavis ferreis, quos *clavos caligares* nominat Plinius *Hiſt. Nat.* L. IX. c. 18. De his Josephus *de bello Jud.* L. VI. c. 1. §. 8. Juliani, centurionis Romani fortiſſimi, interitum deſcribens: *Τὰ ὑποδήματα πεπαρμένα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις ἔχων, ὥσπερ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος, καὶ κατὰ λιθοστρώτου τρέχων ὑπολισθαίνει. Calceos habens creberrimis atque acutis clavis, ut ceteri ſolent milites, fixos, dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo curreret, labitur.* Juvenalis quoque ad clavos in militum calceis reſpicit, ubi a turba militum ſe preſſum calcatumque queritur *Satyra* III, 247. ſeq.

Planta mox undique magna
Calcor et in digito clavus mihi militis haeret.

Cf. eundem *Sat.* XVI, 24. 25., nec non Jac. Lydii *Syntagma de re militari*, L. III. C. II. p. 46. Henr. Salmuth ad *Pancirolli Res memorabiles*, L. I. Tit. XLIV. p. 170. sequ. Calceos hujusmodi militares clavis munitos aere expressos vides in Anton. Bynaei de *Calceis Hebraeor.* L. I. Cap. 6. בְּרַעַשׁ Gesenius *in strepitu* scil. pugnae interpretatur. De eo nomen hebraicum dici potuisse, nemo negaverit; neque tamen probat locus Jerem. X, 22., quo רַעַשׁ non de pugnae, sed de *adventantis exercitus* strepitu adhibetur. וְשִׂמְלָה מְגוֹלָלָה בְּדָמִים *Et vestis volutata sanguine;* מְגוֹלָלָה Participium Pyhal verbi גָּלַל, *volvit*, unde מִתְגֹּלֵל בַּדָּם, *volutans se in sanguine*, 2 Sam. XX, 12. שִׂמְלָה, proprie *vestis exterior, pallium, chlamys*, vid. supra III, 6. Describitur h. l. *sagum* bellatoris, sanguine hostium caesorum tinctum et madidum. וְהָיְתָה לִשְׂרֵפָה *Tunc erit* illud omne, calceamenta et vestimenta militaria, *in combustionem*, ut infra LXIV, 10. Praefixum ו ante הָיְתָה h. l. simul est *conversivum* et *ἀπόδοσιν* indicat, ut alias saepe, v. c. Ps. XXV, 11., ad quem loc. vid. not. מַאֲכֹלֶת אֵשׁ *Cibus*, s. pabulum *ignis*, i. e. igne consumenda, ut infra Vs. 18. Devictis hostibus oppressoribus (Vs. 3.) cruenta spolia eis detracta delebuntur. Mos antiquitus receptus fuit, ut hostium prostratorum arma, et minoris pretii spolia, tumultu bellico corrupta, ac vestimenta foede commaculata, in acervum congesta, subdita igne concremarentur. Vid. *Lydium* l. l. L. VI. C. VI. p. 229., et cf. Ezech. XXXIX, 9., quaeque ad eum loc. notavimus. Hinc in numis Vespasiani et Domitiani pacem, quae victoriae fructus esse solet, ita videas expressam, ut altera manu face ardente ignem spoliis et armis, scutis, pharetris, et aliis instrumentis bellicis injiciat. Gesenius h. l. calceamentorum et vestimentorum militarium combustione pacis universam orbem beantis initium designari existimat, ut Ps. XLVI, 9. 10., ubi pax victoriam sequutura describitur, scuta et currus comburenda dicuntur. Cf. Mich. V, 5. Zachar. IX, 10.

5. Quis

5. Quis illa sit praestiturus, declarat: כִּי־יֶלֶד יֻלַּד־לָנוּ *Nam puer natus est nobis*, in nostrum auxilium, Immanuel, cujus natales supra VII, 14. vates praenunciaverat, quemque patriae sospitatorem appellaverat in hostilium incursionum descriptione, VIII, 8. Futura, vatum more, tanquam praesentia coram intuetur. Superbientis et exsultantis cum fiducia est, quod repetit: בֵּן נִתַּן־לָנוּ, *filius datus est nobis*, qui salutem nobis et incolumitatem praestet. וַתְּהִי הַמִּשְׂרָה עַל־שִׁכְמוֹ *Estque principatus super humeris ejus*, principatum tenet imperiumque sustinet. Simili loquutione usus Plinius in *Panegyrico Trajano dicto* c. X. *Quum abunde expertus Pater, quam bene humeris tuis sederet imperium*, i. e. ita compositum esset, ut constanter et stabiliter maneret, ut explicat Cellarius. Nec non Cicero in *Orat. pro Flacco* §. 94. ad judices: *Rempublicam vos universam in hoc judicio vestris humeris, vestris, inquam, humeris sustinetis*. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 222. Alii *pallium regium*, אַדֶּרֶת dictum (vid. Jon. III, 6., ubi de *pallio regio* Assyriae regis ea vox usurpatur), signum regiae potestatis super humeris gestatum intelligunt. Grotius hisce verbis πορφυρογέννητον indicari putavit, qui in regnum natus ab ipsis cunis regiam purpuram ferret. Alias sententias vide in Deylingii *Observatt. Miscellann.* sive *Observatt. SS.* P. IV. Exercit. XIII. *de principatu super humeris Messiae* p. 807. seqq. וַיִּקְרָא שְׁמוֹ *Vocabitque nomen ejus* scil. קֹרֵא, *vocans*, i. e. appellabitur, impersonaliter, ut Genes. XI, 9. XVI, 14. Jos. VII, 26. Jud. XV, 17. LXX: Καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ. פֶּלֶא *Mirandum* (infra XXV, 1.) i. e. abstracto pro concreto posito, *Admirabilis*, uti Hieronymus vertit. Aquila: Θαυμαστός. Symmachus: παραδοξασμός, voce vel ex παρὰ δόξαν, h. e. παρὰ προσδοκίαν, *praeter exspectationem*, ut Hesychius explicat, vel ex παραδοξάζω, *illustre, gloriosum facio*, ficta, quo sensu illa vox usurpata est ab Hebraeis, qui inter Graecos versabantur, uti patet ex 2 Maccab. III, 30. *Mirabilis* nomen divino illi heroi imponetur tum ob miraculosum a virgine partum,

 tum

tum ob multa praeclara et miranda facinora ab eo perpetranda. Idem nomen miniſtri divini, qui Manoacho apparuit, et admiranda fecit, Jud. XIII, 18. 19. יוֹעֵץ *Conſiliarius*, hominibus ſalutaria conſilia impertiens ex penu ſuae ſapientiae atque peritiae. Sunt, qui hoc nomen cum antecedente conjungant hoc ſenſu: *mirabilis conſiliarius*, praeeunte Theodotione, qui habet: *θαυμαστῶς βουλεύων*, ſed invito linguae genio, ex quo פֶּלֶא יוֹעֵץ ſcribendum fuiſſet. Quemadmodum nomine יוֹעֵץ Immanuelis indicatur ſapientia; ita ejus fortitudo deſcribitur proximo אֵל גִּבּוֹר *Deus fortis heros*. אֵל proprie *fortem* notare conſtat, poniturque Ezech. XXXI, 11. de Nebucadnezare, imperatore gentium, qui אֵל גּוֹיִם, *validus gentium*, appellatur. Hoc vero loco intelligendum eſſe *Deum*, docet locus infra X, 21., ubi אֵל גִּבּוֹר manifeſte de Hebraeorum Deo dicitur, ex quo eodem loco et hoc cognoſcitur, verba noſtra non eſſe divellenda, ut quidam interpretes faciunt, quaſi ſit: *Deus, fortis;* recte igitur Maſorethae accentu miniſtro, quem nomini אֵל appoſuerunt, id proximo jungendum monuerunt. גִּבּוֹר notat *virtute, robore, potentia praecellentem*, qui titulus eſt herois, Geneſ. X, 8. 1 Sam. XVII, 51., tribuiturque Jovae Deuter. X, 17. Zephan. III, 17. Pſ. XXIV, 8. Deum natura humana indutum inter homines poſſe verſari, toti antiquitati erat perſuaſum. Vid. P. D. Huetii *Quaeſt. Alnetan. de concordia rationis et fidei* L. II. C. XIII. p. 185. edit. Lipſ. Brahmanes Indi hodienum docent, Deum ſaepe ſub magnorum quorundam hominum ſpecie et habitu delituiſſe, ac inter homines converſatum eſſe; et Viſchnu, i. e. *victor, νικάτωρ*, quem Dei trini et unius ſecundam eſſe perſonam ajunt, novies jam aſſumſiſſe corpus, et aliquando etiam humanum, atque ſemel idem adhuc ab eo factum iri. Eundem, ut hominum exiſteret emendator et magiſter, menteſque vitiis laborantes in melius reformaret, ad terram deſcendiſſe, Kriſchnae nomine perhibent. Vid. *Darſtellung der brahmaniſch-indiſchen Götterlehre* p. 99. ſeqq. et 135. ſeq., tum ſocietatis virorum doctorum, qui Calcuttae anti-

quitatis

quitatis et literarum Asiaticarum studio se dicarunt, Commentationes (*Asiatick Researches*), a J. F. Kleukero vernacule translatas, pluribus additamentis, hac epigraphe: *Abhandlungen über die Geschichte und Alterthümer Asiens*, P. II. p. 27. seq., et P. IV. (qua doctrina Brahmanica a Kleukero exposita continetur) p. 52., nec non Langlesii Notas ad francogallicam Operis illius anglico sermone conscripti translationem, inscriptam *Recherches asiatiques, ou Mémoires de la société établie au Bengale* etc. (Paris. 1805. in quatern.), T. I. p. 234. not. 38. Inter doctrinae a Xaca Sinis traditae capita primarium hoc est, ad homines ab interitu servandos Deum quendam naturam humanam adscivisse. Divina magni herois et principis a vate nostro h. l. descripti natura designatur et addito nomine אֲבִי־עַד, *pater aeternitatis*, i. e. aeternus, pro בַּעַל־עַד, *possessor aeternitatis*, quemadmodum 2 Reg. I, 8. בַּעַל שֵׂעָר *possessor pili* est pilosus. Arabibus nil frequentius, quam in similibus loquendi formulis أَبُو, *pater*, pro ذُو, *possessor*, usurpare. Sic balsami arbor Arabibus hodienum vocatur أَبُو الشَّمّ, *pater odoris*, i. e. odora. Vid. Silv. de Sacy *Not. ad Abdollatiphum* a se gallice redditum (*Relation de l'Egypte par Abdallatif*, Paris. 1810. in quatern.) p. 93. Et أَبُو بَرَاقِش, *pater versicoloritatis* (sit venia verbo), i. e. versicolor, vocatur avis quaedam, ardearum ex genere. Vid. Silv. de Sacy *Chrestomath. Arab.* T. III. p. 477. not. 63. edit. prim., p. 499. not. 73. edit. sec. Nomen עַד non solum eam *aeternitatem* significare, quam in Scholis vocant *a posteriore*, verum et eam, quae *a priore* dicitur, clarum est ex Jobi XX, 4. Jejuna est Abarbenelis cogitatio, עַד h. l. *spolii*, s. *praedae* notione sumentis, quam vox Genes. XLIX, 27. obtinet, ut אֲבִי־עַד, *pater spoliorum*, appelletur Hiskias, quod spolia exercitus Assyriaci, modo portentoso caesi, et Aegyptiorum ac Arabum, quos ille diripuerat, in ejus

ejus venirent potestatem. Verum reliquis magnificis splendidisque nominibus, quibus vates insignem regem a se celebratum ornat, parum profecto concinit *praedatoris* appellatio. Gesenius אֲבִי־עַד interpretatur *patrem perpetuum* scil. populi sui, qui ejusdem saluti, patris instar, semper providet, quemadmodum infra XXII, 21. Eljakimus civibus Hierosolymitanis *pater* fuisse dicitur, et Jobus XXIX, 16. egenis patrem se praestitisse dicit. Sed vates si principem de quo loquitur suo populo perpetuo patris instar futurum dicere voluisset, eum אֲבִי־עַד *patrem perpetuitatis* vocasse, nequeo mihi persuadere. Dixisset eum potius אָב לְעַמּוֹ לָעַד. Denique illi tribuitur nomen שַׂר־שָׁלוֹם, *principis pacis*, pacificatoris, qui pacem restituet orbi, pacatumque regnabit, cf. Vs. 6., et infra XI, 6. 7. 8. Eodem modo nobilissimum illum principem, quo regnante aurea redibit aetas, adumbrat Virgilius *Eclog.* IV, 15. seqq.

Ille Deûm vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

Similes magnificas appellationes seriore vate nostro aetate affectarunt reges Persarum gentis Sassaniae. Eorum cujusdam literae ad regem Armeniae missae, a Theoph. Simocatta *Chron.* L. IV, C. 8. p. 101. edit. reg. allatae, his verbis ordiuntur: *Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων, δυναστευόντων δεσπότης, κύριος ἐθνῶν, εἰρηνάρχης, τοῖς ἀνθρώποις σωτήριος, ἐν θεοῖς μὲν ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις θεὸς ἐπιφανέστατος, ὑπερένδοξος, νικητὴς, ἡλίῳ συνανατέλλων καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος ὄμματα.* Cave tamen credas, ejusmodi superbas appellationes, quales seriorum Asiae principum fastus sibi arrogavit, in priscae illius, qua vates noster vixit, aetatis simplicitate regi alicui Judaico, aut Israelitico, aut Syriaco tributas fuisse. Homini, qui Deus non sit, non conveniunt omnia haec, quae Versu hoc et proximo leguntur. „Celsiora," vere inquit Steudel, „quam ut soliti generis regem vates cogitasse putandus sit, epitheta cumulantur. Haud aequum videtur, arrogantiam hic

hic comparare eorum titulorum, quibus Orientales quidam populi, Persae praesertim, reges suos ornare aemulabantur. Nullum ejusmodi moris vestigium apud Hebraeos inveniebatur, qui minime profecto divinos decebat prophetas. Et si moris fuisset, vivos sine dubio et praesentes reges, nec olim quendam nasciturum ita salutassent. Verborum etiam יֶלֶד יֻלַּד בֵּן נִתַּן delectus altioris *originis* regem significari docere videtur. Postremis temporibus non melioris tantum ominis progenitum iri puerum annunciat, sed ipsum rerum prosperrimarum auctorem, insigni quavis, ut has proferat, facultate instructum, mira patraturum, optima quaeque consulturum, diva pollentem virtute inter homines versaturum, de hostibus triumphaturum, nec unquam gradu depellendum, ita ut saluberrima quaevis eo regnante floreant." Praeterea *nostram* sententiam, describi duobus hisce Versibus 6. 7. insoliti prorsus generis regem, commendat similis, quae infra XI, 1. seqq. habetur regis divini descriptio, quae claudit vaticinium, quod inde a X, 5. usque ad XII, 6. procurrit, et, uti nostrum, ad Judaeos pertinet. Jam vero pericopâ illâ XI, 1. seqq. Messiam ejusque aevi felicitatem describi, inter recentiores interpretes ipse agnoscit Gesenius. Judaei tamen, eadem de caussa, quae eos movit, ut oraculi supra VII, 14. consignati sensum perverterent (vid. supra p. 295.), etiam nostri vaticinii sententiam turbarunt. Sunt inter illos, ut Jarchi et Kimchi, qui negent, omnia illa praeclara agnomina *referenda* esse ad *puerum natum* et *filium datum*: pleraque eorum referunt ad Deum, ultimum solummodo, שַׂר־שָׁלוֹם, *princeps pacis*, volunt esse pueri nasciturі, hoc sensu: *appellabit nomen ejus* (pueri) Deus *admirabilis, consiliarius, Deus fortis, aeternus, principem pacis*, eo autem volunt intelligi Hiskiam. Cui quam belle conveniat *pacificatoris* nomen, docent quae 2 Reg. XVIII, 8. seqq. leguntur. Gesenius quidem sententiae eorum, qui de Hiskia hunc locum agere existimant, quibus et ipse adstipulatur, haud obstare dicit, quod splendidas illas spes, quae de illo adolescentulo vates conceperit, rex non implevit.

plevit. Sed nobis omnino haud est credibile, vatem ullum Hebraeum de solito aliquo suae gentis rege spes adeo magnificas, quales hic expressas legimus, concipere potuisse. Hebraeorum interpretum de hoc loco sententiae enarratae et refutatae sunt a Jo. Sauberto in Dissert. *de Messia ejusque qualitatibus et attributis*, Helmst. 1664., repetita in Ejusd. *Palaestra Theolog. Philolog.* Altdorf. 1678. p. 160. seqq., nec non a Jo. Frischmuth in Dissertat. *de prosopographia Messiae*, ad Jesaj. IX, 5. seqq., in *Thesauro Theol. philolog. sive Sylloge Dissertatt. elegantt. in V. T.* p. 754. seqq. Quod vero illi solum שַׂר־שָׁלוֹם pueri nomen esse sumunt, in eo sequuntur Chaldaeum interpretem, qui etsi hoc Versu Messiam praenunciari agnoscat, eum tamen ita exponit: *Dicit propheta domui David: quoniam parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et suscepit legem super se, ut eam servaret:* וְאִתְקְרֵי שְׁמֵיהּ מִן קֳדָם מַפְלִיא עֵצָה אֱלָהָא גִּבָּרָא קַיָּם לְעָלְמַיָּא מְשִׁיחָא דִּשְׁלָמָא יִסְגֵּי עֲלָנָא בְּיוֹמוֹהִי *et appellabitur nomen ejus a facie admirabilis*, i. e. *ab admirabili consilii, Deo forti, permanente in perpetuum; Messias, cujus tempore pax super nobis multiplicabitur.* Vult igitur, puero nascituro nomen Messiae a Deo imponendum esse. Sed repugnat loquendi usui Hebraeis recepto, ut vox שְׁמוֹ in ejusmodi formulis praemittatur nuncupantis nomini: שְׁמוֹ רֹּ semper medium inter nomen nuncupantis et nuncupati locum occupat, ita ut illud nomen, quod vocem שְׁמוֹ sequitur, ubique nuncupato tribuatur, nuncupanti non item. Vid. Genes. III, 20. IV, 25. XVI, 15. XXI, 3. Ruth IV, 17. 1 Sam. I, 20. praeter plura alia. Adversatur praeterea Chaldaica interpretatio interpunctioni, quam Masorethae, a majoribus haud dubie acceptam, accentibus appositis servarunt. Nam si voces אֲבִי־עַד, tanquam quae pertineant ad *Deum nuncupantem*, distinctas voluissent a sequenti שַׂר־שָׁלוֹם, quasi id solum et unicum nomen sit *nuncupati*; debuissent voci עַד adjicere accentum aliquem distinctivum insigniorem: sed contra voci עַד apposuerunt solummodo Tiphcha, qui accentus levissime distinguit, et supra גִּבּוֹר posuere Zakeph,

qui

qui magis distinguit, quo ipso indicarunt, non esse in sententia majorem distinctionem inter voces שַׂר־שָׁלוֹם et אֲבִי־עַד, quam inter אֵל גִּבּוֹר et אֲבִי־עַד, imo respirandi causa subsistere minimum in גִּבּוֹר, nec licere in עַד, ne quis forte in hanc incideret cogitationem, τὸ שַׂר שָׁלוֹם ab אֲבִי־עַד magis quam praecedentia distingui. Estne denique probabile, vatem tanto verborum apparatu recensiturum esse tot nomina personae *nuncupantis*, et unicum tantum *nuncupati?* Abhorret cum ratione omnis consuetudo. LXX haec verba sic reddiderunt: Καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας καὶ ὑγίειαν αὐτῷ. De qua interpretatione Hieronymus ita judicat: „Qua nominum majestate perterritos LXX reor non esse ausos de puero dicere, quod aperte Deus appellandus sit, et cetera; sed pro his sex nominibus posuisse, quod in Hebraico non habetur, *magni consilii angelum, et adducam pacem super principes, et sanitatem ejus.*" Sed hebraea פֶּלֶא יוֹעֵץ acceperunt pro *mirabili consilio*, μεγάλη βουλῇ, voces אֵל גִּבּוֹר sumserunt pro *Gabriele* (גַּבְרִיאֵל), inter angelos illustri, unde ἄγγελος verterunt; reliqua sic expresserunt, ac si legissent: אָבִיא עַל שָׂרֵי־שָׁלוֹם, quodque additur, καὶ ὑγίειαν αὐτῷ (sive, ut legit Hieronymus, αὐτοῦ), glossema est ex alia interpretatione alicujus, qui pro לְמַרְבֵּה, quod proximi Versus initio exstat, לְמַרְפֵּא legit. Vid. Lud. Cappelli *Crit. S.* L. III. C. V. §. 7. T. I. p. 200. edit. Hal., et L. IV. C. II. §. 12. T. II. p. 577., atque Vitringae *Observatt. SS.* L. III. C. XVII. §. 5. 6.

6. לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה וּלְשָׁלוֹם אֵין־קֵץ *Amplitudini* s. *amplificationi principatus ejus et paci nullus est finis*, regnum ejus erit amplissimum, nullis terminandum limitibus, simulque pacatissimum. מַרְבֵּה alii ut Participium formae *Hiphil* accipiunt (ut Levit. XI, 42. מַרְבֵּה רַגְלַיִם), vertuntque *multiplicanti;* alii ut *nomen*, formae מַרְאֶה, מַשְׁקֶה. Posterior sententia videtur convenientissima huic loco. מַרְבֵּה eodem modo sumi potest, quo affine הַרְבֵּה, receptius usu, et commode

mode verti, *amplum*, *amplitudo*, *amplificatio*, ut infra XXXIII, 23. Ceterum haec vox habet hoc singulare, quod Mem sit clausum in media voce. Codices plures et Kennicottiani et Rossiani, nec non *Jesajas* sine punctis cum Commentar. R. Salomo filius Isaac, 4. Veronae, 1652. editus לְמַרְבֵּה, cum Mem aperto, in textu habent. Plures tamen codices ad marginem. Haud pauci Judaeorum et Christianorum interpretes magnum sub hoc Mem latere mysterium existimant, atque in eo investigando varii varia adferunt, quae hic in medium proferre, taedet. Hillerus *de Arcano Chethib et Keri* L. I. p. 139. sub ם clauso sive finali nil agnoscit nisi symbolum variae lectionis רַבָּה, resecto penitus et omisso לם, ut expresserunt LXX: Μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ. Hieronymus: *multiplicabitur ejus imperium*. Chaldaeus: סַגִּי רְבוּ *augebitur dignitas*. Elias Levita *Masoreth*. p. 52. malit efferre לָם רַבָּה, parum grammatice pro לָהֶם רַבָּה, *eis multiplicabitur imperium*. Sed antiquitus jam ita scriptum fuisse, nempe ut una vox, et cum ם finali s. clauso in medio, apparet e nonnullis Talmudis locis, in quibus hujus Mem clausi in media voce sit mentio, et mysterium subesse indicatur. Vid. Buxtorfii *Anti-Crit.* p. 482. et 502. Gussetii *Commentarr. L. H.* sub voce רבה Lit. G. H. p. 1476. edit. Lips. Adde Cappelli *Crit. S.* P. I. p. 198. 199. edit. Hal., et De-Rossi *Varr. Lectt.* ad h. l. עַל־כִּסֵּא דָוִד וְעַל־מַמְלַכְתּוֹ *Super thronum Davidis et super regnum ejus*, haec erit indoles regni illius, super Davidico erigendi. לְהָכִין אֹתָהּ וּלְסַעֲדָהּ בְּמִשְׁפָּט וּבִצְדָקָה *Ad stabiliendum* s. *stabiliendo illud judicio et justitia*, confirmabit illud juste ac legitime moderando. Cf. Prov. XX, 28. מֵעַתָּה *A nunc*, i. e. ab eo inde tempore, quo rex ille solium conscendet. קִנְאַת *Zelus*, hic est accipiendus in bonam partem, de *ardente amore*, ut Cant. VIII, 6., ubi cum אַהֲבָה conjungitur. Ardens Dei amor erga populum suum, huic principem tam laudabilem dabit.

ANNO-

ANNOTATIONIS

AD

CAP. VIII, 23.

ADDITAMENTUM.

Recensentur variae illius loci interpretationes.

Graeca τῶν LXX interpretatio in Codice Alexandrino a Grabio edito talis legitur: Καὶ οὐκ ἀπορηθήσεται ὁ ἐν στενοχωρίᾳ ὢν ἕως καιροῦ. Τοῦτο πρῶτον πίε, ταχὺ ποίει χώρα Ζαβουλὼν, ἡ γῆ Νεφθαλεὶμ ὁδὸν θαλάσσης, καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν κατοικοῦντες, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, τὰ μέρη τῆς Ἰουδαίας. Quae fideliter reddidit Arabicus, qui in Bibliis Polyglottis editus est, interpres. In codice vero Romano graeca versio ita sonat: Καὶ οὐκ ἀπορηθήσεται ὁ ἐν στενοχωρίᾳ ὢν ἕως καιροῦ. Τοῦτο πρῶτον πίε, ταχὺ ποίει χώρα Ζαβουλὼν, ἡ γῆ Νεφθαλεὶμ, καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν, καὶ πέραν τοῦ Ἰωρδάνου Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν. Ita Graeca legit et Hieronymus, qui ea inde a Τοῦτο πρῶτον (nam quae praecedunt, ad Versum superiorem trahit) sic vertit: *Hoc primum bibe, velociter fac regio Zabulon, terra Naphtalin, et reliqui, qui juxta mare estis, trans Jordanem Galilaeae gentium.* Pro כָּעֵת legit interpres לֶעֵת, quam vocem a proximo הָרִאשׁוֹן avulsit, eaque comma clausit. Porro in verbis Τοῦτο πρῶτον πίε vocem πίε non esse interpretis, sed librariorum, na-

natumque ex vitiosa enunciatione dictantis aut scriptione verbi *ποίει*, recte observatum a Grotio et Lud. Cappello. Igitur interpres Graecus simpliciter scripsit: *τοῦτο πρῶτον ταχυποίει.* Vertit hebraicum הֵקַל per *ταχυποιεῖν*, *velociter facere, accelerare*, voce ficta, neglexitque voces וְהָאַחֲרוֹן et הִכְבִּיד, quum eas cum ceteris non posset construere. Quae in codice Alexandrino in fine Versus addita sunt, *τὰ μέρη τῆς Ἰουδαίας*, habenda pro glossemate.

Reliquae versiones Graecae ex Procopii Commentario a Drusio et Montefalconio excerptae, propius ad textum Hebraeum accedunt. Symmachus et reliqui: *Ὁ πρῶτος ἐτάχυνεν γῆν Ζαβουλὼν, καὶ γῆν Νεφθαλεὶμ, καὶ ὁ ἔσχατος ἐβάρυνεν ὁδὸν τὴν κατὰ θάλασσαν.* At Symmachi haec esse dubium est, quum verbum de verbo exprimant hebraica, nec sensus ulla ratio sit habita, quae Aquilae ratio esse solet. Hieronymus: „Pro *Galilaea gentium* [גְּלִיל הַגּוֹיִם] Aquila *θῖνας gentium*, Symmachus *terminos gentium* interpretati sunt: *θῖνας* autem *tumulos* intelligimus *arenarum*, qui vel in littoribus, vel in ripis sunt." Patet, Symmachum, aut quis alius ille interpres fuerit, verba כָּעֵת et הָרִאשׁוֹן sejunxisse, הָאַחֲרוֹן ad הָרִאשׁוֹן retulisse (etsi, num post *πρῶτος* et *ἔσχατος* subaudiendum putarit *καιρὸς*, aut nomen simile aliud, certo constitui non potest), denique הִכְבִּיד cum הֵקַל junxisse, servata tamen cum ceteris interpretibus in הֵקַל *velocitatis* notione.

Hieronymus prius Versus nostri hemistichium retulit ad Versum superiorem, et sic vertit: *et non poterit avolare de angustia sua.* Reliqua transtulit ita: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Naphtali, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilaeae gentium.* Quorum verborum sensum hunc esse ait: „Primo tempore terra Zabulon et terra Naphtali relevata esse dicitur onere peccatorum, novissimo autem tempore aggravata est fides eorum. — Nazaraei hunc locum ita explanare conantur: Adveniente Christo et praedicatione ejus coruscante pri-

primum terra Zabulon et terra Naphtali scribarum et Pharisaeorum erroribus est liberata, et gravissimum traditionum Judaicorum jugum excussit de cervicibus suis. Postea autem per Evangelium Apostoli Pauli, qui novissimus Apostolorum omnium fuit, ingravata est, id est, multiplicata praedicatio, et in terminos gentium et viam universi maris Christi Evangelium splenduit."

Syriaca hujus Versus translatio haec est: ܡܛܠ ܕܠܐ ܕܢܬܥܩ ܠܐܢܫ ܕܡܬܐܠܨ ܐܝܟ ܕܒܙܒܢܐ ܩܕܡܝܐ ܣܪܗܒܬ ܐܪܥܐ ܕܙܒܘܠܘܢ ܘܐܪܥܐ ܕܢܦܬܠܝ ܘܐܘܚܕܢܐ ܐܝܩܪܬ ܐܘܪܚܐ ܕܝܡܐ ܥܒܪܘܗܝ ܕܝܘܪܕܢܢ ܢܗܪܐ ܓܠܝܠܐ ܕܥܡܡܐ, *non enim exagitabit eum, qui est afflictus, ut praecedente tempore. Festinavit terra Sebulon, et terra Naphtali, et imperium illustre reddidit, viam maritimam, ulteriores partes Jordanis fluvii, Galilaeam gentium.* Pro וְהָאַחֲרוֹן videtur interpres וְהָאַחְדוֹן legisse, cui Syriaci ܐܘܚܕܢܐ notionem tribuit.

Saadias: فانه لا لغب لمن يضيق عليهم بالوقت الاول الذي اسرعوا ببلد زبولون ونفتلي وبالآخر الذي تثقل علي اهل طريق البحر وعبر الاردن وسواحل الامم, *sed non erit molestia illis, qui arctati sunt tempore priore, qui festinarunt in terram Sebulon et Naphtali, et posteriore* tempore, *quod grave fuit populo viae maritimae,* et regionis *trans Jordanem, et oris gentium.*

Chaldaeus: ארי לא ישתלהי כל דייתי לאעקא להון כעדן קדמי גלו עם ארע זבלון ועם ארע נפתלי ושארהון מלך תקיף יגלי

יִגְלֵי עַל דְּלָא אִדְכָּרוּ גְבוּרַת יַמָּא וְנִסֵּי יַרְדְּנָא קְרָב כְּרַכֵּי עַמְמַיָּא *neque enim deficiet omnis, qui veniat, ut tribulet eos sicut tempore priore. Transmigrarunt populus terrae Sebulon et populus terrae Naphtali, et quicquid superest ex iis, rex fortis abducet in captivitatem, propterea quod non recordantur vis* (ejus, quam experti sunt) *ad mare, et miraculorum ad Jordanem, belli cum munitis gentium civitatibus.* גְּלִיל הַגּוֹיִם igitur interpres non de Galilaea, sed appellative de *tractu, regionibus, civitatibus* terrae Cananaeae accepit. Ceterum cum eo sensu, quem Chaldaeus expressit, fere convenit interpretatio ea, quam Hieronymus Hebraeorum sui temporis esse tradit. Ita enim ille: „Hebraei credentes in Christum hunc locum ita edisserunt: primo tempore hae duae tribus, Zabulon et Naphtali, ab Assyriis captae sunt et ductae in hostilem terram; postea autem non solum duae tribus, sed et reliquae (וְהָאַחֲרוֹן), quae habitabant trans Jordanem et in Samaria, ductae sunt in captivitatem.“ Chaldaei interpretis translatio autem optime illustratur Jarchii hujus Versus explicatione, quae tota ad illam conformata est. Verba enim כִּי לֹא מוּעָף אֲשֶׁר מוּצָק לָהּ sic interpretatur: „Rex Assyriae enim, qui constitutus est, ut angustia et tribulatione terram vestram premat, non est lassus nec piger, quo minus veniat contra illos (Israelitas). Tribus autem vicibus ille in eos irruit: prima vice Pecachi tempore, quo cepit Hijonem et Abelum domus Maachae, Kedeschum, Galilaeam, totamque terram Naphtali [vid. 2 Reg. XV, 29.], quae deportatio anno quarto Ahasi accidit; anno autem Ahasi duodecimo Phul, Assyriae rex, deportavit Rubenitas et Gaditas atque dimidiam tribum Manassis, prouti narratur 1 Chron. V, 26., quod accidit in principio rebellionis Hoseae, filii Elae, contra regem Assyriae, vid. 2 Reg. XVII, 4.; tertia vero deportatio accidit sexto Hiskiae anno, qui fuit annus nonus, postquam Hoseas rebellaverat, quo tempore expugnata est Samaria, regni caput, atque omnes Israelitae in exsilium abducti sunt. Id igitur innuit vates, cum hic dicit, non esse lassitudinem hosti,

hoſti, Aſſyriae regi, qui anguſtia premat terram Iſraeliticam.“ Quae jam ſequuntur verba hebraea, הֵקַל אַרְצָה זְבֻלוּן וְאַרְצָה נַפְתָּלִי, ex Jarchii mente ſic erunt vertenda: *ſicuti tempore hoc primo leviter affecit* rex Aſſyriae *terram Sebulon.* Nam explicat illa hoc modo: „Deportatio illa media erit levis, ſicut deportatio temporis prioris, quo rex Aſſyriae levi exilio deportavit incolas terrae Zebulonis et Naphtali [2 Reg. XVII, 1.]; nam ſecunda etiam deportatione nonniſi duas tribus dimidiamque, quae trans Jordanem erant, abduxit; at tertia et ultima deportatione, ille (rex Aſſyriae) everriculo purgavit omnia [ſerioribus Hebraeis כַּבֵּר notat *everrere domum,* et כִּבּוּר *everritionem*], tanquam ſcopis domum purgans. Poteſt tamen הִכְבִּיד et *gravius affecit* exponi, ut oppoſitum ſit τῷ הֵקַל *levius affecit.* Quando autem Jeſajas hoc vaticinium protulit, primi Iſraelitae jam erant abducti. Dictione דֶּרֶךְ הַיָּם. indicat illos, qui juxta mare Tiberiadis habitabant, i. e. Naphtalitas, juxta Deut. XXXIII, 23. Verbis עֵבֶר הַיַּרְדֵּן ſecundam deportationem, Rubenitarum et Gaditarum, innuit. גְּלִיל הַגּוֹיִם autem *univerſam terram Iſraeliticam* indicat, quae גּוֹלֶלֶת *volvebat* ſ. *trahebat ad ſe omnes gentes,* quoniam omnes eam amabant, et ad eam negotiandi cauſa veniebant, unde Jeremias [III, 19. al. 14.] eam appellat *poſſeſſionem decoram,* צִבְאוֹת גּוֹיִם *exercituum gentium.*“ Ad Iſraelitarum deportationes hunc Verſum retulit et Kimchi, etſi in pluribus a Jarchio diſcedat. Nam מוּעָף non, ſicut ille, a יָעַף, ſed ab עוּף derivat, et *obſcuritatem* notare obſervat; coll. Job. X, 22. Ad verba hujus Verſus priora, כִּי לֹא מוּעָף אֲשֶׁר מוּצָק לָהּ haec notat: „Non exiſtimavit Iſrael ſe ipſum in tenebris, i. e. in anguſtia et afflictione, quae venit in terram initio, quaſi dicat: adhuc non ſentit in ſe, quum deportati ſint Zebulon et Naphtali.“ Reliqua ita exponit: „הֵקַל, ſcilicet qui eos deportavit, Tiglath-Pileſer, qui captivos abduxit Rubenitas cum dimidio tribus Manaſſis, Paralip. V, 26., nec non Zebulonem et Naphtalim, 2 Reg. XV, 29. וְהָאַחֲרוֹן הִכְבִּיד, ſcilicet qui eos deportavit, Sanheribus,

ribus, qui eos gravius affecit, dum reliquas tribus abduxit. Nominat vero *viam maris*, *trans Jordanem*, *Galilaeam gentium*, propterea quod relicta erat Hierosolyma, quae non fuit hosti subjecta, ea vero est in medio terrae Israelis. Recenset loca, quae sunt in termino terrae Israeliticae." Capiunt cuncti illi interpretes הֵקַל *levius tractandi* significatione, quam nusquam alias obtinet. Quum הֵקַל Jon. I, 5. 1 Sam. VI, 15. *levare*, *exonerare* denotet, et 1 Reg. XII, 4. coll. Vs. 9. 10. הָקֵל מֵעֲבֹדָה de *servitutis jugo demendo* dicatur; eandem notionem nostro quoque loco adhibendam existimavit J. B. Koppe in Programmate Academiae Gottingensis nomine scripto anno 1779., atque in notis ad Lowthii Commentar. ad h. l. Verum nonnisi sequenti מ illam *levandi exonerandique* significationem הֵקַל obtinere, docent loca indicata. Cum Accusativo, ut hoc nostro loco, constructum, semper denotat *vilem habere* eam rem, de qua sermo est; vide loca supra p. 358. adscripta.

Cap. VIII, 1. *Tum mihi Jova mandavit: agedum, sume volumen magnum cui inscribas charactere communi: „festinat praeda, properat rapina."*

2. *Itaque fidos testes adhibui, Uriam, sacerdotem, et Sacharjam, Jebarachjae filium.*

3. *Tum accessi ad prophetissam, quae quum gravida facta fuisset, filium peperit, quem Jova jussit, ut „Festinat praeda, properat rapina", nominarem;*

4. *Fore enim, ut priusquam puer is sciret „mi pater", aut „mea mater", pronunciare, opes Damasci, Samariaeque spolia Assyriae regi praeferantur.*

5. *Praeterea mecum amplius loquutus est Jova hunc in modum:*

6. *Quoniam iste populus repudiata Siloae aqua, quae placide fluit, Rezine et Remaljae filio delectatur;*

7. *Pro*

7. *Propterea Dominus est eis adducturus aquas fluvii validas et multas, Assyriae regem, cum omni suo apparatu, qui omnes suos alveos superabit, omnesque ripas suas excedet;*

8. *Pervadit ad Judaeam, inundat, perrumpit, tangit ad collum usque. Expansae sunt ejus alae, implet quam late patet tuam, o Immanuel, terram.*

9. *Conspirate, populi, et profligamini! Attendite omnes, qui estis in finibus remotis; accingite vos, et profligamini! accingite vos, et profligamini!*

10. *Inite consilium, et dissolvetur! decernite rem, et erit irrita, quoniam nobis adest Deus.*

11. *Ita Jova mihi dixit, valide me urgens docuitque, non esse hujus populi viâ gradiendum, sic dicens:*

12. *Ne conjurationem dicite quidquid populus iste conjurationem dicit, nec timeatis quod illi timent, neque formidetis!*

13. *Sed Jovam, agminum Deum, sancte colite; is metus vester, is pavor esto.*

14. *Is erit Sanctuarium, et lapis offensionis, et saxum illisus duabus Israeliticis domibus, laqueus et tendicula Hierosolymitanis;*

15. *Impingentque eorum multi, et cadent, et frangentur, et irretientur, et capientur.*

16. *Colliga oraculum, obsigna institutionem, cum iis qui a me edocti sunt.*

17. *Ergo Jovam exspectabo, qui vultum suum a stirpe Jacobi abscondit, eumque sperabo.*

18. *Ecce me et pueri, quos Jova mihi dedit ut essent signa et portenta in Israele, a Jova, agminum Deo, Zionem montem incolente.*

19. *Quodsi vobis dicant, ut necromantes divinosque mussantes et murmurantes consulatis; nonne suum debet Deum populus quisque consulere? num pro vivis mortuos consulamus?*

20. *Ad institutionem et ad oraculum! Quodsi non ita loquantur; nulla ei affulgebit aurora;*

21. *Regionemque gravati et famelici peragrabunt; fietque cum esuriverint, ut irati maledicta in suum regem et in suum Deum conjiciant, sursum suspicientes.*

22. *Quodsi vero ad terram respexerint, ecce angustia, tenebrae, caligo terroris plena, in qua impingunt.*

23. *Nec tamen semper obducta tenebris erit terra, cui angustia fuit. Quemadmodum prius tempus Sebuloniam Naphtaliticamque terram vilem reddidit; ita posterius tempus regionem maritimam trans Jordanem, Galilaeamque gentium gloriosam reddet.*

Cap. IX, 1. *Homines in tenebris versantes magnam lucem videbunt, terram mortis umbra involutam incolentibus lux adfulgebit.*

2. *Ampliabis gentem tantâque afficies laetitia, ut coram te gaudeant sicuti in messibus gauderi solet, quomodo in dividendis spoliis exsultatur.*

3. *Nam tu eorum oneris jugum humerorumque virgam, baculum eis imperantium perfringes, sicut die Midianitarum.*

4. *Nam omne ocreati calceamentum et sanguine volutata vestis incendio dabitur; ignisque fiet pabulum.*

5. *Nam puer nobis nascitur, filius nobis datur, qui humeris suis principatum gerit, qui nomine vocatur Admirabilis, Consiliarius, Divinus heros, Aeternus pater, Princeps pacis.*

6. *Principatus ejus amplitudini et paci nullus erit finis; solio Davidico insedebit ejusque regno praeerit, ad id jure justitiaque condendum, et stabiliendum in omnem deinceps aeternitatem, id quod Jova, agminum Deus, ardente suo amore praestabit.*

VII.

Cap. IX, 7. — X, 4.

ARGUMENTUM.

Oratio in Ephraimitas, qui pessimo consilio se junxerant Syris ad oppugnandos Judaeos, cognatos suos, et ad exstirpandum, si pote, regnum domus Davidicae. Illis, qui fastu et arrogantia pleni magnas animo conceperant et fovebant spes de insigni rerum suorum incremento, propheta ob oculos ponit crimina, quibus Deo obstricta erant, et contumacibus ac resipiscere recusantibus denunciat supplicia divinitus ipsis infligenda. Absolvitur haec concio *quatuor* partibus, quae singulae terminantur solenni hac formula, *non esse aversam iram Dei, sed adhuc manum ejus extentam:* 1) Vs. 8 — 11. (Versus 7. est inscriptionis loco); 2) Vs. 12 — 16.; 3) Vs. 17 — 20.; 4) Cap. X, Vs. 1 — 4. Singulae hae partes sunt bimembres: priori membro proponitur delictum, posteriore poenarum comminatio.

Quae IX, 18. 19. 20. leguntur non est dubium respicere ad intestina bella, quibus regnum Ephraimiticum, occiso Pecacho, discindebatur, Hos. VII, 7. Est igitur hoc vaticinium, regnante adhuc in Judaea Ahaso, haud longe post illud, quod proxime praecedit, editum.

Cap. IX, 7. Hic Versus inscriptionis loco vaticinio praemissus est, ita tamen ut cum iis quae sequuntur cohaereat;

haereat; cf. Zach. IX, 1. 2. Arguit primum Ephraimitarum faſtum et contemtum, quo exceperant oracula prophetarum Jovae, quibus inſelix coeptorum exitus iis denunciabatur. Per *verbum, miſſum in Jacobum* etc. haud dubie intelligendum ipſum noſtrum vaticinium. *Jacobo* et *Iſraele* h. l. regnum Ephraimiticum, ut infra Vs. 11. 13. deſignatur, vid. et Hoſ. V, 1. 3. 5. VII, 1. 10. דָּבָר hic eſſe *oraculum, minas* continens et *denunciationes* poenarum divinarum, ipſe contextus docet. Ita et inſra XVI, 13. XXVII, 22. Alexandrini verterunt *θάνατον, peſtilentiam* (cf. Grotium ad Matth. XXIV, 7.), quaſi extuliſſent דֶּבֶר. נָפַל *Cecidit*, verbum, oraculum minans, *fulminis inſtar*, ut obſervat Schultens *Origg.* L. I. Cap. VI. §. XI. p. 273. Sed Gesenius verbo illo eo potius, quod oraculum hoc *coelitus demiſſum eſt*, reſpici putat, quemadmodum Arabes ſuo نزل *deſcendit* in Conjugationibus tranſitivis II. et IV. utuntur. Cf. Dan. IV, 28. קָל מִן שְׁמַיָּא נְפַל *vox de coelo delapſa eſt*.

8. וְיָדְעוּ הָעָם כֻּלּוֹ *Experientur* hoc verbum, et has minas Ephraimitae, qui, ut ſunt animo inſolenti, et vano, cum aliquid ſimile ab aliis obtenditur, cum ſibilo excipiunt verba minacia, ſeque contra omnia adverſa ſatis paratos eſſe putant. Eſt autem veriſimile, hoc idem jam ſaepe Ephraimitas audiviſſe, et verbis, quae ſtatim commemorantur, has propheticas minas exſibilaſſe. יָדַע ſaepius dicitur de eo, qui *experitur* poenas, quas praenunciatas antea contemſit; ut Hoſ. IX, 7. *Venerunt dies viſitationis, illuxerunt dies retributionis et vindictae,* יֵדְעוּ יִשְׂרָאֵל, *experientur Iſraelitae:* nec non Job. XXI, 19. יְשַׁלֵּם אֵלָיו וְיֵדָע, *retribuet ei et experientur.* Eodem plane modo Arabes ſuum عَلِمَ uſurpant, quod quum proprie notet *novit, ſcivit;* in Corano ſaepiſſime ſignificat *poenas expertus eſt, poenas luit.* Sic Sur. XXVI, 48. Pharao incantatoribus ſuis, qui Moſis miraculis fidem adhibebant, minatur: فَلَسَوْفَ تَعْلَمُونَ

certe

certe poenas dabitis, poenas a vobis repetam. Plura exempla hujus loquendi usus collegit Schultens in *Animadverss. Philologg.* ad Job. XXI, 19. Sine necessitate Hubigantius וְיָדְעוּ hic mutat in וַיֵּרְעוּ, *pravi facti sunt*, cum uno Codice Kennicottiano; Seckerus in וַיְדַבְּרוּ, Lowthus in וַיִּגְבְּהוּ, Chaldaei versione permotus, אִתְרַבְרַבוּ vertentis, quomodo reddidit verbum גָּבְהוּ, supra Cap. III, 16. Verum recte observat Kocherus in *Vindicc.* p. 71., Chaldaeum intellexisse verbum יָדַע de imaginationibus et placitis vani superbique Ephraimitarum animi, quomodo et Abarbenel in suo Commentario fecit. Doederlein ad יָדַע subaudit דָּבָר, et hunc Versum ita vertit: *sed eam* (sententiam) *omnis populus, Ephraimitae civesque Samariae superbiente ac fastuoso animo accepere, dictitantes* etc. Verba בְּגַאֲוָה וּבְגֹדֶל לֵבָב לֵאמֹר Schultens in *Animadverss. Philologg. ad Jerem.* L, 11. interpunctione Masorethica neglecta, vertit: *Poenas luet omnis populus — ob superbiam et fastum ejus.* Aptius vero juxta accentus haec verba conjunguntur cum לֵאמֹר, *in fastu et superbia dicentes.*

9. Inducuntur loquentes ipsi Ephraimitae per prophetarum minas neutiquam deterriti a proposito invadendae Judaeae. Quamquam variis casibus afflicti olim a Syris magnam fecerant jacturam, et valde etiam imminuti fuerunt post mortem Jeroboami secundi; nunc tamen, consiliis, et armis regis Syriae, socii sui, confidentes, tam sibi in sua potentia placent, ut pristinas calamitates prae sua facultate et opibus levissimas reputent. לְבֵנִים נָפָלוּ וְגָזִית נִבְנֶה *Lateres ceciderunt, sed caesis lapidibus* rursus *aedificabimus.* Opus lateritium, antea ex latere crudo exstructum, nunc vero hostium injuria dirutum, pro latere crudo sectis quadratisque lapidibus instaurabimus. גָּזִית elliptice pro אַבְנֵי גָזִית 1 Reg. V, 17., גָּזִית vero a verbo גָּזַז, *detondere*, denotat *lapidum durorum dedolationem* sive *laevigationem.* Vulgatus sensum docte vertit, *quadris lapidibus*, scilicet *politis* et *laevigatis.* שִׁקְמִים גֻּדָּעוּ וַאֲרָזִים נַחֲלִיף *Sycomori* ex-

excisae sunt, sed commutabimus eas cum cedris. שִׁקְמִים esse *sycomoros*, arborum genus in Oriente longe frequentissimum, CELSIUS ostendit *Hierobot.* T. I. p. 310., cui addendus HASSELQUIST *Iter Palaestin.* p. 535. vers. germ.; NORDEN *Voyage d'Egypte et de Nubie*, p. 57. (T. I. p. 85. edit. Paris. 1795. 4.), qui et iconem adjecit, Tab. XXXVIII. Arbor est vasta, ramosa et in latum extensa, quae incolis terrarum, sub fervido coelo sitarum, insignem praestat usum. In Aegypto et Palaestina frequentissime in littoribus et ad vias juxta pagos plantata invenitur. Ab Aegyptiis veteribus adhibita fuit ad construenda conditoria, in quibus corpora mortuorum balsamo condita reponerent. Arbor huic usui est omnino omnibus aedificiis valde apta, quippe quae putredinem per plurima secula non admittit, et non nisi vetustissima corruptioni obnoxia. אֲרָזִים *Cedrus*, vid. not. supra ad Cap. II, 13. Lignum hujus arboris durissimum ad aedificandum usurpatum esse, apparet ex 2 Chron. II, 7. Cf. FABER *Archäologie der Hebräer*, T. I. p. 368. 369. Si ceciderint domus a latere crudo vilique sycomoro exstructae, pro illis aliae e quadrato lapide cedrinaque materia excitabuntur, in quas neque vis, neque tempus quidquam habeant juris. HIERONYMUS: „Populus Ephraim et habitantes Samariam, qui propter multitudinem eriguntur in superbiam, dicunt: Parvum est regnum Judae, et nostri comparatione vilissimum. Itaque illis ruentibus, quasi lateribus, nos quadro lapide aedificemus nobis domum. Illorum sycomoris, quae ligna sunt vilia, hostili incursione succisis, nos imperium nostrum cedris exstruemus, quae imputribiles sunt, ut regnum significent sempiternum."

10. וַיְשַׂגֵּב יְהוָה אֶת־צָרֵי רְצִין עָלָיו *Idcirco efferet Jova adversarios Rezinis contra eum*, Ephraimum. Qui Rezinum et ejus regnum expugnabit, rex Assyriorum (vid. 2 Reg. XVI, 9.), idem victrices copias in vos quoque convertet, et eodem victoriae cursu vestram quoque regionem populabitur. וַיְשַׂגֵּב *Exaltabit*, i. e. superiores seu potentiores

tiores reddet. Pro צָרֵי רְצִין HUBIGANTUS, DOEDERLEIN et HENSLERUS triginta codicum auctoritate legunt שָׂרֵי רְצִין, quasi vates perfidiam Syrorum denunciet; ut haec verba vertenda sint: *futurum est, ut Rezini principes etiam adversus Ephraimitas excitet.* J. D. MICHAELIS; Alexandrinorum versione, ὄρος Σιὼν, permotus, legit הַר צִיּוֹן. Lectionem vulgarem viri illi docti igitur censent mutandam, quod ea retenta, non bene intelligi possit, quomodo, si *Rezini* sive Syrorum *hostes*, i. e. Assyrii, Israelitas aggressuri sint; de Syris, Israelitarum sociis, commate sequenti dici possit, eos invasuros esse Israelitas. De ea re dicemus ad Vs. seq. וְאֶת־אֹיְבָיו יְסַכְסֵךְ *Et hostes ejus inter se miscebit*, quomodo verbum יְסַכְסֵךְ et hic, et infra XIX, 2. plerique interpretantur, hoc sensu: conglomerati ipsum adorientur; vel, eodem tempore ex diversis partibus in eum irrumpent, quod Versu sequ. mox exponit. VATABLUS: „*permiscebit* subint. *populo ipsius*, i. e. efficiet, ut inimici regis Syriae veniant Damascum, et illic habitent, ac in toto regno ejus." Hieronymus: *Et inimicos ejus in tumultum vertet.* LXX: Διασκεδάσει. Sed melius alii: *hostes ejus armabit*; verbo סָכַךְ *tegendi* notionem, quam sumunt Thren. III, 44. obtinet, hinc *tegere*, inducere, *armis*, h. e. *armare*, collato Arabico شَكَّ, *totum se operuit armis*, unde شِكَّة, *arma, panoplia*, vid. SCHULTENSIUM ad Job. XL, 16. p. 1178. CLODII *Lex. Hebr. Select.* p. 354. seq. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1742. seq.

11. אֲרָם מִקֶּדֶם *Aramaei ab ortu* hostes ingruent. Quum Syrii tunc fuerint socii Ephraimitarum, aliqua difficultas hisce verbis inesse videri possit. Recte vero post Aben-Esram GROTIUS: „Nam Syri post mortem Rasinis adjunxerant se Assyriis." Postquam ab Assyrio rege superati essent Syri et subacti, arma militesque miscuisse copiis Assyriorum ad Ephraimitas oppugnandos, admodum verisimile est. VITRINGA monet, sub *Aramaeis* sive *Syris*, tam

a Grae-

a Graecis et Romanis, quam ab Hebraeis aliisque Orientalibus scriptoribus saepe intelligi *Assyrios.* Id quod magis adhuc confirmavit Michaelis in *Spicil. Geograph. Hebraeor. Exterae,* T. II. p. 119., ubi et ex medii aevi scriptoribus Syriacis plura loca adfert, in quibus sub *Aramaea* manifeste intelligitur *Assyria,* omninoque *universa trans Tigrim regio.* - Conf. Bocharti *Geogr. Sacr.* Lib. II. Cap. IIII. Sic apud Jeremiam, XXXV, 11. Rechabitae, postquam dixissent, se ex praescripto patris sui, Jonadabi, habitasse in tentoriis, usque ad expeditionem Nebucadnezaris primam in hanc terram, addunt: *agedum, conferamus nos Hierosolyma, propter copias Chaldaeorum,* וּמִפְּנֵי חֵיל אֲרָם, *et propter copias Syrorum.* Intelliguntur hic sine omni dubitatione tam *Cis-Euphratenses,* quam *Trans-Euphratenses Syri.* וּפְלִשְׁתִּים מֵאָחוֹר *Et Philisthaei a tergo,* s. *ab occasu.* In libris Hebraeorum historicis, nobis servatis, nusquam quidem traditur, Philisthaeos illis temporibus invasisse Israelitas; nec tamen inde colligi potest, id non factum esse. Nam Philisthaei, ab antiquo infesti Israelitis, omnes occasiones eis nocendi capiebant. Graecus Alexandrinus pro פְּלִשְׁתִּים, quod nomen alias Ἀλλόφυλοι reddit, hoc loco τοὺς Ἕλληνας posuit. Interpretem Gesenius eo respexisse existimat, quod serioribus temporibus Graeci reges, Ptolemaei et Seleucidae, Israelitas in suam potestatem redegerunt, ut id ipsum ante plura secula vates praedixisse crederetur. וַיֹּאכְלוּ *Vorabuntque,* i. e. bello absument, quo sensu idem verbum, et Deut. VII, 16. Jerem. X, 25. XXX, 16. usurpatur. Eadem figura לָחַם *comedit* pro *impugnavit* Ps. XXXV, 1. LVII, 2., et נִלְחַם *sese invicem comedere* pro *pugnare.* Arabibus quoque ضَغَمَ *manducavit* in Conjug. II. est *vehementer* cum alio *conflixit in pugna;* בְּכָל-פֶּה, LXX: ὅλῳ τῷ στόματι, *toto ore, plenis faucibus;* sumta metaphora a devorantibus animalibus, cum vehementi cibo desiderio tenentur. Cf. Homeri *Iliad.* X, 18. πολέμοιο μέγα στόμα. Alii *undiquaque* reddunt, conferentes לְפֶה פֶּה, 2 Reg.

2 Reg. X, 21. Ita Chaldaeus: בְּכָל אֲתַר, *in omni loco.* בְּכָל־זֹאת — נְטוּיָה] Hac calamitate nondum expiata sunt delicta populi Israelitici; imminent graviora; cf. supra V, 25.

12. Causa additur, cur Deus illorum poenis nondum sit satiatus. Quia culpam nec agnoverunt, nec emendarunt. Pro עַד־הַמַּכֵּהוּ *ad illum, qui eum percutit,* legit unus codex Rossianus a priore manu עַד־הַמַּכֶּה, sine suffixo, quod praefixum ה demonstrativum non pati solet. Nec tamen desunt exempla Suffixi voci, quae ה demonstrativum praemissum habet, additi, vid. infra XXIV, 2. Prov. XVI, 4.

13. וַיַּכְרֵת יְהוָה מִיִּשְׂרָאֵל רֹאשׁ וְזָנָב *Ideo rescindet Jova ab Israele caput et caudam.* Proverbialis loquendi formula, qua significatur, omnes perituros esse, summos atque infimos. Cf. Deuter. XXVIII, 13. 44. Similiter, notante Gesenio, dicunt Arabes, قَوْمٌ هُمُ الْأَنْفُ وَالْأَذْنَابُ غَيْرُهُمْ, *illi sunt nasus,* i. e. capita et duces, *alii vero caudae,* inferiores; vid. Lexicon *Camus* dictum p. 1135. edit. Calcutt. *Caput* Versu sequente dicuntur esse ii, qui praesunt, quorum consilio atque auctoritate omnia administrantur. *Cauda* vero *prophetae mendaces* dicuntur; sed vid. ad Vs. 14. כִּפָּה וְאַגְמוֹן *Ramum et juncum.* Alia similitudo, idem exprimens. Per *ramum* nobile et forte, per *juncum,* qui tenuis est, et palustris, adde etiam inanis, quae debilia sunt, et vilia, significantur. Doederlein כִּפָּה intelligit de *palmis* (conferens haud dubie Chald. כֵּיפָּה, quod absolute quoque de *palmarum spathis* ponitur, et Levit. XXIII, 40, כַּפּוֹת־תְּמָרִים), et in nota addit: „palmae altius excrescunt et firmitate et pulchritudine non minus quam proceritate reliquas arbores superant (vid. Kaempferi *Amoenitt. Exott.* p. 676.). Arundo vilis est et humilis herba: huic ignobiles et exhausti comparantur (Vs. 16. pupilli et viduae): palmae iis qui in vigore sunt (juventus, Vs. 16.).“

14. נְשׂוּא־פָנִים proprie *elatus facie,* i. e. viri honorati, spectabiles, cf. supra III, 3. Hunc Versum Koppe

a Ju-

a Judaeo quodam, qui proverbialem loquendi formulam רֹאשׁ וְזָנָב explicare vellet, inſcite additum judicat. Aſſenſorem, praeter Eichhornium et Cubium, nactus eſt et Geſenium, cui hisce potiſſimum de cauſis perſuaſum eſt, hunc Verſum haud eſſe Jeſajae. Primum vix eſt credibile, vatem medio in orationis flumine inſeruiſſe interpretationem formulae loquendi, de cujus ſignificatu qui illum audiverunt vel legerunt non dubii eſſe potuere. Deinde per זָנָב vatem *mendaces prophetas* deſignare voluiſſe, ut hic Verſus dicit, parum eſt veriſimile, quum *caudâ, capiti*, i. e. principibus, oppoſita, potius inferiores populi indicari credibile ſit. Tum repetitum hoc Verſu הוּא *id eſt* commentatoris, non auctoris, ſtylum arguit. Denique turbat hic Verſus rhythmicam hujus vaticinii normam, ex qua ſingulae ejus partes *quatuor* Verſibus conſtant (vid. ſupra p. 378.); hoc vero Verſu ſecunda pars reliquis uno Verſu longior ſit. Ceterum hanc interpolationem Geſenius haud adeo longe poſt Jeſajae tempora factam exiſtimat a quodam, qui falſis prophetis adverſatus eos ut perditiſſimam et infimam populi faecem ſiſtere vellet.

15. Cf. ſupra III, 12. מְבֻלָּעִים *abſorbentur*, exitio, quaſi lacunis et foraminibus mergentur, vid. not. ad loc. citat.

16. עַל־כֵּן עַל־בַּחוּרָיו לֹא־יִשְׂמַח אֲדֹנָי *Idcirco ſuper juvenibus eorum non laetabitur Dominus*, „quum tamen juventus alioqui eſſe ſoleat amabilis", ut bene Grotius. Herm. Muntinghe in *Diſſertat. ad quaedam V. T. loca*, Groning. 1775. Obſervat. VIII. ut concinnior ſit membrorum parallelismus haec verba vertit: *ideo erga juvenes eorum nulla utetur clementia.* Nempe verbum שָׂמַח, quod, ut variis locis docuit Schultensius, e. c. ad *Harir. Conſeſſ. II.* p. 100. *Conſeſſ. III.* p. 146. *Commentar. ad Job.* p. 76. cet., proprie dicitur de *ligno glabro* ſive *enódi*, non tantum frequentiſſima *gaudii* ſummi, nulliſque curarum ac ſollicitudinum *nodis conſtricti*, metaphora uſurpari exiſtimat apud Hebraeos; verum etiam, ut apud Arabes, ad *clementiam*,

mentiam, benignitatem, et *liberalitatem*, qua quis se non *difficilem* et *asperum*, sed *facilem*, *quasi enodem*, praestat, traductum esse arbitratur. Sic apud HARIRIUM *Consess. VI.* p. 234. والسمحُ يُغذّي, *et liberalis largitor alimenta praebet*. Hac *liberalitatis* notione חֹטֶּשׂ et apud Hebraeos 2 Chron. XXIV, 10. obvium esse observat. *Clementiae* significationem verbo חמשׂ vindicare studet et J. A. TINGSTADIUS in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 39. Sed vocem innumeris V. T. locis *laetandi* notione occurrentem, hoc solo *clementiae* significatu sumi, parum verisimile. כִּי כֻלּוֹ חָנֵף *Nam omnis est profanus*. חָנֵף non est *hypocrita*, ut vertere solent, nam ea significatio nullo plane argumento nititur; sed *profanus*, *irreligiosus*, coll. Syr. ܚܢܦܐ, *ethnicus*, *idololatra*, cf. infra XXXII, 6., et MICHAELIS *Supplemm.* p. 848 — 850. *Quae interpretatio firmatur quoque per* illud, quod חָנֵף hic *conjunctum* est cum נְבָלָה, quae vox saepe de *irreligiosorum* et *ethnicorum erroribus* usurpari solet; cf. infra XXXII, 6. et Ps. XIV, 1.

17. Similitudine eleganti explicat propheta, quam late impietas Israeliticos pervaserit fines, et quam misere omnia prostraverit. Cum magnam cladem, aut infortunium accidisse significare volumus, ab igne atque incendio nomina mutuamur. Quia ab aliis saepe plurima, ab incendio non nisi pauca, eaque perraro, tuta sunt. Ut autem ignis, ubi vibratus e coelo, sive pastorum incuria, aut etiam studio, in sylvam incidit, primum quidem humilem, aridamque materiam corripit, quales sunt vepres ac spinae, deinde vero majore quodam impetu ex incendio concepto sylvam totam comburit, interim omnia obvolvente et obnubilante fumo, atque ad coelum usque sursum undante (גֵּאוּת עָשָׁן, vid. mox infra); sic impietas, late grassata in populo Israelitico, ipsa pessimos istos homines misere perdit. וַתִּצַּת בְּסִבְכֵי הַיַּעַר *Et incendit*, incendium fecit (ut infra XXXIII, 12.), *implexa sylvae*, X, 34. Genes. XXII, 13. Pro וַתִּצַּת

Codex

Codex Noricus I. legit וְהַצִּית, quam lectionem expressit Doederlein, qui vertit: *sylvam densissimam corripiet.* וַיִּתְאַבְּכוּ גֵּאוּת עָשָׁן *Denseque convolventur elatione fumi,* i. e. sicut fumus sese convolutus extollit, et in aere extenuatur et evanescit. Verbum אָבַךְ, ἅπαξ λεγόμενον, Castellus in *Lex. Heptagl.* confert cum Syr. ܐܒܟ, *fastuose, superbe incedit,* vertitque: *et superbiunt,* fastuose se gerunt, *ut superbia fumus,* h. e. superbia eorum (ipsi superbi), fumi instar evanescet, interibit. Placet id Michaeli quoque, qui vertit: *und die so stolz in die Höhe steigen, sind Rauch.* Vid. *Supplemm.* p. 6. 7. Meliorem, ex meo quidem sensu, interpretationem Doederlein affert ex A. Schultensii *Lexico Hebraico,* cujus duae tantummodo plagulae prelo mandatae sunt. In his Schultensius sub voce אָבַךְ monet: „sciatur, בּוּךְ et אָבַךְ unius esse originis et potestatis apud Arabes, *in spissitate per convolutionem.* Vertendum igitur, et dense *convolvuntur elatione fumi.* Metaphora desumta a densis fumi-voluminibus, ex vasto incendio submissis in coelum, totumque aëra obscurantibus."

18. בְּעֶבְרַת יְהוָה צְבָאוֹת נֶעְתַּם אָרֶץ *In excandescentia,* s. *furore Jova,* Domini *agminum* (cf. I, 24.), *combusta,* exusta *est terra.* Nam ἅπαξ λεγόμενον עָתַם explicandum ex Arabico عَتَمَ, *aestus ingens et suffocans.* Cf. Joel I, 12. 19. 20. Amos VII, 4. Recte Chaldaeus et Graecus vertunt, *adusta est* (חֲרוּבַת, συγκεκαύεται), Syrus ܐܬܙܝܥܬ, *contremiscit,* eodemque modo Vulgatus, *conturbata est terra.* Videntur sensum hariolati esse ex orationis nexu. Alii ut Michaelis et Lowthus: *obscurata est,* collato Arab. عَتَمَ, *obscurus fuit,* unde عَتَمَة, *tenebrae nocturnae.* Quum נֶעְתַּם sit tertia persona singularis *masculini generis,* et אֶרֶץ nomen *generis feminei;* Michaelis in *Biblioth. Orient.* T. XIV. p. 136. efferendum existimat נַעְתָּם, quod esset nomen ex

Parti-

Participio Niphal formatum. Mihi tamen non opus videtur, lectionem receptam ſollicitare. Erant enim perſonae verborum, eodem modo, quo nomina et pronomina, olim *generis communis;* cujus archaismi varia in V. T. deprehenduntur veſtigia; veluti 1 Paral. II, 48. פִּלֶגֶשׁ כָּלֵב מַעֲכָה יָלַד שֶׁבֶר; 1 Sam. XXV, 27. בְּרָכָה אֲשֶׁר־הֵבִיא שִׁפְחָתְךָ; Job. XXI, 10. שׁוֹרוֹ עִבַּר וְלֹא יְגַעֵל (*vacca ejus concipit, nec reſpuit ſemen*). אִישׁ אֶל־אָחִיו לֹא יַחְמֹלוּ *Alter alteri non parcunt,* ſ. clementia utuntur, 1 Sam. XV, 3. Deſcribuntur diſſidia interna, bella civilia. Sic Hoſeas quoque VII, 7. *Omnes illi calent ut fornax, et comedent judices ſuos; omnes reges illorum ceciderunt,* ſcil. mutuis diſſidiis et factionibus. Vid. 1 Reg. XV, 29. XVI, 11 — 18. 2 Reg. IX, 30. ſeqq. X, 6. ſeqq. XI, 1. ſeqq. Illuſtrat noſter, quae hic dixerat, Verſu ſequenti, pingens imaginem vivam infelicium illorum temporum.

19. וַיִּגְזֹר — וְלֹא שָׂבֵעוּ *Et licet* unus alterum (Vs. 18.) *exſciderit* (Ezech. XXXVII, 11. Habac. III, 17. Thren. III, 54.) *ad dextram, eſurit* tamen adhuc, *et* alterius ſanguinem ſitit, *et* licet *devoret* unus alterum *ad ſiniſtram, non* tamen *exſatiantur.* יִגְזֹר Ludov. de Dieu interpretatur *maſticabit, vorabit,* coll. Arab. جزر, *ſecuit, mactavit, comedit,* ut reſpondeat τῷ אָכַל, membro poſteriori. Interpretes bene multi, inter quos et Grotius, haec verba accipiunt de *fame,* quae calamitatis temporum partem faceret. Aliis vero, rectius haud dubie, ſub his verbis haec ſententia latere videtur, *nullum caedis et furoris interni ſatietatem fore.* Cives ſe mutuo trucidant; familia in familiam conſurgit, absque ulla aut amicitiae aut conſanguinitatis ratione; unusquisque ea ſaevitia in quosvis fertur, qua leo, aut alia fera bellua, quae inter armenta *ad dextram et ſiniſtram* jugulat, neque *ſanguine ſatiatur.* אִישׁ בְּשַׂר־זְרֹעוֹ יֹאכֵלוּ *Unusquisque carnem brachii vorant,* mutuis caedibus et rapinis. Loquutio proverbialis, ut Gal. V, 15. Id propriis verbis enunciatur Verſu ſequenti. זְרֹעַ *Brachium,*

h. l.

h. l. propinquos et necessarios indicat, qui brachii nostri loco reputantur. Respondet רֵעַ in loco parallelo Jerem. XIX, 9. וְאִישׁ בְּשַׂר־רֵעֵהוּ יֹאכֵלוּ, *quisque carnem socii sui comedet.* Sic apud Arabes عَضُد, *brachium*, saepe denotat *adjutorem, socium*, e. c. Coran. Sur. XVIII, 49. Alii proprie haec intelligunt, ut idem hic exprimatur, quod Ovidius dicit *Metamorphos.* Lib. VIII. de Erichthonio, fame impulso:

Ipse suos artus lacero divellere morsu
Coepit, et infelix minuendo corpus alebat.

20. מְנַשֶּׁה אֶת־אֶפְרַיִם וְאֶפְרַיִם אֶת־מְנַשֶּׁה Modo *Menasses* rodit et odit *Ephraimum*, et hic vicissim illum, יַחְדָּו הֵמָּה עַל־יְהוּדָה, modo *conjunctim illi* agunt *contra Judam*; vid. VII, 1. XI, 13. Fratres uterini, discordes inter se, alii hostibus se aggregabant, alii se opponunt.

X, 1. הוֹי הַחֹקְקִים חִקְקֵי־אָוֶן *Vae* illis, *qui statuunt statuta vanitatis*, qui iniqua decernunt in judiciis. Redarguit vates judices et rectores populi iniquos, qui populum premunt et exhauriunt, atque in judiciis publicis jus pervertunt, et pro utilitatis suae rationibus inflectunt ad spoliandos orphanos et viduas; vid. Vs. seq. Verba וּמְכַתְּבִים עָמָל כִּתֵּבוּ (אֲשֶׁר), *et* (vae) *scribis, qui scribunt molestiam*, i. e. id quod aliis creat molestiam, Kimchi, ob Participium et Praeteritum formae Piel (hoc solo loco obviae), ita vertenda praecipit: vae *scribere facientibus*, quod *molestiam scribere faciunt*, i. e. qui scribendum curant sententias injustas, quas dictare solent, ut *judices* designentur.

2. לְהַטּוֹת מִדִּין דַּלִּים *Ut delineare faciant a judicio pauperes*, ut depellant a jure; cf. XXIX, 21. Prov. XVIII, 5. Amos II, 7. Jerem. V, 28., qui torquent judicium, et faciunt, ut pauperes causa cadant. וְלִגְזֹל מִשְׁפַּט עֲנִיֵּי עַמִּי *Ut rapiant jus pauperum populi mei*, ut spolient pauperes jure suo. Ps. XXXV, 10. Prov. XXII, 22. Coh. V, 7.

3. וּמַה־

3. וּמַה־תַּעֲשׂוּ *Quid facietis!* quomodo vos geretis, ad quem confugietis? לְיוֹם פְּקֻדָּה *Die vindictae.* LXX: Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, cf. 1 Petr. II, 12. פָּקַד *Visitavit*, modo in *bonam* (ut Genes. XXI, 1.), modo in *malam* partem sumitur, ut hic, ubi Deus *visitaturus* dicitur *peccata, scelera*, h. e. ea pro merito puniturus, metaphora desumta a patre familias, qui subinde servorum operas inspicit, et si qui eorum deliquerint, de malefactis cognoscit, et in meritos animadvertit. Cf. Jerem. XXIII, 12. XLVI, 21. Hos. IX, 7. וּלְשׁוֹאָה מִמֶּרְחָק תָּבוֹא *Et devastatione, quae e longinquo*, i. e. e regione propinqua, ab Assyria, veniet? לְשׁוֹאָה pro לְיוֹם שׁוֹאָה, et ante מִמֶּרְחָק est subaudiendum אֲשֶׁר, ut saepe. וְאָנָה תַעַזְבוּ כְּבוֹדְכֶם *Et ubi relinquetis gloriam vestram*, i. e. opes et divitias vestras, ob quas gloriari soletis? כָּבוֹד interpretes nonnulli intelligunt de *proceribus* et *nobilibus populi*, qua significatione ea vox saepe occurrit, ut infra Vs. 16. et supra V, 13., vertuntque: *ubi relinquetis proceres vestros, quo se proripient nobiles vestri?* Principes enim et magistratus, ait Forerius, plerumque evadere solent ex proelio, et ad loca tuta, natura et arte munita confugere, aut etiam auxilia ab amicis regibus petere, quibus amissam provinciam rursus recipiant: quando autem ipsi quoque principes in potestatem hostium veniunt, actum est de regno. Verum simplicius, כָּבוֹד eo, quo nos, sensu capere, quo et ab Hosea IX, 11. et a nostro infra XVII, 4. capitur. Verbum עָזַב in hoc contextu idem valet, quod, *cui committere depositum*, ut Job. XXXIX, 14.

4. בִּלְתִּי כָרַע תַּחַת אַסִּיר וְתַחַת הֲרוּגִים יִפֹּלוּ] Magna interpretum discrepantia in horum verborum explicatione, maxime ob vocabulum בִּלְתִּי. Sumi enim id potest duplici modo: *vel* ut י ultima vocis littera sit Jod mere *paragogicum* et (ut loquuntur Grammatici) *terminativum*; et tunc nullam in significatione potestatem habet; *vel*, ut Jod sit *affixum relativum, praeter me*, ut Hos. XIII, 4. וֵאלֹהִים זוּלָתִי לֹא תֵדָע וּמוֹשִׁיעַ אַיִן בִּלְתִּי, *et Deum praeter me non nosti;*

nosti; quia servans est nemo, praeter me. 1) Qui בִּלְתִּי priore modo accipiunt, iterum variant. a) *Alii* enim id (cum Vulgata) vertunt: *ne*, et hunc Versum conjungunt cum praecedente. Sic Forerius: quo se praeripient principes tui (cf. not. ad Vs. anteced.), *ne tanquam vincti curventur, et tanquam interfecti cadant.* Dathius: *ne ad mortem abripiamini et inter alios occisos trucidemini?* Neque tamen idoneis exemplis probari potest, בִּלְתִּי *ne* valere. b) *Alii* בִּלְתִּי reddunt *nisi: nisi curvabuntur (curvabitur) tanquam vincti; cadent tanquam interfecti*, i. e. qui non captivi abducentur, interficientur; partim captivi abducentur, partim occidentur. Ita Syrus: ܕܠܐ ܬܬܟܦܘܢ ܬܚܝܬ ܐܣܝܪܐ ܬܚܝܬ ܩܛܝܠܐ ܬܦܠܘܢ *qui non incurvabimini sub vinctis, sub occisis cadetis.* Similiter Ludov. de Dieu, qui בִּלְתִּי vertit *praeter*, ut Genes. XLIII, 3. Dan. XI, 18., et ante כָּרַע statuit ellipsin pronominis אֲשֶׁר, Hebraeis usitatissimam, ut verba ita sint reddenda: *praeter eum, qui incurvabitur sub vinctis etiam sub occisis cadent*, h. e. non tantum captivi abducentur, sed praeter eos etiam alii occidentur. Quae quidem interpretatio reliquis omnibus praeferenda fuerit, nisi quod תַּחַת אַסִּיר וְתַחַת הֲרוּגִים cum Gesenio *loco vincti, loco occisorum*, i. e. tanquam vincti, tanquam occisi interpretemur. 2) Qui בִּלְתִּי reddunt *praeter me*, ii hunc locum interpretari solent ita: (quandoquidem) *absque* sive *praeter me* (i. e. meo denudatus auxilio), *incurvabitur* omnis *inter vinctos, aut inter caesos cadet.* Sic Vitringa, quem sequuntur Lowthus, Cubius, alii. J. D. Michaelis בִּלְתִּי reddit quidem *praeter me*, sed id refert ad Vs. 3., hoc sensu: *ad quem fugietis auxilium petentes, cui relinquetis* (servandas) *divitias vestras, praeter me?* Verum huic interpretationi obstare videtur, quod nec in iis quae antecedunt, nec in iis, quae sequuntur, *Jovae* loquentis vestigium apparet. J. F. Schelling in *Animadverss. philologg.* p. 14. voculam בִּלְתִּי h. l. eandem vim, quam Latinorum *nisi vero*, habere arbitratur (ut Genes. XX, 26.

XLIII,

XLIII, 3. XLVII, 18. Exod. XXII, 20.), cum in oratione gravi ei, quod dictum eſt, continuo ſubjungitur aliquid, quod multo majus eſt, atque illud, ſi non omnino tollit, certe elevat. Ut igitur vates poſtquam Vs. 3. dixiſſet, non habituros eſſe eos, qui vindictam divinam ſint experturi, ad quem confugiant, aut ubi ſuas divitias deponant, ſubjungat ſtatim per correctionem quaſi: *niſi vero potius* quisque *ſub vinctorum numero ſe ſubmittere* neceſſum habebit, aut in *caeſis occumbent omnes.* כָּרַע proprie talem denotat *curvationem*, qua *pectus incurvatur ſuper genubus* (vid. *Schultenſium* ad Job. IV, 4.), ut ſi leaena ſatura in antro cubat, Geneſ. XLIX, 9. Hinc uſurpatur de animalibus, *incurvantibus* ſe in aqua bibendi cauſſa (Arab. كرع في الماء *genua poſuit, incurvavit ſe in aqua*), Jud. VII, 5. 6. Eleganter igitur hoc verbum hic ponitur de *vinctis captivis*, qui *incurvantur*, quando compedibus vinciuntur et cippis includuntur pedes eorum, ut in terra jacere vel ſedere cogantur. Non eſt opus, ut cum Vitringa et Eb. Scheidio in *Specim. Obſervatt. ad quaedam V. T. loca*, Groning. 1763. §. 3. h. l. cogitemus de lignis curvis, quae inſtar jugi captivorum collis imponebantur. כָּרַע *Incurvabit ſe*, ſcil. quisque veſtrum, imperſonaliter, ut קָרָא, *vocavit* quisque, Geneſ. XVI, 14. אָמַר, *dixit* quisque, 1 Sam. XXXIII, 22. coll. 1 Sam. IX, 9. תַּחַת *loco, pro*, vincto, occiſo, i. e. ſtatu et conditione vinoti, inſtar vincti, occiſi. Alii: *in loco vinctorum* h. e. carcere, et, *in loco occiſorum*, i. e. in campo proelii. Ludov. de Dieu תַּחַת hic reddit *infra, deorſum.*, ut Geneſ. XLIX, 25. *benedicet tibi* בִּרְכֹת תְּהוֹם רֹבֶצֶת תָּחַת *benedictionibus abyſſi jacentis infra* ſ. *deorſum.* Quod denique ſingularis כָּרַע, et pluralis יִפְּלוּ in eadem oratione alternant, in ſtilo hebraico, maxime poetico, frequentiſſimum. Vid. Storrii *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 413.

Cap. IX, 7. *Verbum misit Dominus in Jacobitas, ceciditque inter Israelitas,*

8. *Quod experientur universus Ephraimitarum populus, et Samaritani, qui superbe elatoque animo ita dictitant:*

9. *Lateritia ceciderunt, quadrato lapide aedificabimus; sycomori succisae sunt, cedros reponemus.*

10. *Enimvero efferet Jova Rezinis hostes adversus illos, eorumque hostes armabit,*

11. *Ut a fronte Syri, a tergo Palaestini Israelitas toto ore devorent. Ne sic quidem sedata illius ira, quin habeat adhuc porrectam manum.*

12. *Non redit populus ad eum qui ipsum caedit, nec requirunt Jovam, agminum Deum.*

13. *Ideo rescindet Jova ex Israelitis caput et caudam, ramos et juncos uno die.*

14. *Caput senes sunt et auctoritate praediti; cauda autem vates, qui falsa docent.*

15. *Populi istius gubernatores sunt deceptores, qui te dirigunt, absorbent.*

16. *Propterea ejus neque juvenibus delectatur Dominus, neque pupillorum et viduarum miseretur, quandoquidem universi impuri sunt et facinorosi omnesque ore flagitiose loquuntur. Ne sic quidem pacata ejus ira, quin habeat adhuc porrectam manum.*

17. *Nam ardens quasi impietatis incendium vepres virgultaque absumet, et incensa silvae densitate fumus in altum sese evolvet.*

18. *Jovae indignatione exusta est terra, suntque homines quasi fomes incendii, nec parcunt alii aliis.*

19. *Caedunt ad dextram et esuriunt, devorant ad sinistram nec satiantur, sui ipsorum brachii carnem vorant.*

20.

20. *Manasse Ephraimum, Ephraimus Manassen, atque hi una Judam adoriuntur. Ne sic quidem sedata illius ira, quin habeat adhuc porrectam manum.*

Cap. X, 1. *Vae, qui decreta statuunt iniqua, scribendaque dictant facinorosa,*

2. *Ad tenuium evertendas causas eripiendumque jus inopibus mei populi, quo viduas habeant praedae, pupillosque diripiant.*

3. *Quid facietis poenarum venturaeque procul vastitatis tempore? Ad quem perfugietis ad auxilium? aut ubi vestram relinquetis nobilitatem?*

4. *Qui non vincti incurvantur, caesi occumbent. Ne sic quidem sedata illius ira, quin habeat adhuc porrectam manum.*

VIII.

Cap. X, 5. — XII. 6.

Argumentum.

Prior Capitis X. pars (Vs. 5 — 27.) continet declamationem in regem Assyriae. Minatur vates gravissimas calamitates, quibus Jova deprimere decreverat fastum et arrogantiam potentissimorum illorum Orientis principum, qui, postquam Syros cum Ephraimitis aliosque reges minores devicissent, cogitabant de invadenda Judaea, expugnandis Hierosolymis, et republica sacrisque hujus populi, ad exemplum aliarum a se domitarum gentium, exscindendis. Sed horum principum aliquis dum in eo erit, ut efficiat, quod sibi proposuerat animo, ab ipsa Jovae manu, absque ope humana corripietur, prosternetur, et maxima affectus clade liberam relinquet rempublicam Israeliticam. Cui promissioni ut eo majorem addat vim, rursus ad calamitates redit, quae populo Israelitico ab Assyriis imminent. Hostis adest, multos sternit, sed non penitus exstirpat gentem Judaeam. Subito enim a Jova perditur (Vss. 28 — 34.). Hostium Israelitici nominis stragi et excidio succedet aurea aetas, rege aliquo e gente Davidica auspice. In quorum felicissimorum temporum descriptione vates ita versatur, ut primum depingat regem, omni virtute regia instructum (Vs. 1 — 5.), deinde altam, quae illo imperante regnabit, et inconcussam pacem (Vs. 6 — 9.), tum regii nominis celebritatem summam (Vs. 10.), restitutos in patriam exules (Vs. 11. 12.); finitum

triste

triste inter Judaeos et Israelitas dissidium (Vs. 13.), victorias denique de gentibus vicinis amplissimas (Vs. 14.). In qua seculi aurei descriptione vates artificio egregio imaginibus utitur ex antiquissima populi Israelitici historia petitis, et huic genti plane propriis. Clauditur hymno, quo Hebraei soluti et in libertatem vindicati divina praedicant beneficia (Cap. XII.).

Carmen hoc ad eandem (Ahasi) aetatem, qua carmina superiora edita fuerant, esse referendum, VITRINGA censet hac potissimum ex causa, quod in eo haud pauca iis, quae in antecedentibus dicta fuere, similia deprehendantur; veluti si conferas Vs. 24. 25. 26. Capitis decimi cum Cap. VIII. Vs. 8. 9. 10.; porro Cap. X. Vs. 6. cum Cap. VIII, 1. 4.; et Cap. X, 27. cum Cap. IX, 3. Verum ex unius aut alterius vocis et loquutionis similitudine, quae in duobus carminibus deprehenditur, non sequitur, ea uno eodemque tempore edita esse. Samariam hoc vaticinio edito jam fuisse excisam, aperte indicatur Vs. 11., ubi non quidem propheta (ut dici possit, ex styli prophetici consuetudine praeteritum tempus hic adhiberi loco futuri), sed rex Assyrius ipse potentiam suam in expugnatione Samariae demonstratam jactans, et ex ea superbiens, inquit: *annon sicut feci Samariae et vanis illius diis, sic facere licebit Hierosolymis eorumque idolis?* quae verba arguunt, de ea Samariae expugnatione esse sermonem, qua Israelitae in captivitatem fuere abducti, idolis illorum destructis; ex cujus expeditionis successu Assyrius majora adhuc ausurus, idem excidium intentabat Hierosolymis et templo Jovae. Samaria vero expugnata est anno Hiskiae sexto, vid. 2 Reg. XVIII, 9. 10. Haud longo post tempore, cum illius ruina adhuc in recenti memoria esset, et Judaei eandem ab Assyriis calamitatem sibi metuerent, videtur hoc vaticinium editum, quo suorum animos spe divini auxilii vates erigit. Sententiae eorum, qui hoc carmen ad id tempus referunt, quod proxime praecessit reditum Assyriorum ex Aegypto, Sanheribo duce, circa

finem

finem anni Hiskiae decimi quarti, quibus et nos olim accessimus, Gesenius vere monet obstare descriptionem adventantis contra Judaeam Assyriorum exercitus (Vss. 28. seqq.) ab aquilone, non ex meridie, vid. not. ad illum Versum.

Postremam vaticinii partem inde a Versu 11. Cap. XI. usque ad Capitis XII. finem suspicabar olim non esse Jesajae, sed additam ab eo, qui plura vaticinia antiquiora in hunc librum congessit, ob argumenti similitudinem. Serius enim Jesajano tempus arguere videbantur, quae XI, 11. 12. 15. 16. de reducendis Hebraeis exsulibus non solum ex Aegypto et Assyria, verum et ex Elamo et Sineare, Chaldaici regni regionibus, atque ex insulis et oris Graecis leguntur. Sed re diligentius perpensa intellexi, illa a Jesajano aevo minime esse aliena, quum jam tunc multi Hebraeorum in bellis capti et ut servi venditi per terras illas dispersi esse potuerint. Ita Graecis venditos esse a Phoeniciis Judaeos et Hierosolymitanos, queritur Joel, Jesaja aetate paulo prior, IV, 6. (al. III, 11.). Elam et Sinear vero Jesajae tempore Assyriaco imperio suberant. Alia ad vindicandam Jesajae posteriorem hujus carminis partem attulerunt Beckhaus in libro *über die Integrität der prophetischen Schriften*. p. 77. seqq., et Gesenius in Commentar. P. I. p. 389. sequ.

Cap. X, 5. שֵׁבֶט אַפִּי *Virga irae meae*, i. e. virga, instrumentum, quo poenas exercebo in populum improbum. זַעַם *Ira spumans*, coll. Arab. زغم, *spumavit*, vid. Schultens ad Proverb. XXIV, 24. Pro וּמַטֶּה־הוּא codd. Kennicott. quinque et tres Rossiani וּמַטֵּהוּ legunt. In verborum constructione et totius Versus interpretatione discrepant. Hieronymus: *Vae Assur: virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* Ita et Forerius, Lodov. de Dieu, Coccejus, alii. Verum in hac interpretatione parallelismus membrorum non observatur; ex quo

τῷ

τῷ שֵׁבֶט אַפִּי respondet וּמַטֶּה־הוּא בְיָדָם זַעְמִי; membrum posterius plenius enunciat sensum prioris. Unde equidem praefero SCHMIDII interpretationem, quam et GESENIUS adoptavit, *vae Assyriis, qui sunt virga irae meae; et baculus, qui est in manibus eorum,* est *baculus indignationis meae.* Subauditur, ut saepius, pronomen relativum; nec minus frequens hoc est, ut nomen prius positum, ut h. l. מַטֶּה, cum repetendum est, omittatur. VITRINGA, quem sequitur J. D. MICHAELIS, sic vertit: *vae Assyrio, qui est virga meae irae, et in quorum manu* qui est *baculus,* est *severitas mea;* sive, *baculus, qui est in manu eorum, est severitas mea,* h. e.: quicquid apud ipsos virium, et imperii et potestatis est, quo usi fuerunt, in populo meo affligendo et caedendo, nullum esset, nisi populus meus meam provocasset *severitatem;* ut adeo populus meus non ab Assyriis, sed *ira* et *severitate mea* percussus esse putandus sit. Minus recte alii vertunt: *et baculo furoris mei, qui est in manu ipsorum;* quod non convenit regulis Grammaticis. Nam vox מַטֵּה si hic acciperetur in statu constructo, proxime jungi debuit voci זַעְמִי, et pro *Segol* positum esset *Zere*, vid. SCHROEDERI *Instit. Lingu. Hebr.* Reg. CVIII. Regem Assyriae, qui hic innuitur, non esse *Nebucadnezarem,* ut interpretes nonnulli voluerunt, sed *Sennacheribum,* patet ex Vs. 9. 11. cf. Argument.

6. [בְּגוֹי חָנֵף אֲשַׁלְּחֶנּוּ] ב hic est *idem* quod עַל, conjunctum cum nomine עַם, membro sequenti, *adversus populum improbum* (sic enim vertendum חָנֵף, vid. not. ad IX, 16.). Utrum *Ephraimitae* an *Judaei* per *populum profanum* intelligantur, interpretes magna diligentia disquirunt. Mihi quidem vates in toto hoc carmine universum populum Israëliticum, tam *Ephraimiticum,* quam *Judaeum* intelligere videtur. Utrumque populum respicit quoque supra Cap. VIII. Vs. 6. et seq. עַל־עַם עֶבְרָתִי אֲצַוֶּנּוּ *Contra gentem furoris mei mandata ei dabo.* עַם עֶבְרָתִי, *populus furoris mei,* i. e. in quem furorem meum effundere, et quem

quem duriter tractare decrevi; cf. דּוֹר עֶבְרָתוֹ *generationem excandeſcentiae ſuae*, Jerem. VII, 29. וּלְשׂוּמוֹ מִרְמָס כְּחֹמֶר חוּצוֹת *Atque ut eum conculcandum faciat inſtar luti platearum.* Hac loquendi formula ſumma reipublicae ſubverſio exprimitur, cf. Mich. VII, 10. Zach. X, 5.

7. וְהוּא לֹא־כֵן יְדַמֶּה *Veruntamen ipſe* Aſſyrius *non ita cogitabit*, ſe inſtrumentum tantummodo eſſe Jovae, in populum improbum poenas exercentis; ſed ſuperbe ſeſe efferet, et quum ad praedam faciendam miſſus ſit, et ad conculcandos atque humiliandos Iſraelitarum ſpiritus; ipſe plus ſibi juris aſſumet, dum ſtatuit illos non ſolum ſpoliare atque deprimere, verum etiam ad internecionem usque delere. Cf. Zachariae I, 15. *Gentibus iſtis, quiete degentibus, vehementer iraſcor; nam cum ego leviter iraſcerer* (Judaeis), *gravius eos afflixerunt, quam ferebat ira mea.* Verbi דָּמָה vera et propria ſignificatio, quae etiam apud Syros obtinet, eſt, *ſimilis fuit.* Hinc *cogitare* notat, ut hic, et Num. XXXIII, 56. Judic. XX, 5. infra XIV, 24., quod ideae noſtrae tanquam imagines rerum ſunt, quas animo concipimus, quaſi, *formare ſimilitudinem in animo.* כִּי לְהַשְׁמִיד בִּלְבָבוֹ *Nam ad perdendum*, ſcil. גּוֹיִם לֹא מְעָט in membro ſequenti, *in corde ſuo*, ſcil. יַחְשֹׁב, ex praecedenti. Scopus ejus eſt, ut ſatiet ambitionem et crudelitatem ſuam.

8. הֲלֹא שָׂרַי יַחְדָּו מְלָכִים *Nonne principes mei omnes reges?* Pertinet id ad majeſtatem et amplitudinem imperii. Poſſunt autem verba duplici ſenſu accipi: vel, ſatrapas, ſive proceres, quos reges Aſſyriae gentibus a ſe devictis impoſuerant, eſſe regia praeditos poteſtate, quemadmodum vetus Perſicum regnum, referente Tabario in den *Fundgruben des Orients* ab Ill. de Hammer editis T. I. p. 3. not., in ſeptem magnas provincias diviſum erat, quarum praefecti regium nomen et diadema gerebant; vel, ſe, ut regem magnum, ſubjectos ſibi habuiſſe minores plures, fiduciarios et tributarios. Solebant enim reges Orientis ob id maxime ſuper-

superbire, quod ipsis imperarent regibus, unde *μεγάλοι βασιλεῖς, reges magni* (quod nomen Sennacheribo tribuitur a Rabsake 2 Reg. XVIII, 19.), et *βασιλεῖς βασιλέων* dicebantur. Cf. Ezech. XXVI, 7. et ad eum loc. not. Dan. II, 37. Esr. VII, 12.

9. Sensus est, nullam harum urbium, in quas arma sua converterat, potentiae viribusque ejus potuisse resistere; omnes, unam aeque ac alteram, se sub jugum misisse. Iisdem, quae hic leguntur, verbis Sanheribi legati Hiskiae deditionem suasere, vid. Cap. XXXVI, 19. et 2 Reg. XVIII, 34. כַּלְנוֹ *Ctesiphon*, ad Tigrim ab Oriente, cui ab occidente opposita Seleucia; quae duae urbes postea in unam, communi nomine ܡܕܝܢܬܐ, مدائن, *Madain*, dictam, coaluerunt; vid. not. ad Genes. X, 10. et libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 27. כַּרְכְּמִישׁ ad Euphratem sitam esse, ex Jerem. XLVI, 2. et 2 Paral. XXXV, 20. manifestum. Perquam verisimile, *Cercusium* esse, Arab. قرقيسيا, *Kerkisie*, ad Euphratem, ubi Chaboras in illum influit; in delineationibus d'Anvillanis paulo post gradum latitudinis 35. Cf. Schultensii *Indic. ad vitam Saladini* sub *Carkisia*, Michaelis *Supplemm.* p. 1352. seq. et libr. nostr. laudat. l. l. p. 151. כְּאַרְפָּד] Interpretes haud pauci, inter quos et Doederlein, nostrum אַרְפָּד eundem locum esse opinantur, ac אַרְוָד, Genes. X, 18., i. e. *Aradum*, cf. not. ad loc. citat.; Vau, ut volunt, in Pe immutato. Sed vix unum certum exemplum permutationis ו et פ ex toto adferri Hebraismo poterit, et Vau quiescens in אַרְוָד, Vau quod omitti salva voce potest, quia sonum vocalem habet, cum Pe permutari, plane insolens. Accedit, quod nemo veterum אַרְפָּד *Aradum* vertit, aut iisdem litteris, quibus אַרְוָד, scripsit; Syrus vero, cui nomen urbis et regni Syriaci non plane ignotum fuisse credideris, ܪܦܕ, *Refod*, habet, non descriptis litteris Hebraicis, sed illis po-

poſitis, quibus urbs in Syria noſcebatur. Videtur *Arpada*, clara Syriae urbs, fuiſſe, vid. 2 Reg. XVIII, 34. XIX, 13. Jerem. XLIX, 23. Hodie vero nullum ejus veſtigium ſupereſt. Vid. J. D. Michaelis *Spicileg. Geogr. Hebr. ext.* P. II. p. 45. De חֲמָת vid. ad Geneſ. X, 18. et libr. noſtr. ſupra memorat. Vol. I. P. II. p. 254. 271. אִם־לֹא כְּדַמֶּשֶׂק שֹׁמְרוֹן *Nonne ſicut Damaſcus, ita Samaria* etiam facile expugnabitur?

10. כַּאֲשֶׁר — הָאֱלִיל] Ubi מָצָא cum ל conjungitur, ut hic, ſignificatio ejus videtur eſſe eadem cum Syriaco ܡܛܐ, *pertingere*, unde *invenire* deinde dictum, quod proprie eſt, *venire in rem quaeſitam.* Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 1537. et Storrii *Obſervatt.* p. 272. not. מַמְלְכֹת הָאֱלִיל *Regna idoli*, i. e. regna quae idola colebant; quae conſecrata erant diis, diverſis a numine Aſſyriorum. Oratio eſt figurata, *qua pro eo, quod requirebat τὸ πρέπον perſonae, ſubſtituitur, quod requirit veritas rei*, ut recte monet Coccejus; ſicuti *Beth-El* Hoſ. IV, 15. dicitur בֵּית אָוֶן, Aſſyrius rex de *diis praeſidibus* horum populorum loquitur pro praejudicio ſuo tanquam de *Diis*, ut patet ex 2 Reg. XIX, 12. 13.; ſed tanquam de Diis, qui eſſent potentia inferiores Diis tutelaribus imperii Aſſyriaci. At Propheta orationem convertit ad rei veritatem, et *idola* hic vocat הָאֱלִיל *nihilum.* Poterat dicere *regna* אֱלִילִים *Deorum non Deorum*; ſed efficacius uſus eſt ſingulari, ad imitationem *neutrius collectivi*, ut apud Job. XIII, 4. רֹפְאֵי אֱלִל *medici nihili.* Eſt autem אֱלִיל ab אַל, *negandi* particula, et proprie valet *id quod omnino nihil eſt*, ex gemino אַל: verum eo ſumtum ſenſu, quo hic occurrit, eleganter involvit peculiarem ſignificationis vim, ſecundum quam אֱלִיל eſt אֵל־אַל, vel לֹא־אֵל *non Deus.* Cf. Pſ. XCVI, 5. *Quoniam omnes* אֱלֹהֵי הָעַמִּים *Dii populorum*, אֱלִילִים *Dii, Non dii*, dii nulli. וּפְסִילֵיהֶם מִירוּשָׁלַםִ וּמִשֹּׁמְרוֹן *Et quorum dii ſunt prae Hieroſolymorum et Samariae diis*, fortiores ſunt Diis, qui coluntur Hieroſolymis et Samariae. מ ante יְרוּשָׁלַםִ et שֹׁמְרוֹן

eſt

est comparativum. Hieronymus vero illud מ vertit, *ex; quomodo invenit manus mea regna idolis, sic et simulacra eorum de Jerusalem et de Samaria;* quod ita explicat: „quomodo cetera regna, quae idolorum cultui serviebant, meis subjeci pedibus; sic et Hierosolymam et Samariam, in qua eadem idola sunt, meae subjiciam potestati.“ Eodem fere modo Paraphrastes Chaldaeus. Ceterum verba nostra elliptice posita sunt pro: פְּסִילֵיהֶם טוֹבִים מִפְּסִילֵי יְרוּשָׁלַםִ וְשֹׁמְרוֹן; שֹׁמְרוֹן et יְרוּשָׁלַםִ in Genitivo posita sunt, nominibus regentibus omissis, de qua constructione vid. Storrii *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 280. not. Praeterea quisque videt, orationem in hoc Versu esse ἀνταπόδοτον, i. e. deesse partem sententiae posteriorem, τὴν ἀπόδοσιν. Integra esse debuit: *quemadmodum prehendit manus mea regna illa idolorum, quorum sculptilia praestantiora sunt sculptilibus Hierosolymorum et Samariae: sic facile prehendet Hierosolyma.* Nec tamen cum Koppio suspicari velim, in textu quidquam omissum esse. Innuit potius ejusmodi ellipsis in loquente aut scribente concitationem et ardorem animi. Alexandrini inde a Versu octavo paraphrasin magis quam versionem exhibent.

12. Nunc vates Assyriis poenas minatur, quas Deus ob eorum arrogantiam et fastum ipsis sit inflicturus. וְהָיָה כִּי יְבַצַּע *Verum fiet cum absolverit.* Cum בָּצַע, Arab. بَضَعَ, Hebraeis significet *abrumpere, rescindere;* plerique interpretes *consumendi* significationem, quam verbum illud hic habet, ex metaphora, sumta a textore, qui tela ad finem perducta, *tramam* vel *stamen resecat* aut *abrumpit*, accepisse putant. Cappellus tamen ad h. l. et Michaelis in *Supplemm.* p. 207. conferunt Arab. بَصَعَ, *collegit, comportavit* (unde Habac. II, 9. בֹּצֵעַ בֶּצַע *colligens lucrum*). A colligendo Arabes faciunt أَبْصَعُ, *omnes, universi;* hinc jam בִּצַּע erit *absolvere*, omnibus tanquam collectis *perficere*, et finire. Sensus est: cum Jova Judaeos, quantum

satis

satis erit, castigaverit. Nam מַעֲשֵׂה יְהוָה *opus Jovae* sunt poenae ab ipso infligendae, ut supra V, 12. אֶפְקֹד עַל־פְּרִי־גֹדֶל לְבַב מֶלֶךְ־אַשּׁוּר *Visitabo super fructum magnitudinis cordis regis Assur*, i. e. animadvertam in cogitata ac verba ejus insolentia, puniam eum propter arrogantiam. *Fructus magnitudinis cordis* sunt ea, quae ex arrogantia cordis et elatione animi ac superbia proveniunt; est enim cor veluti radix cogitationum et actionum nostrarum. In hoc igitur contextu significatur gloriatio et blasphemia regis Assyrii, in antecedentibus descripta. Doederlein: „notanda h. l. infrequens vocis פְּרִי significatio, synonyma τῷ תִּפְאֶרֶת, *superbia*. Nam in origine פָּרָה et פָּאַר conveniunt.“ וְעַל תִּפְאֶרֶת רוּם עֵינָיו] Interpretes nonnulli, ut Kimchi, Vitringa, Doederlein, תִּפְאֶרֶת ex significatione radicis פָּאַר, de qua vid. infra ad Vs. 15., vertunt *gloriationem*, *jactantiam*, ut infra Cap. XX, 5., ubi Aegyptus dicitur תִּפְאֶרֶת, *gloriatio*, sive *argumentum gloriationis* Israelitarum. Qui vero תִּפְאֶרֶת hic eo significatu sumunt, quo saepissime in V. T. occurrit, ii *ornatum elationis oculorum* interpretantur de *venustate* et *gratia*, quam qui sibi placent, et quibus omnia ex votis succedunt, in oculis prae se ferunt. Similiter Schmidius: *ornatus elationis oculorum* est serenatio vultus ex superbia, quam Latini vocant *supercilium*, quia supercilia altius eriguntur, quam alias solent.

13. נְבֻנוֹתִי *Prudens fui*, usus sum magna prudentia. V, 21. 1 Sam. XVI, 8. וְאָסִיר גְּבוּלֹת עַמִּים *Amovi fines populorum*, i. e. vicinorum populorum agros in ditionem meam redegi; nam quae sunt in unius potestate, non indigent amplius finibus aut terminis, quibus a ceteris ejusdem domini agris distinguantur. Alii הֵסִיר reddunt *transferre* (ut Genes. XLVIII, 17.); *finium populorum* autem *translationem* fieri dicunt ab eo, qui ad libitum dominatur, qui miscet regna et dividit praefecturas ad suam utilitatem et libidinem; et habitatores sedes mutare compellit, quo reddat regiones pacatas, et rebellionum ac defectionum

occa-

occaſiones demat. Hunc ſenſum expreſſit quoque Chaldaeus: וְאַגְלֵיתִי עַמְמַיָּא מִמְּדִינָא לִמְדִינָא *et transmigrare feci populos e provincia in provinciam.* וַעֲתִידֹתֵיהֶם שׁוֹשֵׂתִי *Et theſauros eorum*, paratas ab iis opes, *praedabor.* Quod Maſorethae legere jubent, עֲתוּדֹתֵיהֶם, ſignificatione non differt ab eo quod in textu exſtat. Nam formae פָּקִיד et פָּקֻד plerumque in ſignificatione conveniunt, unde et ſaepiſſime in *Kethib* et *Keri* inter ſe permutantur. Exempla collegit Simonis in *Arcano Formarr.* Sect. II. Cap. IV. §. 13. p. 90. 91. עֲתוּדוֹת ſive עֲתִידוֹת vero, ex poteſtate radicis, *paravit* (Proverb. XXIV, 27. coll. Arab. عتد et عتد, *paratus, fuit, adfuit, collegit, repoſuit*), proprie ſunt *res paratae*, hinc *divitiae, theſauri, facultates, opes*, Graecis ἡ οὐσία, τὰ ὑπάρχοντα, coll. Syr. ܥܬܕܐ, *copia.* Ita et Syrus vertit: ܘܩܢܝܢܗܘܢ ܒܙܬ, *et opes eorum diripui.* Idem fortaſſe intellexerunt Alexandrini, qui עֲתִידוֹת ἰσχὺν verterunt. Coccejus: *conſtituta, parata; fixa eorum diruo*, quae populi paraverunt, et exaptaverunt. Gatackerus vertit: *inſtructiſſimos* terminos videlicet *eorum*, i. e. regiones munitiſſimas, *depraedatus ſum.* Ita inter veteres Chaldaeus, וְקִרְוֵי תוּשְׁבַּחְתְּהוֹן בַּזֵּיתִי, *et civitates eorum laudabiles depraedatus ſum.* Quia ab hac ipſa radice עָתַד venit nomen עַתּוּדִים, quod *hircos* et *arietes*, et per translationem *duces* et *gubernatores populi* ſignificat, vid. infra XIV, 9.; idcirco Vulgatus hic *principes* vertit; quaſi legiſſet in maſculino: וְעַתּוּדֵיהֶם. Verbum שׁוֹשֵׂתִי (pro שׁוֹשַׂתִי) ſignificatione convenit cum שָׁסַס, et Hoſ. XIII, 15. de *direptione theſaurorum* uſurpatur. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 138. efferre mallet שׁוֹשַׁתִּי *turbavi*, cf. not. ad Cap. VIII, 5. Quamplures codd. שׁוֹסֵתִי cum ס, ut verbum hoc ſcribi ſolet, multi שׁוֹסֵיתִי, inſerto *Jod*; alii defective שֹׁסֵתִי, ut Biblia Soncinenſia. וְאוֹרִיד כַּאבִּיר יוֹשְׁבִים *Et deſcendere feci*, deturbavi, *ut potentiſſimus ſedentes*; ſcil. in validiſſimis arcibus et munimentis, quibus ſe tutos et inexpugnabiles credebant, ut recte Chaldaeus addit. Vel: in alto honoris et potentiae gradu

gradu constitutos. Prius tamen praeferendum, coll. Obad. Vs. 3. Ad marginem legendum praecipitur כַּבִּיר, *magnus, validus*, Arab. كَبِيرٌ, Job. VIII, 15. XXXIV, 24., infra XVII, 12. XXVIII, 2. Quod vero in textu exstat, כַּאבִּיר, positum pro כְּאַבִּיר, *tanquam fortis*, heros, ex scriptura Syriaca, juxta quam Aleph numquam ante se fert Schva, sed in hujus locum suam vocalem transfert, et in ea quiescit, aut etiam plane occultatur; ut חַטָּאת *peccatum*, pro חַטְּאָת Genes. IV, 7.; מְלָאכָה *opus*, pro מַלְאָכָה Genes. II, 2. Plura exempla vide apud Altingium in *Fundamentt. Punctat. Lingu. Sanct.* §. 163. p. 369., atque in C. B. Michaelis *Lumm. Syriac.* §. IX. in *Sylloge Commentatt. Theologicar.* Vol. I. p. 181.

14. Pulchra similitudine explicat, quanta facilitate regna plurima lustraverit, non tam passibus quam victoriis; ut regna deleverit non operosius, aut longiori mora, quam ova, seu pullos in nido relictos, rusticus colligit. וַתִּמְצָא כַקֵּן יָדִי לְחֵיל הָעַמִּים *Imo invenit*, consequuta est *manus mea tanquam nidum facultates populorum.* De מָצָא cum ל conjuncto vid. supra ad Vs. 10. קֵן, *nidus*, hic ponitur pro pullis avium, qui adhuc nido continentur; ut Deut. XXXII, 11. כְּנֶשֶׁר יָעִיר קִנּוֹ *sicut aquila suscitat nidum suum.* Quum חַיִל proprie significet *fortitudinem;* multi interpretes sub חֵיל עַמִּים h. l. *vires, robur, exercitus populorum* intellexerunt; Clericus *propugnacula, moenia* vertit. Verum parallelismus membrorum (כָּל־הָאָרֶץ) docet, חַיִל hic quoque comprehendere *facultates, opes, divitias,* ut Ps. LXII, 11. Job. XX, 15. 18. XXX, 25. Pro לְחֵיל codices nonnulli habent לְכֹל. וְכֶאֱסֹף בֵּיצִים עֲזֻבוֹת *Sicut colligere ova*, i. e. sicut colliguntur ova *derelicta.* Infinitivus pro Praeterito vel Futuro saepe usurpatur sic, ut *actio* pro suo *objecto*, vel pro *patiente* actionem ponatur, e. c. Prov. XII, 7. הָפוֹךְ רְשָׁעִים *evertere impii*, i. e. evertentur impii; XV, 22. הָפֵר מַחֲשָׁבוֹת *rumpere*, i. e. irrita fient *consilia.*

בֵּיצִים עֲזֻבוֹת *Ova relicta*, a quibus matres abierunt, vel ablatae ſunt. כָּל־הָאָרֶץ *Omnem terram*, omnem populum et bona terrae. וְלֹא הָיָה נֹדֵד כָּנָף *Nec erat motitans alam.* Quemadmodum cum implumes et derelicti pulli capiuntur, non eſt, qui ſtrepat aut pennam moveat; ita civitatibus, ultro Aſſyriae potentiae deditis, aut metu ab habitatore deſertis, non fuit, qui contra victrices copias hiſcere auderet. נֹדֵד כָּנָף Michaelis vertit *diffugiens alis*, praeeuntibus Alexandrinis, ὃς διαφεύξεται, coll. Arab. ندّ, et נדד Aramaeorum, quod *diffugere* denotat. Cf. infra Vs. 31. XVI, 2. 3. Aptius vero haud dubie de *commotione alarum* acceperunt Vulgatus et Syrus, *qui moverat pennam*, ܘܡܪܝܡ ܓܦܐ *qui elevat alam.* Sic idem erit cum נוד (Arab. ناد, *motus, agitatus fuit*, cujus quinta Conjugatio, تنوّد, de *ramorum agitatione* ponitur) Pſ. LVI, 9., ubi de *cordis palpitatione* ponitur. וּפֹצֶה פֶה *Aut aperiens os*, ad ſonum aut querelam edendum. וּמְצַפְצֵף *Aut pipiens*, vid. ſupra VIII, 19. Chaldaeus: וּמְמַלֵּיל מִלָּא, *aut verbum obloquutus.* Hieronymus: „Tantus, inquit, terror fuit fortitudinis meae atque victoriae, ut ne fletum quidem et gemitum victi libere proderent.“

15. Nunc vates graviter reprehendit ſuperbiam atque veſaniam regis Aſſyriae, qui ſibi adſcribebat id, quod divinae virtuti ac beneficio acceptum referre debuiſſet. הֲיִתְפָּאֵר הַגַּרְזֶן עַל הַחֹצֵב בּוֹ *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ea ſecat* lignum aut lapidem? Chaldaeus addit: *dicendo: en! ego ſcidi.* De verbo פָּאַר, quod coll. Arab. فَأَرَ proprie eſt *aeſtuavit, efferbuit* ut bulliendo olla, interprete Geuhario, unde transfertur ad indicandum *faſtum turgentem* et *vanam ſuperbiam*, cf. Exod. VIII, 5. Jud. VII, 2.; vid. Schroederi *Comment. de veſtitu mulier. Hebr.* Cap. VII. §. 5. p. 99. 100. אִם־יִתְגַּדֵּל הַמַּשּׂוֹר עַל־מְנִיפוֹ *Num exaltabit* ſe

ſe ſerra contra moventem eam? dicens: nonne egò ſecui? ut Chaldaeus addit. מַשּׂוֹר nomen hoc ſolo loco obvium eſt ſerra, collato Chaldaico et Syriaco נְסַר, ſecuit, disſecuit (vid. 1 Paral. XX, 3.), indeque מַסְּרָא, ܡܰܣܳܪܳܐ. Arabibus quoque نَشَرَ eſt ſerravit, مِنْشَارٌ, ſerra, quod nomen tam Saadias, quam Arabs in Polyglottis hic poſuerunt. כְּהָנִיף שֵׁבֶט אֶת־מְרִימָיו Ac ſi movere vel agitare vellet virga eos qui ipſam tollunt; de tollenda virga verbi רוּם forma Hiphil dicitur et Exod. XIV, 16. Michaelis in Supplemm. p. 1615. verbo נוּף collato Syriaco ܢܳܦ, incurvatus, inclinatus eſt, ut Pſ. LXVIII, 10. גֶּשֶׁם נְדָבוֹת תָּנִיף עֲלֵיהֶם pluviam volentem, i. e. largam, demittes ſuper illos, verba noſtra ſic reddit: ac ſi baculus demitteret, qui ipſum tollunt, i. e. ac ſi baculus putaret, ſe hominem attollere, a quo demittitur, ſe vivere, ſe ferire, non hominem, a quo geritur. Codices plures (Kennicott. quadraginta duo, Roſſ. triginta quatuor) multique libri impreſſi pro אֶת־מְרִימָיו exhibent praemiſſa copula וְאֶת־מְרִימָיו, ex qua lectione Jarchi haec verba ſic interpretatur: quaſi agitaret virga ſe ipſam, et manum attollentis ipſam. Tres codices Kennicottiani, et duo Roſſiani habent עַל־מְרִימָיו, contra extollentes ipſam. Si hanc admittas lectionem, verbum נוף hic ea ſignificatione ſumi poſſit, quam نوف habet apud Arabes, elata fuit res, eminuit, ſive أناف imminuit rei, eminuit ſuper eam. Vertendum hinc erit: quaſi efferret ſeſe virga contra eos, qui eam attollunt. Placet id quoque Hubigantio, ut reſpondeat τῷ עַל הַחֹצֵב בּוֹ membro priori. Ita Vulgatus: quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe; et Syrus: ܐܘ ܡܫܬܥܠܝܐ ܚܘܛܪܐ ܥܠ ܡܢ ܕܡܪܝܡ ܠܗ, aut ſuperbiret virga contra eum, qui attollit. כְּהָרִים מַטֶּה לֹא־עֵץ Quaſi virga elevaret non lignum, i. e. eum, qui nihil minus eſt quam lignum, qui ſe movere ſuapte vi poteſt, i. e. hominem. לֹא haud raro conſtruitur cum nomine

ad

ad rem eam exaggerandam et augendam; v. c. לֹא אֱלֹהִים, *non Deus*, h. e. in quo nihil minus est, quam divini aliquid; cf. Job. XXVI, 2. 3. Amos VI, 13. Hos. XI, 9. Jesaj. XXXI, 8. LV, 2. LXX: *Ὡς ἐὰν τις ἄρῃ ῥάβδον ἢ ξύλον.* Vulgatus: *et exaltetur baculus, qui utique lignum est;* Chaldaeus: כְּאָרְמָא חוּטְרָא לְמִמְחֵי לָא חוּטְרָא מָחֵי אֱלָהֵן מַן דְּמָחֵי בֵּיהּ, *quando elevatur virga ad percutiendum, non virga percutit, sed ille, qui ea percutit.* Syrus haec verba plane praetermisit. Saadias: وَرَفْعُ ٱلْعَصَاةِ لَيْسَ مِنْهُ *et* (quasi) *sublatio baculi non proficisceretur ab eo, qui illum sustulit* (مِنْهُ pro مِنْ مَنْ رَفَعَهَا). Sive, uti Gesenius vertit: *quum tamen* (ut و LIII, 7.) *sublatio baculi non ab ipso fiat.* Versus integri sensum recte ita explicat Hieronymus: „Contra Sennacherib, sive, ut multi putant, Nabuchodonosor, gloriantem atque dicentem: *In fortitudine manus meae feci, et in sapientia mea intellexi,* et reliqua, sanctus propheta respondit: O stultissime mortalium, Dei iram tuam putas esse sapientiam, et illius jussionem ad tuam refers fortitudinem? Quomodo si securis glorietur contra eum, qui securim tenet, et serra contra illum, a quo trahitur, et dicant cuncta opera, quae per securim et serram fiunt, sua arte perfecta. Et si elevet quispiam virgam, et exaltet baculum ad percutiendum quem voluerit, et ipsa virga et baculus glorientur, et dicant a se percussum esse, qui percussus est: sic et tu quum organum Dei fueris voluntatis, erigeris in superbiam, et cuncta quae geruntur tuae gloriaris esse virtutis."

16. Subjicitur poena arrogantiae regis Assyriorum, variis imaginibus expressa. Et primo quidem, dum floreret, et victor aliorum regna invaderet, vates eum comparat corpori pingui, cui scilicet integrae sunt vires, quas solet amittere, dum in maciem et tenuitatem, ex aliquo morbo aut inedia devenit. הָאָדוֹן *Dominus ille*, hic non sine em-

phasi positum videtur, ut significetur, successus omnes et victorias Assyrii a Jova fuisse. Sub מִשְׁמַנִּים plures intelligunt *principes* vel *robustos*, ut Jud. III, 29. (כָּל־שָׁמֵן וְכָל־אִישׁ חָיִל), Ps. LXXVIII, 31., ubi ipsa nostra vox *juvenibus electis*, בַּחוּרִים; respondet. DOEDERLEIN voce מִשְׁמַנִּים *opes* et *divitias* indicari putat. Sed malim hic intelligi vastum et numerosum ejus exercitum, qui animali pinguissimo confertur. רָזוֹן i. q. רָזִי infra XXIV, 16., *macies*, coll. Arab. رزي, *extenuatus, enervatus, tritus fuit morbo aut labore.* „Maciei significatio, quam huic verbo inesse negavit CASTELLUS *Lex. Heptagl.* p. 3557., manifesta est ex Num. XIII, 20. et Ezech. XXXIV, 20. Quod hic ad *pestem*, in exercitum Assyriorum missam, respici existimant, atque Vs. sequente continuari, videtur longius petitum. Usurpatur quidem Ps. CVI, 15. רָזוֹן de *morbo*, magnam hominum copiam brevi corripiente: sed hoc loco *macies* continuat tropum; quia principes seu exercitum Assyriorum vocavit *pingues*, ideo interitum eorum dicit *maciem*. וְתַחַת כְּבֹדוֹ יֵקַד יְקֹד כִּיקוֹד אֵשׁ *Subter gloriam ejus ardebit ardor sicut ardor ignis.* Altera metaphora est petita ab *igne*, exercitum egregie instructum brevi tempore devoraturo et consumturo. תַּחַת כְּבֹדוֹ quidam vertunt *loco gloriae ejus*, i. e. in loco, in quo gloriabatur Assyrius. Rectius videtur reddi *super gloriam ejus*, quia comparatio desumta est ab igne, qui aridae materiae (Vs. 17.), aut saltui (Vs. 18.) subjicitur. כָּבוֹד hic nec *speciem egregiam* (ut supra Cap. III, 25.), nec *vestes pretiosas* Assyriorum (coll. Ezech. XXIII, 12., ubi Assyrii לְבֻשֵׁי מִכְלוֹל, *egregie vestiti* dicuntur), ut GATAKERUS voluit, sed *exercitum* Assyriorum bene instructum notat, sicuti supra Cap. VIII, 7., ubi vid. not. Eo significatu כָּבוֹד hic sumendum esse, docet membrorum parallelismus; respondet enim haec vox τοῖς מִשְׁמַנִּים membro priori. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1198. pro כָּבוֹד legendum censet כָּבֵד, *jecur.* „De peste," inquit, „Assyriis immissa," sermo esse videtur, pergiturque (sed alias vocales adscribam), וְתַחַת כְּבֵדוֹ יֵקַד,

et

et sub jocore (aut si malis), *felle*, *ejus exardescet*, *ut incendium ignis* etc. Pestilentium morborum haud paucorum sedes jecur et fel, ex medicorum disciplina." Verum de *peste* sermonem hic esse, frustra sumi, jam observavimus. Nec Michaelis ipse dissimulat, XXXIII codices Kennicottianos, cum editione Stephani anni 1539. et Nisselii, כבוד cum Vau legere, cui lectioni sua interpretatio aptari nequeat. יֵקַד hic est formae *Kal*, ut יֵרֵד, *descendet*, Ps. XVIII, 10.; יְקֹד vero non videtur esse forma *Infinitivi*, *ardebit ardendo*, ut Buxtorfius et Coccejus opinantur, sed nomen formae כְּפוֹר 1 Chron. XXVIII, 17.

17. Quoniam ignis et combustionis mentionem fecerat, hac comparatione pergit, et Assyrios facit materiam ignis, spinas, vepres, sylvam, arbores; Deum vero sistit ut eum, qui hanc materiam incendit. Quemadmodum *Sanctus Israelis* ejus populi Deus est, sic idem *lumen* hic vocatur *Israelis*, qui et alio loco (Deut. IX, 3.) dicitur *ignis consumens*. Is igitur, qui populi sui protector est, et vindex, in Assyriorum castris ita vehementer grassabitur, ut ad unum pene omnes conficiat.

18. כְּבוֹד יַעְרוֹ וְכַרְמִלּוֹ *Gloriam sylvae ejus et Carmeli ejus.* Conferuntur Assyrii cum sylva et monte, arbustis denso; quibus pulchritudo et amoenitas omnis detrahuntur, si subitum incendium virorem omnem depascitur. *Sylvam* metaphorice vocat constipationem armatorum militum, qui cristis, galeis et hastis densissimam sylvam imitantur. כַּרְמֶל Hieronymus hic pro nomine proprio montis notissimi habet. „Quomodo saltus," inquit, „et Carmelus, qui est mons in Galilaea nemoribus consitus, supposito igne velociter concrematur; sic ab anima usque ad carnem omnis Assyrii gloria consumetur." Placet haec sententia Gatakero quoque, qui in *Annotatt. Anglicc.* dicit: „forsan his verbis respicit Deus gloriationes illas Assyrii, Esaj. XXXVII, 24., de invadendis Libano et Carmel, montibus Israeliticis; q. d., imo vero tui Libanus et Carmel ante excidentur." Aptius vero

haud dubie כַּרְמֶל hic pro *sylva speciosa* et *amoena* accipitur. Scilicet mons *Carmel* olivetis et sylvis densissimis vestitus est. Vide geographos et itineraria, Hieronymumque, qui ad Jerem. IV, 26. *ipse*, inquit, *Carmelus, qui mari imminet magno, oleis consitus et arbustis, vineisque condensus*; cf. Schulzii *Leitungen des Höchsten.* T. V. p. 186. et *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 102. Nomen proprium montis amoenissimi ac pulcherrimi, de omni monte amoeno, sylvis laetissimo, ponitur, eodem modo quo apud scriptores barbaros *Thessala tempe*, pro *omni regione amoena.* Cf. infra XVI, 10. Jerem. II, 5. 2 Reg. XIX, 23. et Michaelis *Supplemm.* p. 1358. seq. מִנֶּפֶשׁ וְעַד־בָּשָׂר *Ab anima ad carnem usque*, i. e. penitus, dictio proverbialis. Non satis quidem haec convenit montis et sylvae arboribus et virgultis; verum est sermo de hominibus pereuntis, quorum ambusta carne vita perit. Πρότασις et ἀπόδοσις comparationis miscentur. In verborum וְהָיָה כִּמְסֹס נֹסֵס interpretatione magna varietas, maxime ob dubiam vocis נֹסֵס significationem. Veterum plerique eam retulerunt ad נוּס, *fugere.* LXX: Καὶ ἔσται ὁ φεύγων ὡς ὁ φεύγων ἀπὸ φλογὸς καιομένης, ac si legissent: הַנָּס כְּנָס אֵשׁ sive כְּנָס מֵאֵשׁ, quod Lowthus lectioni Masorethicae praeferendum censet. Chaldaeus: וִיהֵי תָבִיר מְעָרִיק, *et erit confractus et profugus.* Symmachus: καὶ ἔσται ὡς τετμημένος φεύγων. Vulgatus: *et erit terrore profugus.* Similiter Vitringa: *et erit sicut dissolutio s. liquefactio*, i. e. terror *fugientis.* Syrus: ܘܢܗܘܐ ܐܝܟ ܕܠܐ ܗܘܐ *et fiet quasi nunquam fuisset.* Saadias: وَيَصِيرُ عَلَمًا مَعْلُومًا *fietque signum signatum*, i. e. exemplum insigne divinae vindictae. Ex recentioribus plures sequuntur interpretationem Kimchii, נֹסֵס per נוֹשֵׂא הַנֵּס, *vexillifer*, reddentis, מְסֹס autem (pro כְּמִמְסֹס), *liquescere*, de *summo metu* et *terrore* intelligentis, qua significatione verbum illud saepe occurrit, e. c. Deut. I, 28. (הֵמַסּוּ אֶת־לְבָבֵנוּ), Jos. V, 1. (וַיִּמַּס לְבָבָם *liquefactum est cor eorum*,

neque

neque quidquam spiritus iis reliquum, prae metu Israelis): et absolute quoque מָס, *liquescens*, de eo, *qui moerore, aegritudine et tabe quadam aegroti animi exeditur* Job. VI, 14. Hinc vertunt: *quasi dissolutio signiferi*, i. e. quemadmodum si in exercitu signifer cadit, reliqui sub vexillo ejus militantes diffugiunt, sic Assyrii sese disperdent praecipuis et fortioribus eorum occisis. Coccejus: *erit ut tabes, quod eminet, quod insigne est* (נסס proprie *eminuit*, unde, *signum erexit* Ps. IV, 7.); *omne eminens tabescet et colliquescet.* Doederlein hunc Versum vertit ita: *ejusque* (Assyrii) *sylvam, Carmelo similem, qua corticem, qua medullam, consiciet, ut sit velut pertica, quae procul emineat.* Quod in nota subjecta ita illustrat: „Carmelus quidem *mons*, consitus sylvis, apta est imago exercitus numerosi; qui dum interit, caesam dixeris sylvam. Restat tamen rara arbor, h. e. pauci superstites erunt. Eandem imaginem repetit vates Cap. XXX, 17. Vocabulum מְסֹס deducendum videtur a נָסַס, ac aequipollet nomini נֵס, *vexillum*, sive *pertica*; quae in monte defigitur, et emicat (נסס ex Arab. *emicare*)." Schultens in *Origg. Hebrr.* Lib. I. Cap. V. §. XXIII. p. m. 67. et N. G. Schroederus in *Observatt. ad Origg. Hebr.* p. 128., collato Arabico نسّ, *crepuit imposita igni caro, dumque vehementius assatur, stricturas sparsit*, vatis sententiam hanc esse volunt: *eritque, ut cum caro igni imposita crepans et stridens colliquescit, et vehementia aestus tabe diffluit. Sed carnem assando liquefieri*, quis hoc unquam audivit? Michaelis in *Supplemm.* p. 1647. mutatis punctis, נסס כְּמִסְסֹ, confert Arabicum نشّ, *bullitu, vel fervore suo sonuit aqua*, et نشيش, *bullientis aquae sonus*, vertitque, *erit ut liquescere, bullire.* „Summus," inquit, „fervor describitur, qui non modo liquescere, sed et bullire faciat. Amant Orientales duo verba, sono vicina, componere: sic Talmudici,

dici, *non novi Chillek et Billek*, Arabes حل بل, *licitum*; ipse Moses statim ab initio הֹתוּ וָבֹהוּ." Nobis quidem omnium maxime probatur a SCHELLINGIO (in *Animadverss. philologg. ad difficiliora loca Jesajae* p. 18. seqq.) proposita interpretatio. Is ad explicandam vocem נֹסֵס in subsidium vocat Syriacum ܢܣܝܣܐ, *aegrotus* (quod tamen jam ante ipsum fecit Hezel in Notis ad teutonicam Lutheri versionem a se editam), cui convenit Chaldaicum נְסַס, *perturbari ira, moestitia, dolore, metu*. Hinc per נֹסֵס intelligit *aegrum*, cujus morbus ex aegritudine maxime animi oritur, curationem itaque eo difficilius admittit, hominemque misere conficit, quod ipsum dicit verbum מָסַס, *liquescere*, cui h. l. junctum est. „His positis liquidior jam est connexio hujus postremae sententiae, וְהָיָה כִּמְסֹס נֹסֵס, cum prioribus. Postquam enim propheta illam gloriosam sylvam segetemque fructuosissimam *qua animum et corpus consumtum iri* declaravit, ab hac metaphora naturali quasi quadam cogitationum se invicem excipientium successione eo progreditur, ut idem fere etiam sub similitudinis schemate proponat dicatque, fore, ut iidem illi, quos illa metaphora designarat, sint sicut qui interno quodam animum exedente et ad ipsum etiam corpus promanante aegritudinis aestu penitus contabescant conficianturque. Idem etiam, quod hoc Versu dicitur, jam Vs. 16. dictum erat inverso ordine, *pingues Assyriorum macie, gloriosos igne consumtum iri*." Hinc nostrum Versum Schelling ita vertit: *Gloriosa etiam sylva ejus et arva ejus fructuosissima penitus consumentur, eritque ut qui misere contabescit animi pariter ac corporis aegritudine afflictus.*

19. וּשְׁאָר עֵץ יַעְרוֹ *Quod vero adtinet ad residuum arborum sylvae ejus.* Cf. XVI, 14. מִסְפָּר יִהְיוּ *Numerus erunt*, i. e. pauci. *Numerus* apud Hebraeos pro paucis poni solet, e. c. Ps. CV, 12. מְתֵי מִסְפָּר, vid. quoque Deut. XXXIII, 6. Quod enim numeramus, exiguum est; juxta illud

illud Ovidii: *pauperis est numerare pecus.* Arabes quoque معدون, *numeratus*, de pauco dicunt, quoniam, uti observant Corani interpretes ad illud Sur. II, 7. 8. الّا أيّاما معدودة *nisi diebus numeratis*, magna pecuniae copia haud numerari sed appendi solet. Cicero *Orat. Philipp.* II. §. 97. c. 38. *Itaque tanti acervi numorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniae.* Quod vero additur, נַעַר יִכְתְּבֵם, *puer scribet eos*, amplificatio paucitatis est. Puer enim non magnam summam numerando assequitur, illam nempe, quam manuum digitis notare potest. Et hinc, opinor, conjectarunt Hebraei, decem e toto exercitu fuisse residuos.

20. Exponitur nunc fructus et effectus istius judicii apud Israelitas, conversio reliquiarum ad Deum suum: *Atque ita fiet, ut deinceps reliqui Israelitae quique Jacobitarum evaserint, non amplius in eo nitantur, a quo caesi fuerint, sed in Jova, Israelis venerando numine, nitantur.* Non ultra in societate aut foederibus tyrannorum suorum fiduciam collocabunt; regibus superstitioso cultui deditis non amplius adhaerebunt. בֶּאֱמֶת *Vere* Jovam colent; non sicut alii ex eadem gente, qui dubio gradu vacillantes, modo ad veri Dei, modo ad inanium Deorum cultum ferebantur.

21. שְׁאָר יָשׁוּב Nomen est alterius filiorum Jesajae (VII, 3.), ad quod hic alludit, sicut Vs. 6. ad nomen alterius. *Reditus ad Deum* ejus est, qui ab eo discesserat, quod duplici ratione fit. Altera quidem est ejus, qui ad commenticios Deos defecit, quales haud dubie permulti fuere sub regibus idololatris; altera vero ejus, qui cultum veri Dei professus, tamen ex legibus divinis vitam suam non instituit. Ad *Deum* igitur *redit*, qui, idololatriae nuncio remisso, solum verum Deum colere denuo incipit, et qui,

im-

improbis moribus exutis, vitam ad leges divinas iterum exigit.

22. Quae Vs. 21. significaverat vates, superstites Jacobitarum ad Deum se conversuros esse, hoc Versu declarat: כי אם־יהיה עמך ישראל כחול הים שאר ישוב בו *nam si populus tuus, o Israel,* vel *maris arenam numero aequet* (cf. Ps. CXXXIX, 18. Hos. II, 1.), *superstites* tamen tantum ex communi clade *convertentur in illa* infinita multitudine. כליון חרוץ שוטף צדקה *Consumtio decisa est inundans justitiâ,* i. e. ritu torrentis exundantis cuncta devastantis, pro *ultricis justitiae* rigore. Verbum חרץ de *sententia judicis certissime decreta* et *definita* usurpatur et 1 Reg. XX, 40., ubi Achab ad prophetam: *rectum est judicium tuum* אתה חרצת, *tu ipse definivisti.* צדקה positum pro בצדקה, *juste, severe.* שוטף *exundans* erit, absumet omnia. Cf. infra XXVIII, 18. XXX, 28. Alii חרוץ interpretantur *decisum, abbreviatum,* ut Job. XIV, 5. Ita Schelling (loco supra ad Vs. 18. laud.), qui haec verba sic vertit: *erit enim consumtio abbreviata, in qua justitia abundantissime se cognoscendam dabit.* „Oratio," inquit, „est apostrophe ad Israelitas, qua denunciatur illis, quantumvis numerosi jam sint, superstites tamen tantum ex illis se ad Deum conversuros esse, superstites scilicet ex magna clade, quam passuri sint, quaeque ad internecionem eorum esset evasura, nisi Deus ipse ei modum, atque sic justitiae suae cum eorum, qui absumerentur interitu, tum paucorum, qui servarentur, salute insigne documentum esset constituturus. Hoc ipsum innuunt verba כליון חרוץ שוטף צדקה. Haec quippe rationem in se continent eorum, quae de servandis reliquiis modo dicta sunt. Sic recte LXX (cod. Alex.) ea per γὰρ cum prioribus connectunt, atque hos sequutus et Paulus Rom. IX, 28." Cf. Matth. XXIV, 22. Vid. et J. C. Velthusen *Comparatio dicti Jesaj. X, 20—23. cum asserto Rom. IX, 27. seqq.* Helmstad. 1785. (repetit. in *Commentatt. Theologg.* Vol. V. p. 388. seqq.), et David. a Coelln Commen-

mentationem, qua hunc locum cum Paulino comparat et illustrat in *den Analekten für das Studium der exeget. u. systemat. Theologie* Vol. III. Fasc. II. p. 28. seqq.

23. כִּי כָלָה וְנֶחֱרָצָה וגו׳ *Nam consumtionem et excidium Jova faciet in omni terra*, i. e. certissime Jova decrevit omnem populum absumere. נֶחֱרָצָה non est Adjectivum sive Participium, ut multis videtur, sed Substantivum a verbo חָרַץ, *excidit*, ut Dan. IX, 27. X, 36. Cum praecedente Substantivo כָּלָה per ו copulatur, et utrumque construitur cum verbo עָשָׂה. *Consumtio* vero et *excidium* est Hendiadys, *excidium consumens*, sive maxima vastatio. Ita Chaldaeus: *quia consummationem et consumtionem* (גְמִירָא וְשֵׁיצָאָה) *Dominus Deus exercituum faciet in omnibus impiis in terra.* Sed qui חָרוּץ Versu 22. *abbreviatum* verterunt, eodem modo et hic נֶחֱרָצָה sumunt. Schelling: *nam consumtionem eamque abbreviatam* [sive: *sed abbreviatam*] *effecturus est Deus.* Eundem sensum expressit Vulgatus: *consummationem enim et abbreviationem faciet.* כל in libris quamplurimis et manu et typis descriptis omissum.

24. Digressus paulum Propheta, redit ad proprium orationis suae scopum; consolatur pios, nec plane deletum iri populum Israeliticum promittit. אַל־תִּירָא עַמִּי יוֹשֵׁב צִיּוֹן מֵאַשּׁוּר *Ne timeas, mi populus, qui Sionem habitas, ab Assyria.* Hac blanda appellatione alloqui videtur paucos sinceros Jovae cultores superstites, de quibus Vs. 21. 22. בַּשֵּׁבֶט יַכֶּכָּה וּמַטֵּהוּ יִשָּׂא־עָלֶיךָ *Quando baculo te percutiet, et jugum suum super te tollet*, i. e. quando te ut servum tractabit aut tractare instituet, et sive edictis suis, sive imperiosis edictorum suorum executionibus, te vexabit. Metaphora desumta est partim a jumentis, quae, dum gravia onera portant, ab actoribus baculo, fuste, stimulo, agi, caedi et citari solent; partim a servis, in operibus servilibus versatis, quibus adsunt ἐπίσκοποι, operarum inspectores et exactores, fustibus instructi. Utrumque hic respici, patet ex collata phrasi Cap. IX, 3. et 27. seq. Ceterum haec

verba

verba ad Assyrium referenda sunt, non ad Deum, ut nonnulli volunt, quasi sensus sit: *et baculum suum attollet* (Deus) עָלֶיךָ *supra te*, vel, propter te, i. e. ad te vindicandum, et puniendum Assyrium, qui te percutit; quod durius videtur. Verba בְּדֶרֶךְ מִצְרָיִם interpretes haud pauci vertunt: *in via Aegypti*, i. e. cum rex Assyrius exercitum suum in Aegyptum duxerit, eum percutiet. Et respici quidem existimant expeditionem Sanheribi, qui primum ibat, ut Tarachae occurreret; deinde, bello Aegyptiaco confecto, per Palaestinam redibat, et, captis urbibus Judaeae munitis, legatos misit ad Hiskiam Lachiso, unde pecuniam extorsisse non contentus sibi Jerosolyma dedi postulavit, vid. 2 Reg. III. et infra XXXVII. Rectius alii vertunt: *more, modo, ritu Aegyptiorum*, i. e. eo modo, quo afflixerunt te Aegyptii, sic te affligent Assyrii; q. d. sicut ab Aegyptiis olim indigna passi estis, nec tamen afflictio illa perpetua fuit; sed finem habuit, eundemque gloriosum vobis; ne despondeatis quoque animum, cum videtis Assyriorum adversus vos crudelitatem et ferociam. Habitatores enim Hierosolymitani obsidione pressi sunt, et omnia, quae extra muros possidebant, vastata, sed non diu duravit ista vexatio. *In via alicujus* idem est saepe, atque *instar*, seu *ad morem et similitudinem* alicujus, quia *via* Hebraeis ratio est aut modus vivendi et operandi. Si Amos IV, 10. *Immisi vobis pestilentiam* בְּדֶרֶךְ מִצְרָיִם *via Aegypti*, i. e. ad exemplum pestilentiae Aegyptiacae; vid. et Ezech. XX, 30. Praeferenda haec interpretatio propter Vs. 26., ubi בְּדֶרֶךְ eodem significatu occurrit. Prophetae nostro frequentes sunt allusiones ad historiam populi sui, uti in eodem Versu ad historiam Gideonis, et Cap. seq. Vs. 16.

25. כִּי־עוֹד מְעַט מִזְעָר *Sed* (cf. not. ad VIII, 23.) *adhuc parum paucum*, i. e. brevi. מְעַט saepius, simpliciter sumtum, de *tempore* usurpatur, e. c. Hagg. II, 6. Sed phrasis מְעַט מִזְעָר non reperitur nisi apud nostrum, et quidem praeter hunc locum Cap. XXIX, 17. וְכָלָה זַעַם *Et absoluta*, finita

finita *est ira.* Pro זַעַם Lowthus legi mallet זַעְמִי; fine auctoritate. Nam ex eo, quod Hieronymus et Syrus Pronomen addiderunt, non certo colligere licet, id in fuis codicibus extitiffe. Primae perfonae Pronomen h. l. facile repetitur ex אַפִּי, quod proxime fequitur. De voce זַעַם vid. not. ad Vs. 5. hujus Cap. Sunt, qui haec verba referant ad Affyrios, hoc fenfu, futurum effe brevi, ut ira divina in Affyrios confummaretur, q. d. intra breviffimum tempus perdam Affyrios, et ita meae irae finis imponetur. Sed recte alii, inter quos Gatakerus, Vitringa, Gesenius, nomen זַעַם intelligunt de *ira* et *feveritate* Dei erga populum fuum, ut X, 5. XXVI, 20. XXX, 27. Dan. VIII, 19., ut fenfus hujus Verfus hic fit, *indignationem*, quam Deus conceperat in populum fuum, *brevi tempore ceffaturam effe.* Refpiciunt haec verba manifefte illa fupra Vs. 5., ubi Affyrius baculus irae Domini in fuum populum dicitur. Plane fimilis eft locus Dan. XI, 36., ubi Antiocho Epiphani omnia feliciter fucceffura praedicuntur עַד כָּלָה זַעַם *donec confummata fuerit indignatio* fcil. Dei in fuum populum. Verbum כָּלָה *ceffandi, finiendi* notione et Proverb. XXII, 8. occurrit. Recte LXX: παύσεται ἡ ὀργή. עַל־תַּכְלִיתָם *Ad confumtionem illorum* fcil. vertet fe ira mea, a populo ad hoftes. Aut: ira mea *confumtioni eorum* incumbet. J. D. Michaelis vero vocem ad Arab. كال, *menfuravit*, refert vertitque: *et ira mea erit ad menfuram eorum*, i. e. modica, ut eos non abfumat, fed ferri poffit. In libris haud paucis legitur עַל־תַּבְלִיתָם (cum *Beth* loco *Caph*). Vocem תַּבְלִית vero diverfimode accipiunt. Sunt, qui fignificationem ejus repetant a voce תֶּבֶל, *fcelus, flagitium*, Levit. XVIII, 23. XX, 12., ut vertendum fit: *propter flagitium eorum.* Sic Vulgatus: *et furor meus fuper fcelus eorum.* Syrus: ܥܠ ܡܚܒܠܢܘܬܗܘܢ, *propter corruptelam eorum.* Nec non Chaldaeus: וְרוּגְזִי עַל עַמְמַיָא עָבְדֵי חֲבָלָא לְשֵׁיצָיוּתְהוֹן *et ira mea erit contra gentes, quae fcelus perpetrant, ad eas confumendas.* Quod fequuti Hebraei, veluti Jarchi, qui de-

fignari

ſignari ait *convitia* et *maledicta,* quibus legati Aſſyrii Deum laceſſerant. Aben-Esra: ואפי בהם על רוב שהשחיתו *et ira mea inter ipſos exardeſcet, propterea quod abominanda perpetrarint.* Alii rectius ſignificationem vocis תַּבְלִית derivant a בָּלָה, *inveterari, antiquari, παλαιοῦσθαι,** unde תַּבְלִית *παλαίωσις, conſumtio, perditio, abolitio,* ut בְּלִי, apud noſtrum infra XXXVIII, 17. et בִּלָּה, in Piel, *deterere,* conſumere, ut adeo תַּבְלִית hic fere idem valeat, quod כִּלָּיוֹן, *conſumtio,* Vs. 21. Qui in hac ſunt ſententia, particulam עַל reddunt *usque ad,* ut Joſ. II, 7. 2 Reg. XXIII, 29. Ezech. XLI, 17., pro עַד (quod hic etiam habent cod. Kennicottianis unus, unusque De-Roſſianus), ut ſenſus ſit: *iram Dei arſuram eſſe, usque ad illorum* (Aſſyriorum) *perditionem,* abolitionem. Vitringa: *ira mea* (in populum meum) *terminabitur cum* (ita עַל vertendum quoque Exod. XXXV, 22. Levit. II, 2.) *ipſorum abolitione* (hoſtium Aſſyriorum). Michaelis in *Supplemm.* p. 179. noſtrum תַּבְלִית confert cum Arabico بَلَاءٌ, *vexatio, infortunium;* vertitque hunc Verſum: *finem habebit ira* (contra populum Dei), *et* vertet ſe *ira mea contra vexatorem eorum.* Doederlein: *ſed brevi intermiſſo ſpatio ira mea remittit, et vertitur in eorum machinationes.* Sequitur Alexandrinos, qui תַּבְלִית *βουλὴν* reddiderunt, ac ſi eſſet a בָּל (Dan. VI, 15.), idem quod Arabicum بَالٌ, *cor, animus.*

26. וְעוֹרֵר *Et excitabit.* Mutatio perſonae. Sunt enim verba prophetae, vel ipſius Dei, loquentis de ſe in tertia perſona. כְּמַכַּת מִדְיָן בְּצוּר עוֹרֵב *Quemadmodum* elevavit ſcuticam *ad percutiendos Midianitas apud petram Horeb;* ubi Gideon duos reges Midianitas occidit, *Zeeb* et *Horeb;* Jud. VII. VIII. וּמַטֵּהוּ עַל־הַיָּם Ante מַטֵּהוּ repetendum eſt *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* particula ſimilitudinis, כ; *et juxta virgam ſuam ſuper mare,* i. e. ut percuſſit Aegyptios in mari rubro. וּנְשָׂאוֹ בְּדֶרֶךְ מִצְרָיִם Eo modo, *quo levavit ſuper Aegyptios,* ut in mari perirent. Verſu 24. dixerat, Aſſyrios percuſſiſſe Ju-

Judaeos sicut *Aegyptios*; hic autem, Deum percussurum Assyrios sicut Aegyptios.

27. סֻבֳּלוֹ *Onus ejus*, Assyrii; i. e. onus, quod imposuit Assyrius. In verborum וְחֻבַּל עֹל מִפְּנֵי־שָׁמֶן explicatione magna interpretum discrepantia. LXX: *Καὶ καταφθαρήσεται ὁ ζυγὸς ἀπὸ τῶν ὤμων ὑμῶν*, quasi שִׁכְמֵיכֶם legissent. Hieronymus: „Quod *jugum*, id est, potentia Assyrii, *a facie olei*, id est, Dei misericordiae, *computrescet.*“ Chaldaeus שֶׁמֶן de *unctione* intellexit magni illius regis, a quo Judaei ab antiquissimis inde temporibus salutem exspectant, sic enim vertit: וְיִתַּבְּרוּן עַמְמַיָּא מִן קֳדָם מְשִׁיחָא *et conterentur gentes ab Uncto*, rege, Messia. Syrus: *corrumpetur jugum* ܢܝܪܐ ܡܢ ܡܦܛܡ̈ܐ *a juvencis*; ita videtur intellexisse שֶׁמֶן, quasi abstractum, *pingue*, positum esset pro concreto, *pingues* scil. *juvenci*. Similiter Gesenius: *corrumpetur*, i. e. perdetur, destruetur *jugum prae pinguedine* s. *propter pinguedinem*, ut imago desumta sit a tauris bene pastis, qui ferocientes facti sibi impositum jugum abjiciunt perduntque. Saadias: وَيَفْسُدُ إِصْرُهُ مِنْ قِبَلِ أَجِلَّايِهِ *et corrumpetur jugum ejus ante nobiles ejus.* Cum qua interpretatione fere consentit Doederlein, cui פְּנֵי שֶׁמֶן, *vultus pinguedinis*, sunt *pingues*, h. e. *illustres*, *divites*, qui maxime onere premebantur, tributis impositis; מ vero idem significat, quod in praecedenti membro מֵעַל; et חֻבַּל accipit significatione praegnante: *tolletur et confringet jugum, ne pinguibus amplius molestum sit.* Seckerus, Lowtho referente, legendum conjecit מִבְּנֵי שֶׁמֶן, vid. Cap. V, 1. Zach. IV, 14., ut intelligantur vel Judaei, uncti Dei, Ps. CV, 15.; vel Assyrii, מִשְׁמַנִּים, supra Vs. 16., ut dicat propheta depulsum iri jugum ab his impositum. J. D. Michaelis pro חֻבַּל legit חֵבֶל, hoc sensu: *et funis jugi* recedet a collo ejus. Grotius cum Jarchio et Kimchio שֶׁמֶן, *oleum*, metonymice dictum putat pro *eo qui oleo* est *unctus*, i. e. Hiskia.

„Ju-

„Jugum illud," inquit, „quod Assyrii Judaeae imposuerant, plane interibit, propter Ezechiam, unctum sacro oleo. Alluditur ad vim olei, quod nodos facile relaxat." Hunc sensum in versione expressit Dathius: *corrumpetur vero illud jugum propter unctum oleo regem.* Quidam ex Hebraeis ita intelligunt: *peribit jugum ejus prae pinguedine,* i. e. felicitate; q. d. ut corpora opima sua interdum pinguedine obruuntur, et suffocantur, ita Assyrius opibus et honoribus suis. Imperium ejus ob nimias opes et superbiam delebitur. Forerius metaphoram censet sumtam ab animalibus, quae si pinguia sunt, prae pinguedine laxatis nexibus, dissolvuntur juga; vel ab agricolis, qui nodos jugi induratos adhibito oleo seu pinguedine solvunt. Verum recte opponit Sanctius, id nec ferre usum rusticorum, nec lora inde putrescere, aut inutilia fieri, quod tamen propheta significare vult. Hinc sic exponit: *computrescet jugum,* i. e. jugi lora, *defectu olei,* quia oleum deficit, ut מ sit privativum, ut Sam. XV, 26. Job. XXXIII, 28. Morem enim esse rusticorum, lora jugorum, quae coriacea esse solent, ut lenta sint et tractabilia, oleo macerare, et subigere, quod si absit, facile arescere et rumpi. Sed tum esse deberet מִשֶּׁמֶן. Kocherus: „Quid si vatis verba per inexspectatum ὀξύμωρον explices hac sententia: juga pingui inuncta conservari durareque solere, istud jugum contraria ratione prae pinguedinis oleive copia periturum; uberrimis scilicet Dei beneficiis." Haud longe discedit ab Hieronymi interpretatione, supra allata. Nos acquiescimus in Syri et Gesenii explicatione, quam attulimus.

28. Repraesentatur expeditio hostium de die in diem castra Hierosolymam versus moventium, sed irrito conatu, et suo cum exitio, Vs. 33. Vivide depingit vates incolarum Judaeae metum, fugam, trepidationem. Hieronymus: „Describit sermo propheticus Assyrii iter pompamque redeuntis de Aegypto Jerusalem." Spectari a vate existimat Sanheribi expeditionem, de qua 2 Reg. XVIII, 17. seqq. Verum

non

non ex Aegypto reducis exercitus, ſed ex Aſſyria primum Judaeam ingreſſi Hieroſolymamque petentis iter deſcribi, ſatis arguit illud quod, quae hic memorantur, loca Hieroſolymis ad *aquilonem* ſunt, patetque, iter ab aquilone flecti ad Occidentem et Auſtrum. Nomen עַיָּת alias non occurrit; ſed non eſt dubium, quin formatum ſit ex עַי, *Ai*, oppido ſatis celebri in hiſtoria Iſraelitarum, Palaeſtinam occupantium, Joſ. VII, 1. 2., atque adeo עַיָּת ſit oppidum cum agro circumjacente a Joſua plane dirutum et ſubverſum, ſed deinceps rurſus inſtauratum, dictum עַי, ut videtur, ab עִי, quod in *tumulo*, ſive loco editiore ſitum fuerit, ut aliae urbes ob hanc rationem inſignitae ſunt nomine רָמָה, *locus editus*; et liquet ex hiſtoria (Joſ. VIII, 11.), *Ai* urbem fuiſſe in colle aut tumulo ſitam; et quidem in extremis *limitibus ſeptentrionalibus* ſortis *Benjaminis*, e regione *Bethelis* ad *Ortum*, Geneſ. XII, 8. Joſ. VII, 2., Hierichunti autem ad *Occidentem* et *Septentrionem*. Cf. de hoc loco ceterisque, qui hoc Verſu et proximis Verſibus commemorentur, locis libr. noſtr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* (ſ. *Bibliſche Geographie*) Vol. II. P. II. p. 169. ſeqq. מִגְרוֹן Loci hujus nulla mentio alia eſt, praeter 1 Sam. XIV, 2., ex quo loco patet, fuiſſe oppidum, proximum *Gibeae*, quae ipſa quoque ſita eſt in limitibus ſeptentrionalibus Benjaminis, ad *Occiduum Auſtrale Ai* et *Bethelis*, habebatque ad *Auſtrale* clima *Ramam* et *Hieroſolyma*; vid. Jud. XIX, 12. 13. Alexandrini in loco Samuelis citato, Μαγδὼν ſcribunt, hic Μαγγεδὼ, Theodotion: Μαγγεδών. מִכְמָשׂ, alias מִכְמָס, Eſr. II, 27. Nehem. VII, 31., ſicque et Syrus, qui librum Maccabaeorum ex Hebraico textu convertit, 1 Macc. IX, 73. ܡܟܡܣ habet. Locus eſt, proximus *Migroni* et *Gibeae*, et huic quidem ad *Septentrionem*, vid. 1 Sam. XV, 5. יַפְקִיד כֵּלָיו. Quum הִפְקִיד Pſ. XXXI, 6. Jerem. XXXVI, 20. XXXVII, 21. 2 Paral. XII, 10. *deponere, mandare*, ſignificet; Alexandrini verterunt: ἐν Μαχμὰς θήσει τὰ σκεύη αὐτοῦ. Quos ſequutus eſt Syrus: *In Michmaſch* ܡܐܢܘܗܝ ܣܡ

ponet

ponet impedimenta sua, et Saadias: وأودع سلاحه *et deponet arma ejus in Michmasch.* Idem intellexit Vulgatus: *apud Michmas commendabit vasa sua.* Ad quae verba Hieronymus: „Tantam capiendae urbis habebit fiduciam, ut apud Machmas commendet sarcinas suas, quasi cito subversa urbe sit rediturus, quibus depositis, transibit eam cursim." Kimchi quoque regem Assyrium sarcinas suas in Michmasch reposuisse ait, quod persuasus fuerit, se Hierosolymam sine magno rei bellicae apparatu expugnare posse. Vitringa vero illud ideo potius factum putat, quod Michmasch locus fuerit bene munitus natura et situ; quippe ad quem nisi per *angustum trajectum*, quem duae rupes, sibi invicem adversae, faciebant, iter expediri non poterat, ut liquet ex historia Saulis et Philisthaeorum 1 Sam. XIII, 2. 3. 16. 23. Equidem antehac cum Clerico verbum הִפְקִיד *visitandi, recensendi* significatione accipere, et de *recensione armorum* intelligere malui, ut dicatur, duces inspecturos illic et probaturos arma militum esse. Sed vere monuit Gesenius, verbum illud in forma Hiphil nusquam alias *recensendi* significatu usurpatum reperiri, observatque, Assyriacum exercitum sarcinas et impedimenta in loco tuto reliquisse, ut expeditior esset ad aggrediendam et oppugnandam urbem. Et alias, 1 Sam. XVII, 21. XXV, 13. XXX, 24., legimus, impedimenta, antequam proelium committeretur, post exercitum relicta fuisse sub militari praesidio.

29. עָבְרוּ מַעְבָּרָה *Transeunt* jam *transitum.* מַעְבָּרָה non solum *vadum, trajectum fluminis*, denotat, sed de *montibus* quoque dicitur, sicut Hispanorum *porto*, s. *puerto*, i. e. locus asper, angustus et difficilis et transeundum. Cf. 1 Sam. XIII, 23. *Et exiit statio Philisthaeorum* אֶל־מַעֲבַר מִכְמָשׂ *et trajectum Michmasch.* Qui trajectus describitur Cap. XIV, 4. 5. Medius erat et angustus inter rupes duas, *Bosets* et *Sene*, quarum alter in Septentrione respexit

Mich-

Michmascham, alter in Austro *Gibeam*. Erant ejusmodi loca in Judaea et Benjaminitide plura, qualia etiam erant ab Occidente Hierosolymorum, qua iter est ad *Bethoronem inferiorem*: Τὰς κατὰ στενὰ καταβάσεις, *descensus, qui ad praerupta et angusta loca sunt*, appellat JOSEPHUS de *Bello Jud.* Lib. II. Cap. XXVI. גֶּבַע מָלוֹן לָנוּ *Geba est diversorium, quo pernoctant.* Ita omnino לָנוּ est vertendum, a לוּן, nec, ut quidam fecerunt, *nobis*, Vulgato duce, qui habet: *Gaba sedes nostra*, LOWTHUS, Chaldaei auctoritate permotus, לָמוֹ legendum censet; quod etiam DATHIUS et DOEDERLEIN probant. Ceterum *Geba*, quae hic nominatur, est Michmaschae proxima nec confundenda cum *Gibea* s. *Gabaa Saulis* seu *Benjaminis*, quae mox occurret. חָרְדָה הָרָמָה *Trepidat Rama.* רָמָה, i. e. *alta, excelsa*, plurium urbium in Judaea nomen erat, ideo haud dubie, quod in *collibus* aut *locis editis* sitae essent. Nostro loco illa designatur *Rama*, quae inter *Gebam* et *Gibeam* media fuit, ad Septentrionem Hierosolymorum et Gibeae Saulis. Non est confundenda cum *Rama Samuelis*, sive *Ramathaim Zophim*, in tractu occiduo montium Ephraim sita. Nostrae Ramae mentio fit in historia Levitae Jud. XIX, 11. 12. 14., in qua Levita, cum Hierosolymis pernoctare recusaret, die jam valde praecipite, famulo dicit: *pergamus ad Gibeam, non longe videlicet Hierosolymis distantem.* Item: *age, et fac appropinquemus uni locorum istorum, ut pernoctemus Gibeae aut Ramae;* unde colligere licet, esse Ramam ab Hierosolymis Gibea remotiorem; quod confirmatur loco 1 Reg. XV, 22. גִּבְעַת שָׁאוּל *Gibeath Saulis*, quia Saulis, regis, patria fuit, 1 Sam. XI, 4., *Ramae* ad Austrum, ubi ad Occidentem vergit. נסה *Fugit*: XVII. 13. XXXI. 8.

30. צַהֲלִי קוֹלֵךְ בַּת־גַּלִּים *Exalta vocem tuam*, ut aliae urbes exaudiant, *filia*, i. e. oppidum (cf. not. ad Cap. I, 8.) *Gallim*. Mentio fit hujus loci praeter h. l. semel tantummodo, 1 Sam. XXV, 44.; verum ibi nihil de ejus situ dicitur. הַקְשִׁיבִי לַיְשָׁה GROTIUS, vim formae Hiphil respiciens,

vertit, *fac audire Laisam*, ita altum ejulatum tolle (tu, Gallim), ut ad ultimos fines exaudiatur, ubi *Laisa.* Intelligit celebrem illam urbem, antea *Lesem* dictam, in extremo limite Septentrionalis Cananaeae, ad Libani radices sitam, a *Danitis* expugnatam, Jud. XVIII, 7. seq. Verum quum הַקְשִׁיב in plurimis aliis locis *attendere*, sicuti in Kal, denotet, praeferenda est Vulgati interpretatio: *attende Laisa;* ut moneat vates habitatores Laisae, ne despiciant clamorem oppidi vicini Gallim. Qua interpretatione assumta, non intelligenda erit celebris illa ad Libanum *Laisa*, sed alia ejusdem nominis urbs, sita in proximo Hierosolymorum, milliari circiter germanico ab urbe, Ramam inter, quae septem, et Anathotham, quae tria milliaria Romana ab Hierosolymis septentrionem versus. WERNSDORFIUS in scripto de *fide historica libror. Maccab.* §. 80. suspicatur, quae hic commemoratur Laisa eandem esse, quae 1 Maccab. IX, 9. in Vulgata, pro Graeco 'Ελεάσα, vel 'Αλασά, legitur, ad quam Judas ante proelium commissum castra habuit. Situs sane locorum concinit. Cf. MICHAELIS *Annotatt.* ad loc. laud. Maccab.. Sed *Laisa* et 'Ελεασά videntur mendose scripta esse pro 'Αδασά, 1 Macc. VII, 40. VITRINGA, COCCEJUM sequutus, verba nostra ita conjungit cum sequentibus, ut sensus sit: *o misera Anathoth, attende Laisam versus!* Verum interpretatio vulgaris haud dubie elegantior est. עניה ענתות *Misera Anathoth, o miseram Anathoth!* seu, ut DOEDERLEIN: *Anathoth affligetur.* Sensu bono et apto. Syrus vero vertit: ܘܥܢܝ ܥܢܬܘܬ, *responde Anathoth.* Idemque placuit LOWTHO, qui vertit: *resona, Anathoth! (hall's wieder, Anathoth!)* Epithetum ad significationem nominis alludere putat, tanquam si diceret: *Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit!* MICHAELIS effert: עֹנִיָּה, *respondens*, juxta formam פּוֹרִיָּה. SIMONIS in *Onomast. V. T.* p. 247.: „ענתות, *responsiones;* eadem ratio nominis, quae in בית ענת, *locus echus;* nam hodienum ejus rudera ostenduntur in valle, scil. in medio montium, ut referunt *Robertus* in Itiner. p. 70. et *Monconnysius*, p. 301.“

31. נָדְדָה מַדְמֵנָה *Fugit,* s. *mota est, Madmena.* נָדַד *motum celerem, commotionem celerem, fugam* seu *agitationem* significat; cf. infra XXII, 3. *Madmena,* quae hic nominatur, nullo alio loco occurrit. Nam illa *Madmanna,* quae memoratur Jos. XV, 31., in australibus tribus Judae sita, huc non pertinet. גֵּבִים, pro quo Alexandrini Γιββεὶρ ponunt, locus nobis ignotus est. Verbum הֵעִיזוּ plures referunt ad עָזַז, *convalescere, invalescere.* Ita Syrus: ܐܬܚܝܠܘ, *confortati sunt,* et Vulgatus, *confortamini.* Hieronymus: „Vos autem, qui habitatis in collibus, quod interpretatur *Gebim,* tuti locorum altitudine, *confortamini,* id est, arma corripite." Alii reddunt: *congregaverunt se,* scilicet ut fugerent. Sine ratione. Rectum Gatackerus vidit in *Nott. Anglicc.* ad h. l., vertendum esse *fugerunt,* ut Jerem. IV, 6. הָעִיזוּ אַל־תַּעֲמֹדוּ; *fugite, nec consistite.* Sic et Jerem. VI, 1. Et apud nostrum XXX, 2. Radix est עוּז, quod conferendum cum Arab. عَاذَ, *fugit.* Sic in Carmine *Ali-Ben Abi-Taleb,* p. 58. يَا مَنْ بِهِ أَعُوذُ, *o is, ad quem confugio! Coran.* Sur. II, 63. أَعُوذُ بِاللّٰهِ, *confugio ad Deum.* Cf. Sur. CXIII, 1. CXIV, 1. Sic et Chaldaeus: גְּלוֹ, *transmigrarunt;* et Saadias: إنْصَاعُوا, *sese recondiderunt.* Dathius: *Gebimenses loca inaccessa petunt.*

32. עוֹד הַיּוֹם בְּנֹב לַעֲמֹד *Adhuc dies ad consistendum in Noba. Nob* erat urbs tribus Benjamin, Nehem. XI, 32., inhabitata a *Sacerdotibus,* ut notum ex historia Davidis et Achimelechi, 1 Sam. XXI, 1. Sunt, qui haec verba ad incolas Nobae referant, hoc sensu: unum adhuc diem habitatores *Nob* in urbe manere posse; unum adhuc diem ab hostibus tutos fore. Interpretes tamen longe plures haec verba ad hostem referunt: quamvis ipsi quoque in diversas iterum sententias abeant. Vatablus: *adhuc die ipsa in*

Nob ſtare poterit. Alii, ex Hebraeis: *cum adhuc dies erit, deveniet in Nob, ut* illic *ſubſiſtat,* vel *interquieſcat.* Saadias: وَبَقِّي يَوْمِ يَقِفُ فِي نُوب *et per reliquum diei ſubſiſtit in Nob.* Grotius: poſt tot loca capta reſtabit adhuc ſatis diei, ut Nobam perveniatur. Eundem ſenſum Dathius ſequutus videtur: *hodienum Nobam veniet.* Gatackerus: *adhuc dies illi eſt, ad ſtandum apud Nob;* i. e. iter unius diei illum cum exercitu ejus Nobam deducet. Ludov. de Dieu: *adhuc diem in Nob conſiſtendum erit, agitabit manum ſuam ad montem filiae Zionis;* i. e. tanto flagrabit odio in urbem Hieroſolymorum, ut minas ſuas adverſus eam differre non poſſit, donec eam obſederit, ſed quum adhuc diem morandum erit Nobi, jam tum agitaturus eſt manum contra eam. Ita etiam Vitringa et Doederlein. יְנֹפֵף יָדוֹ הַר בַּת־צִיּוֹן *Agitabit manum ſuam* hoſtis verſus *montem filiae Zionis,* I, 8., גִּבְעַת יְרוּשָׁלִָם et verſus *colles Hieroſolymae,* Pſ. CXXV, 2. Dictio נוף יָד tam in bonam, ut 2 Reg. XV, 11., quam in malam partem, ut h. l. adhibetur, de *manu ad verbera infligenda ſublata.* Sic Jobus XXXI, 21. inter alia de ſe ipſo praedicat: אִם־הֲנִיפוֹתִי עַל־יָתוֹם יָדִי, *num elevavi contra pupillum manum meam;* quando videbam me habere in judicio praeſidium? Non modo feriiſſe ſe negat, ſed et *geſtum* feciſſe *ferientis* et minantis. Cf. etiam 1 Reg. XIII, 4. Job. XXXI, 21. Zach. II, 13. Recte igitur Dathius ſenſum expreſſit; *parat jam omnia ad oppugnandum Sionem.* Omiſſum eſt עַל ante הַר, ut ſaepius, veluti 1 Sam. XIII, 20. Hieronymus: „Adhuc tantum ſupererat diei, ut ſtans in oppidulo Nob, et procul urbem conſpiciens Jeruſalem, agitaret manum ſuam, atque concuteret ſuper montem Sion, vel deſpiciens eam atque contemnens, vel inſultans, et comminans, et admirans, quod toto ſibi Oriente ſubjecto, tam parva civitas potentiae ſuae audeat repugnare." Similiter Chaldaeus: *Veniet et ſtabit in Nobe, urbe ſacerdotum, contra murum Hieroſolymae, dicetque ſuo exercitui: haeccine eſt illa civitas*

Hiero-

Hierosolyma, contra quam congregavi omnia castra mea, et propter quam pressi omnes provincias meas? Ecce ipsa minor est et infirmior cunctis munitionibus populorum, quas fortitudine manus meae subjeci. Contra eam stabit, commovebit caput suum, et quae sequuntur. Pro בית, quod in editis libris quamplurimis in textu scriptum est, habent בת, *filia*, versiones veteres omnes, praeter Chaldaeum, in textu codices innumeri, Hispani ipsi accuratiores et masorethici, nec non plures libri typis descripti. Si בית legas, sensus hic erit: *versus montem domus Sionis*, i. e. ut vertit Chaldaeus: *inferet et trahet manum suam super montem domus Sanctuarii, quae est in Sione.* Sed הר בית ציון *mons domus* i. e. templi *Sionis* alias non legitur, nec idonea est ea phrasis.

33. Versus duos, qui sequuntur, quidam referunt ad Judaeos, quibus vates hic denunciet calamitates ipsis imminentes, q. d. non tantum perveniet in Nob, sed per totam regionem grassabitur. Tunc Cap. seq. consolatio ad leniendum hunc dolorem afferretur. Rectius vero alii hos Versus referunt ad *Assyrios*, ut vates hoc dicat: videte miram mutationem; audivistis furiosos hostis insultus; exspectate paulisper, et superbiam ejus prostratam videbitis. Ita et Dathius, qui „magna," inquit, „est hujus loci elegantia. Descripserat inde a Versu 28. propheta iter Sanheribi adversus Hierosolymam, varias exercitus stationes nominarat, dixerat, omnia jam ab eo ad oppugnandam urbem parari. Et en! subita fit rerum catastrophe. Deus magnam terribilis hujus exercitus partem miraculosa clade prosternit. Describit vero hanc cladem eadem fere imagine adhibita, qua jam ante usus fuerat Versu 18. 19. cum levi tamen mutatione. In illo loco dixerat, sylvam istam combustum iri paucis arboribus relictis. In hoc vero, eam cum arboribus altis et proceris a manu Dei omnipotentis caesum iri. *Noli timere*, dixerat propheta Vs. 24., *mi popule, habitans in Sione, ab Assyriis.* Hos Assyrios propheta deduxerat usque

ad

ad portas Sionis Vs. 32. Quid igitur? num dicere poteſt propheta Aſſyrios inſignem inter nobiliores incolas urbis ſtragem edituros? nonne pugnat hoc cum ipſa hiſtoria?" מְסָעֵף פֻּארָה בְּמַעֲרָצָה *Amputaturus eſt ramos cum violentia.* LXX: *συνταράσσει τοὺς ἐνδόξους.* פְּאֵר, *diadema*, pro *honoratis, in ſummo conſtitutis faſtigio*, intellexiſſe videntur. Similiter Syrus: ܡܘܒܕ ܠܡܝܩܪ̈ܐ, *perdidit honoratos.* Vulgatus: *confringet laguneulam.* Quum סְעִיף ſit *vertex*, J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 1781. vocem noſtram interpretari mallet *capiti detrahere*, vel, *ex cacumine arboris excutere;* praeterea addit, Arabibus verbum شعف *de pilorum defluvio* uſitatum eſſe. Nos cum interpretibus longe plurimis *ramos amputare* vertimus. Scilicet סְעִיף *ramum* ſignificat, vid. Jeſaj. XVII, 6. XXVII, 10. Ezech. XXXI, 6. Ab hoc nomine eſt verbum formae סֵעֵף, quod privativam nominis ſignificationem accipit, *caedere ramos;* plane ſicut a שֹׁרֶשׁ, *radix*, eſt שֵׁרֵשׁ, *eradicare*, Pſ. LII, 7. Job. XXXI, 12. et פֵּאֵר, *ramos excutere*, Deut. XXIV, 40. Ita et סִקֵּל, *lapides amovere*, חִטֵּא, *a peccatis mundare;* זִנֵּב, *cauda truncare.* פֻּארָה eſt *ramus*, vel a פֵּאֵר, *decoravit;* vel a פָּרָה, *protulit fructus*, qui e *ramis* pendent. Cf. Syriac. ܦܐܪܐ, *fructus.* Cf. not. ad Ezech. XVII, 6. Pro פֻּארָה Codd. Kennicott. *viginti ſex*, Roſſiani *viginti duo*, nec non Biblia Soncinenſia פּוּרָה, *torcular* (ut infra LXIII, 3.), habent. Hieronymus: „Verbum Hebraicum *Phura*, quod Aquila *κεραμεῖον* interpretatus eſt, Theodotio Symmachusque verterunt *ληνὸν*, id eſt, *torcular.*" Sic quoque Chaldaeus: *projiciet interfectos in caſtris ejus,* כְּבְעוֹט דְּמִתְבַּעֲטִים בְּמַעֲצַרְתָּא *ſicut cum uvae calcantur in torculari.* Verum lectionem receptam eſſe praeferendam, quisque ſponte ſentiet. Exercitus Aſſyriorum confertur cum ſylva denſa et ramis referta. בְּמַעֲרָצָה *Cum terrore*, i. e. magna vi, potenter, cum violentia. רָמֵי הַקּוֹמָה *Alti ſtaturae*, i. e. excelſae ſtaturae arbores. וְהַגְּבֹהִים יִשְׁפָּלוּ *Sublimia*, i. e. arbores altae, *dejicientur.* Reges et proceres humilius de ſe et ſuis ſentient,

cum

cum antea non hominibus tantum, sed et ipsis Diis, tam vero, quam falsis, insultare stolide solerent. Vid. infra XXXVI, 14. seq.

34. Sunt, qui ex hoc Versu colligant, prophetam Judaeis minari; neque enim Assyrio congruere Libani excidium, sed Judaeis, quorum limes hic erat, vid. Deut. XI, 24., quibus etiam, et specialiter Hierosolymis, applicatur Jerem. XXII, 6. 23. Zach. X, 10. XI, 1. Sed *Libanus* adhibetur ad designandos alios quoque status et populos, praeter Judaeos. Immo rex Assyrius vocatur *cedrus Libani* Ezech. XXXI, 3., et *Carmel* de eodem et exercitu ejus dicitur Vs. 18. Capitis nostri. וְנִקַּף סִבְכֵי הַיַּעַר בַּבַּרְזֶל *Exscindetque implexa sylvae ferro*, securi. Ita succidentur, quasi si quis magna vi ramos arborum in terram trahat, aut ferro arbores sylvae prosternat. סִבְכֵי non tam sunt *arbores densae*, quam inter se perplexa virgulta. וְהַלְּבָנוֹן בְּאַדִּיר יִפּוֹל *Et Libanus iste*, s. exercitus Assyriacus, qui Libano ejusque arboribus robore et multitudine confertur, *per magnificum* suae gentis vindicem et liberatorem *cadet*. אַדִּיר, *Magnifico, potente*, plures intelligunt *Jovam*, qui Versus superioris initio diserte nominatus fuerat. Alii vero, neque ii quidem absone, innui existimant eundem illum divinum heroem, quem vates supra Vs. 5. seqq. celebraverat. Hieronymus: „Putant quidam hunc locum adhuc dici de Assyrio, quod illo contrito omnes in circuitu nationes, quae ditioni illius subjacebant, succidantur et humilientur, et saltus densissimus subvertatur, per quem μεταφορικῶς populum et principes intelligi volunt. Libanum quoque cum excelsis suis cadere, ut nihil omnino Assyriae resideat potestatis. Alii vero ab hoc loco volunt principium esse de Christo, maxime quum et ea quae sequuntur, et nos de illo, et Circumcisio [i. e. gens circumcisa] scripta fateatur. Dixerat supra [VII, 14.] nomen de Virgine pueri nasciturí, quod appellaretur *Emmanuel*, et postea Prophetissae conceptus utero vocaretur *accelera, spolia detrahe, festina*

prae-

praedari [VIII, 3.], et ipſe eſſet lapis offenſionis et petra ſcandali duabus domibus Iſrael [VIII, 14.], cujus principatus eſſet in humero ejus, et vocaretur ſex nominibus [ſupra Vs. 5.]: admirabilis, et conſiliarius, et Deus, et fortis, et pater futuri ſeculi, et princeps pacis; et quod multiplicaretur ejus imperium, et pacis non eſſet terminus. Nunc in prologo adventus ejus, priusquam dicatur, quod de Jeſſe et Davidis genere ſit naſciturus, per translationem *fractae lagunculae* [ſic enim interpretatur מְסָעֵף פֻּארָה] paſſio illius demonſtratur.

Cap. XI, 1. Commemorato excidio hoſtilis exercitus, quem denſo atque ſpecioſo ſaltui proxime antea (X, 33. 34.) comparaverat, ſignificat, longe aliter futurum eſſe de genere Judaeorum ſtirpeque regia. Nam ex ſtirpe Davidis, filii Iſai, pullulabit virga, et ex ea flos egredietur, qui non marceſcet unquam, aut amputabitur, ſicut Aſſyrius ſplendor atque viriditas, neque regnum, quod illi debetur, unquam deficiet. וְיָצָא חֹטֶר מִגֵּזַע יִשָׁי *Prodibit virga de trunco Iſai.* חֹטֶר i. q. Aramaeum חוּטְרָא, ܚܘܛܪܐ, *virga, ramus,* qua ſignificatione illud nomen Proverb. XIV, 3. occurrit; praeter duos hosce locos in V. T. non legitur. גֶּזַע *Stirps acciſa, caudex, truncus,* praeter hunc locum infra XL, 24. et Job. XIV, 8. tantummodo obvium, i. q. Arabum جِذْع. Kimchi recte explicat: *arbor ſucciſa, cujus radix adhuc in terra ſupereſt.* יִשָׁי *Iſai,* Bethlehemita, pater Davidis, 1 Sam. XVI, 1. 3., 1 Chron. II, 13., ubi אִישַׁי ſcribitur. Graece effertur Ἰεσσαὶ, Matth. I, 5. וְנֵצֶר *Et ſurculus, propago,* XIV, 9. LX, 21. Dan. XI, 7. מִשָּׁרָשָׁיו *E radicibus ejus* Iſai, Vs. 10. יִפְרֶה *Fructuoſus erit,* Geneſ. I, 28. IX, 1. 7. XXXV, 11. Exod. I, 7. De *ſurculo* uſurpatur hoc verbum, ubi in eo vis et vigor apparet vitae recentis, et laeta pullulat fronde, quae ſpem faciat optati profectus, ut nimirum ex ſurculo vel ſtolone novi naſcantur ſurculi et pro-

propagine arborem. *Virga* et *surculo e stirpe radicibusque Isai proditura* intelligi *sobolem* seu filium, qui genus ab Isaeo, Davidis patre, ducat, sponte intelligitur. Latini in eadem metaphora eleganter utuntur voce *soboles.* Veluti Livius in oratione Scipionis ad milites *Histor.* L. XXVI. Cap. 41. *Vos modo, milites, faveto nomini Scipionum, soboli Imperatorum vestrorum, velut accisis recrescenti stirpibus.* AMMIANUS MARCELLINUS *Hist.* L. XXVI. Cap. 9. §. 3. in historia Procopii Constantini filiam parvulam appellat *imperiale germen.* Darius apud CURTIUM. L. IV. C. XIV. *Ochum, in spem hujus imperii genitum, subolem regiae stirpis.* Plura exempla ex Graecis Romanisque scriptoribus collegit WETSTENIUS ad Luc. I, 78., quibus nonnulla addidit F. V. REINHARD in *Explanatione loci Jesaj.* XI, 1—5. Viteb. 1783. 4., repet. in *Commentatt. Theologg.* a Velthusenio, Kuinoelio et Ruperti edit. Vol. I. p. 1. seqq. et in Auctoris *Opusculis Theologg.* Vol. II. p. 1. seqq. Sadi, Persarum poeta nobilissimus, in Praefatione ad opus suum كلستان, *Gulistan*, i. e. Rosarium, inscriptum, de principis, quo regnante suum librum concinnavit, filio (p. 12. ed. Gentii): كذلك تنشاء لينة هو عرقها *Sic crescat palmae surculus, cujus ipse radix.* Cf. SILVESTRE DE SACY *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse* p. 94., ubi inter alia haec leguntur: *Cette expression germe de pour dire de la race de, est très-usitée dans les livres des Perses. Zoroastre y est appelé germe de Minotchehr, Yezdedjerd, germe de Sassan, Gustasp, germe de Kéan,* etc. Hiskiam, Judaeorum regem, a vate nostro innui per *sobolem Davidis,* MOSES quidam, *Haccohen* dictus, referente et probante ABEN-ESRA, perhibuit. Inter Christianos eadem in sententia fuit GROTIUS, qui Jesajam hic redire ait ad Ezechiae laudes, sub quibus sensu sublimiore latere vult Messiae laudes. Eam interpretationem exornavit HERM. *von der* HARDT in *Dissert. philolog., qua Hiskias in Sigismundo resurgens ex Jesajae*

C. XI.

C. XI. et libris Regum ac Chronicorum illustratus. Helmst. 1695. 4., eandemque nuper commendavit JOA. TOB. THEOPH. HOLZAPFEL in *Progr. quo disquiritur, quisnam Jesaj. XI. intelligendus sit rex aetatem auream restituturus.* Rintel. 1808. 4. Erant, qui de Serubbabele hoc vaticinio descripto cogitarent, quam sententiam nemo propugnavit operosius et fidentius JUST. HENR. JUNGMANNO in *Daniele novo et inaudito modo reserato* L. II. Sect. III. C. VII. Si vero illud excipias, quod rex a vate hic celebratus e trunco succiso Isai oriundus dicitur, quod Hiskiae accommodari potest, quia decem tribuum amissione et tot hostium incursionibus valde accisae erant res domus Davidis, et magis etiam Serubbabeli, qui ex trunco Davidis jam succiso effloruit, si hoc, inquam, excipias, cetera omnia, quae de rege isto hoc vaticinio praedicantur, neque Hiskiae, neque Serubbabeli applicari satis apte poterunt. Ait Noster, regem illum omne genus dotibus spiritus divini perfectissimo modo fore instructum, eorumque usu perpetuo gavisurum (Vs. 2.); in jure dicundo, bonisque malisque, insontibus et noxiis, rite discriminandis, illum numquam falli; regnum ejus fore pacatissimum (Vs. 6—9.); Judaeos per totum orbem sparsos in terram patriam redituros, depositaque aemulatione et invidia mutua junctis vicibus hostibus communibus oppugnandis operam daturos (Vs. 13. 14.). Talia vero quis evenisse demonstret sub Hiskia aut Serubbabele? Nulla igitur dubitatio, depingi a vate nostro illustrem illum principem, κατ' ἐξοχὴν *Unctum* (מָשִׁיחַ) appellatum, qualem ab antiquissimis inde temporibus aliquando inter ipsos appariturum sperant Hebraei. Eum h. l. describi inter nostrae aetatis interpretes agnoverunt et EICHHORN atque GESENIUS. Eadem, qua Noster, צֶמַח, *germinis*, imagine principem illum e stirpe Davidica oriundum, sistit Jeremias, XXIII, 5. XXXIII, 15., nec non Ezechiel XVII, 22. 23., qui de fastigio summo arboris cedri familiae Davidicae tenerum aliquem surculum, vel stolonem decerpendum plantandumque in excelso monte Israelis dicit, ubi facturus sit fructum, et excreturus in altam et amplam

amplam arborem. Cf. Zachar. III, 8. VI, 12. Recte igitur Chaldaeus noſtrum Verſum ſic explicavit: וְיִפּוֹק מַלְכָּא מִבְּנוֹהִי דְיִשַׁי וּמְשִׁיחָא מִבְּנֵי בְנוֹהִי יִתְרַבֵּי, *et egredietur rex de filiis Iſai, atque Unctus,* Meſſias, *ex filiis filiorum ejus,* Iſaei, *excreſcet.* Idem ſequuntur Hebraei interpretes longe plerique. Cf. Isaaci Abarbenelis *Praeco Salutis in linguam Latinam translatus ab Jo. Henr. Maio* (Frcof. 1711. 4.) p. 51. ſeqq., et Joa. Frischmuth Diſſertat. *de primo, quem in veri nominis Meſſia Judaei exigunt, charactere, ex Jeſajae vaticinio* XI, 1. Jen. 1666. 4., et Ejusd. Diſſert. *de ſecundo, tertio et quarto, quos in veri nominis Meſſia Judaei exigunt characteribus ex Jeſajae vaticinio* XI, 2. 3. ibid. eod. anno. Utraque Diſſertatio legitur quoque in *Theſauro Theolog. Philolog.* ſ. *Sylloge elegantiorum Diſſertatt.* Vol. I. p. 763. ſeqq.

2. Princeps ille dotibus eximiis inſtructus erit. וְנָחָה עָלָיו *Quieſcet ſuper eo*, perpetuo ipſi aderit. Cf. Num. XI, 25. 2 Reg. II, 15. רוּחַ יְהוָֹה *Spiritus Jovae*, ſaepe dicitur de *afflatu divino*, de *inſtinctu et ardore, quo excitati vates et inflammati fundebant oracula, et futura praeſentire ſolebant*, ut a Noſtro infra XLII, 1. LIX, 1. LXI, 1. Cf. Reinhardi Diſſertat. ad Vs. 1. laud., in *Commentatt. Theologg.* P. I. p. 6. ſeqq. Chaldaeus: וְתִשְׁרֵי עֲלוֹהִי רוּחַ נְבוּאָה מִן קֳדָם יְיָ *et habitabit*, reſidebit, *ſuper eo ſpiritus prophetiae a Jova* ei impertitus. רוּחַ חָכְמָה וּבִינָה *Spiritus ſapientiae et intelligentiae.* Inter חָכְמָה et בִּינָה diſtinguunt ita, ut illud ſit lux et cognitio rerum, quae dicitur *ſapientia*, hoc vero judicium, quod ex hac ſapientia oritur, quo inter res discernimus, quod Graeci *διάγνωσιν* vocant, et Latini *intelligentiam* ſeu *prudentiam.* רוּחַ עֵצָה וּגְבוּרָה *Spiritus conſilii et fortitudinis.* Duo haec judici ſummopere neceſſaria ſunt, ut optimum ſcilicet conſilium ſequatur, neque inter deliberandum apparentibus rationibus cedat; et ut *fortitudine animi* vel *robore* ceteris ſuperior factus, quod ſtatuerit faciendum nulla difficultate territus conſtanter

ſtanter exſequatur. רוּחַ דַּעַת וְיִרְאַת יְהוָה *Spiritus ſcientiae et pietatis.* Haec duo, ne cum ſuperioribus, *ſapientia* et *prudentia*, confundamus, ad divinae legis cognitionem et ſcriptorum ſacrorum intelligentiam, et quae ex hujusmodi ſtudio et cognitione oriuntur, reverentiam, religionem, cultum, quae una voce יִרְאַת יְהוָה (cf. Prov. I, 7. et *Ziegleri* not. ad loc.) Hebraei ſignificant, referenda ſunt. דַּעַת, licet in genere univerſam ſcientiam denotet, tamen Malach. III, 1. et alias *cognitioni* voluntatis divinae ex ſcriptis ſacris tribuitur.

3. וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה Non conſentiunt interpretes in explicatione verbi הֵרִיחַ. Veterum nonnulli non inepte verterunt: *ſpiritu implere.* Ita LXX: *ἐμπλήσει αὐτὸν πνεῦμα φόβου Θεοῦ.* Vulgatus: *replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Saadias: ويلهمه, *inſpirabit eum.* Ii igitur extulerunt וֶהֱרִיחוֹ, Praeteritum Hiphil. An huc quoque referendus ſit Chaldaeus, qui vertit: וִיקָרְבִנֵּיהּ לְדַחַלְתֵּיהּ יְיָ, *et applicabit eum ad timorem ſuum Dominus*, dubium. Koppius ſuſpicatur, eum legiſſe וְהִקְרִיבוֹ. Verum quum alias fere ſemper textum Maſorethicum ſequatur, haud dubie noſtro quoque loco eundem expreſſit. Syrus: ܘܢܢܗܪ, *et fulgebit*, quaſi legiſſet וְהִזְרִיחוֹ. Sunt, qui הֲרִיחוֹ reddant, *reſpirare ejus*, collato Arabico أراح, *ſpirare*, ut totius inciſi ſenſus ſit: *reſpirare ipſius erit in, cum, timore Domini*, nihil niſi timorem, religionem ac pietatem ſpirabit. Ita et Herderus (*Geiſt der ebräiſchen Poeſie*, P. II. p. 433.): *ſein Athmen ſelbſt iſt in der Furcht Jehova's.* Sed הֵרִיחַ non alia niſi *odorandi*, *olfaciendi* ſignificatione occurrit, jungiturque res, quam quis odore percipit, vel praefixo אֶת, ut Geneſ. VIII, 21. XXVII, 27. et ſaepius, vel praepoſito בְּ, locis ſtatim indicandis. Hinc noſtra verba vertunt: *et odorari ejus timorem Domini*, i. e. imbutos Dei timore, pios, numquam fallente judicio nec illuſuris ſenſibus ab impiis diſcernet. Ut ſignificet vates, regem,

quem

quem canit, non fore judicem ignarum, ac nihil sentientem, qui indifferenter ferat bonosque malosque, sed sagacissimum hominum scrutatorem, piorumque amantissimum. *Odorari* et *olfacere* metaphorice accipiatur pro *praesentiscere*, seu *judicium ferre*, quod Latini dicunt *sagire*; unde *sagae anus*, et *sagaces canes*. Sic Job. XXXIX, 25. de equo dicitur, *eminus olfacit pugnam*; et Jud. XVI, 9. quod Simson *disruperit funes, sicut dissolvitur stupa, quando olfacit*, sentit, *ignem*. Opponitur ergo hoc judicio oculorum. Cicero loco haud uno jungit *indagare*, vel *investigare* et *odorari*. Vid. Joa. Eric. Bohne *Messias hominum pietatem odorans in Jes. XI, 3. succincta Commentatio*, Hannover. 1775. 4. §. 23. p. 19., ubi ea interpretatio jam a Vitringa proposita pluribus vindicatur. Eandemque adsciverunt et Lowthus atque Kocherus. Sed הֵרִיחַ cum ב constructum est *rem aliquam cum quodam voluptatis sensu odorari*. Sic Exod. XXX, 38. *Si quis sibi fecerit tale θυμίαμα*, לְהָרִיחַ בָּהּ, *ut eam odoretur*, vel, *ejus odore sese oblectet*. Levit. XXVI, 31. וְלֹא אָרִיחַ בְּרֵיחַ נִיחֹחֲכֶם, *non odorabor odorem fragrantiae vestrae*, sacrificiis vestris non delectabor. Amos V, 21. לֹא אָרִיחַ בְּעַצְּרֹתֵיכֶם, *non odorabor ferias vestras*, sacrificiis festis diebus a vobis oblatis non oblecto. Hinc nostra verba וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה hunc sensum habebunt: non nisi in sincero pietatis studio oblectamentum habebit; nemo civium suorum, nisi sit verus Dei cultor, gratiam apud illum obtinebit. וְלֹא־לְמַרְאֵה עֵינָיו יִשְׁפּוֹט וְלֹא־לְמִשְׁמַע אָזְנָיו יוֹכִיחַ *Neque ex oculorum adspectu judicabit, neque ex aurium auditu corripiet*, non ex signis externis judicium feret; non respiciet ad personam et ea, quae extra causam sunt.

4. וְשָׁפַט בְּצֶדֶק דַּלִּים *Justeque judicabit tenues, ut* Ps. LXXII, 2. 4. Multi particulam ו hic reddunt *sed*. Quamquam interdum hanc vim habet, hic tamen propriam suam potestatem retinere potest, ut vates a genere in speciem descendat. Si enim *non feret judicium*, nisi *dictante timore*

more Domini, nec judicia hominum curabit, sed, ut in lege scriptum est, *Dei judicium judicabit;* certe etiam pauperes a vi liberabit, et derelictorum erit patronus. וְהוֹכִיחַ בְּמִישׁוֹר לְעַנְוֵי־אָרֶץ *Inopibus terrarum ex aequo jus dicet.* הוֹכִיחַ respondere verbo שָׁפַט, in membro priori (cf. supra not. ad II, 4.) et עַנְוֵי־הָאָרֶץ *τοῖς* דַּלִּים, docet membrorum parallelismus in toto hoc carmine diligenter observatus. וְהִכָּה־אֶרֶץ בְּשֵׁבֶט פִּיו *Et percutiet terram oris sui baculo.* Per *terram* haud dubie intelligendi sunt *impii,* ut ex membro sequenti, eundem sensum verbis aliis exprimente, apparet. Non eget armis ad profligandos hostes, sufficiet vel *verbum oris.* Id enim significatur dictione בְּשֵׁבֶט פִּיו. Eodem sensu Arabes suum عَصًا sumere solent. In Lexico enim, cui *Camus,* i. e. Oceani nomen, inter cetera exponitur per أَدَب et لِسَان, quorum illud *castigationem,* hoc *linguam* denotat. Cf. Prov. XIV, 3. et Schultensium ad eum locum. Non igitur necesse est, ut cum Hubigantio, quem et Lowthus sequitur, vertamus: *spiritu, halitu, oris sui;* quasi שֵׁבֶת scriptum esset, nomen a נָשַׁב *flavit, spiravit.* Quod Alexandrini exhibent, *τῷ λόγῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ,* et Chaldaeus, בְּמֵימַר פּוּמֵיהּ, *verbo oris sui;* quam utramque interpretationem pro sua tanquam testes adducis Hubigantius, nil probat. Simplicem sensum expresserunt pro metaphorico. Nam et quae sequuntur, *et spiritu oris sui occidet impium,* eodem modo libere idem Chaldaeus vertit: *et eloquio labiorum suorum* (בְּמַמְלַל סִפְוָתֵיהּ) *occidet armillum* (אַרְמִילוּס, immanis ac ultimus Judaeorum hostis atque adversarius, de quo vid. Buxtorfii *Lexici Chald.* p. 221. seqq.) *impium.* Ut taceam, verbum הִכָּה aptius congruere *baculo,* quam *flatui* seu *halitui;* cf. Jerem. XVIII, 18.

5. Justitia et fide instructus erit. Civibus suis semper ut justissimum fidelissimumque regem sese exhibebit. אֵזוֹר, *Cingulum,* indicat hic arctissimam conjunctionem; q. d. vir-

virtutes illae tam arcte ei adhaerebunt, quam cingulum corpori, quod numquam deponit. Eaedem loquutiones in eundem sensum adhibentur Jerem. XIII, 11. Ps. CIX, 19. Job. XXIX, 14. אֱמוּנָה *Constantia*, veritas, firmitas, scilicet promissa seu pacta servans, ut XXV, 1. XXXIII, 6. Pro אזור in membro posteriori Lowthus legere mallet חֲגוֹר, ne ταυτολογία his verbis inesset. Verum saepius Jesajas iisdem utitur vocibus in uno commate; e. c. XV, 8. XVI, 7. XVII, 12. 13. Symmachus quoque suum περίζωμα repetiit. Ceteri interpretes paullo liberius synonymis utuntur.

6. וְגָר זְאֵב עִם־כֶּבֶשׂ *Tunc commorabitur lupus cum agno*, juxta agnum. Id ipsum in aurei seculi descriptione legitur infra LXV, 25. Inimicitiae omnes finitae erunt, adeo ut belluae feritatem depositurae sint. Opus enim justitiae est pax. Tanta igitur erit illius temporis aequitas et justitia, ut, si fieri posset, animalia invicem adversa simul pastum itura essent. Poetae Orientales recentiores, cum effectus justitiae et aequitatis describere volunt, similes imagines adhibent. Veluti Ibn Onein, Poeta Arabs, apud Jones in *Commentar. Poeseos Asiat.* p. 380.

Justitia, a qua mansuetus fit lupus fame astrictus
Esuriens, licet hinnulum candidum videat.

Et Ferdusi, Persarum nobilis poeta, apud eund. ibid.

Rerum Dominus, Mahmud, rex potens,
Ad cujus aquam potum veniunt simul agnus et lupus.

Romani poetae iisdem imaginibus sunt usi in aureae aetatis felicitate describenda. Sic Virgilius *Eclog.* IV, 21.

Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera; nec magnos metuent armenta leones.

Et paulo post:

Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet — — — — — —

Et *Eclog.* V, 60.

Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur, amat bonus otia Daphnis.

Sic

Sic et Claudianus, in Proleg. Lib. II. de *raptu Proserpinae*, ubi describit effectum lyrae Orphei alterius, post Herculem, orbis pacificatoris (Vs. 25. seqq.):

Securum blandi leporem fovere molossi,
Vicinumque lupo praebuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum tigride damae,
Massylam cervi non timuere jubam.

Sed ante eos Theocritus *Idyll.* XXIV, 84. in vaticiniis de tempore, quo pacatus foret orbis ab Hercule:

Ἔσται δὴ τοῦτ' ἆμαρ, ὁπηνίκα νεβρὸν εὐνᾷ
Καρχαρόδων σίνεσθαι ἰδὼν λύκος οὐκ ἐθελήσει.

Erit ille dies quando hinnulum in suo strato lupus, dentibus serratis, videns laedere nolet. וְנָמֵר עִם־גְּדִי יִרְבָּץ *Et pardus juxta hoedum cubabit.* Cf. infra XXXV, 9. נָמֵר est *pardus*, coll. rad. Arab. et Samar. נָמַר, *variegatus fuit*; et Jerem. XIII, 23. *An mutat Aethiops pellem suam,* וְנָמֵר *et pardus maculas suas?* Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. C. VII. T. II. p. 100. ed. Lips. וְעֵגֶל וּכְפִיר וּמְרִיא יַחְדָּו *Et vitulus, leunculusque atque pecus saginatum una* erunt, sine antipathia atque discordia. De מְרִיא vid. not. ad I, 11. וְנַעַר קָטֹן נֹהֵג בָּם *Et puer parvus ducet ea,* XX, 4. LX, 11. Exod. III, 1. Hieronymus: „Haec Judaei et nostri Judaizantes juxta literam futura contendunt, ut in claritate Christi, quem putant in fine mundi esse venturum, omnes bestiae redigantur in mansuetudinem, et pristina feritate deposita lupus et agnus pascantur simul, et cetera cum ceteris, quae nunc videmus sibi esse contraria. Quae interrogare debemus, si omnia praesentia loci sic accipiuntur, ut scripta sunt, et nihil refertur ad intelligentiam spiritualem, juxta illud Apostoli, qui ait: *Benedictus Deus, et pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo,* ergo et radix et virga, et flos non referantur ad sensum, terraque percussa verbo Dei, et interfectus impius spiritu labiorum ejus sic intelligantur, ut scripta sunt, et docere cogantur, quomodo

rebus

rebus incorporeis, juſtitia et veritate, renes Domini circumdentur? Sed et hoc eos interrogemus, quid dignum ſit Domini majeſtate, ut lupus et agnus paſcantur ſimul, et pardus cum hoedo accubet, et leo paleas comedat, et puer parvulus mittat manum ſuam in foramine aſpidum? Niſi forte juxta fabulas poetarum aureum nobis Saturni ſeculum reſtituent, in quo lupi et agni paſcentur ſimul, et mulſo vino plena current flumina, et de foliis arborum ſtillabunt mella dulciſſima, lacteisque fontibus omnia complebuntur. Quodſi reſponderint, pro beatitudine temporum haec futura, ut absque cujusquam noxa homines bonis omnibus perfruantur, audiant a nobis, nihil eſſe bonum niſi virtutem, et nihil malum, niſi vitium." Sed cf. Ezech. XXXIV, 25. et ad eum loc. not., nec non ad Ezech. XXXVI, 11.

7. וְאַרְיֵה כַּבָּקָר יֹאכַל־תֶּבֶן *Et leo, ſicut bos, veſcetur palea;* non amplius praeda laceratarum pecudum veſcetur. Cf. infra LXV, 25.

8. וְשִׁעֲשַׁע *Quia oblectabit ſeſe,* cf. nomen שַׁעֲשֻׁעִים *deliciae,* Prov. VIII, 30. 31. Pſ. CXIX, 24., et verbum infra LXVI, 12. et Pſ. XCIV, 19. עַל־חֻר פָּתֶן *Ad foramen aſpidis,* vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. III. C. V. T. III. p. 156. edit. Lipſ. De מְאוּרָה i. q. מְעוּרָה *caverna,* vid. ejusdem operis P. II. L. III. C. X. T. III. p. 189. צִפְעוֹנִי eſſe *Ceraſten,* oſtendit Bochartus *Hieroz.* P. II. Lib. III. Cap. IX. T. III. p. 182. Verterunt quoque ita Aquila (*βασιλίσκον*) et Hieronymus, *regulum* ponens. Cf. quae de hoc ſerpente notavimus ad Geneſ. XLIX, 17. הָדָה conferendum eſt cum Arabico هدي, *direxit;* hinc, *manum ſuam dirigere ad aliquid,* idem erit ac, eam extendere, porrigere.

9. לֹא־יָרֵעוּ וְלֹא־יַשְׁחִיתוּ *Non male afficient nec perdite agent,* ut prius ad injuſtitiam in alterum referatur, poſterius ad perditos cujusque mores, quod ſcilicet neque alios, neque ſe ipſos perdituri ſint. בְּכָל־הַר קָדְשִׁי *In toto monte meo ſancto,* Zione, i. e. Hieroſolyma; cf. ſupra II, 4.

Princeps terrae urbs, sacrorum et regiminis sedes, pro tota terra ponitur. כִּי־מָלְאָה הָאָרֶץ דֵּעָה אֶת־יְהוָה *Nam repleta est terra cognitione Jovae*, proprie τῷ *cognoscere Jovam*; sequitur nomen, tanquam Infinitivus, constructionem verbi, a quo descendit, ut Deut. I, 27. בְּשִׂנְאַת יְהוָה אֹתָנוּ *quia nos odit Jova.* V, 20. לְיִרְאָה אֹתִי, *ad timorem mei.* Similia vid. Deut. X, 11. Genes. XIX, 16. Num. X, 2. Hos. III, 1. Repleta erit terra sinceris Jovae cultoribus, כַּמַּיִם לַיָּם מְכַסִּים *sicut aquae mare operientes*, quae operiunt profunda maris. Eadem plane loquutio de re eadem adhibita occurrit Habac. II, 14.

10. Gentes exterae ad illum regem consultum venient. שֹׁרֶשׁ *Radix*, hic usurpatur de *surculo, qui ex radice pullulat.* Et infra quoque LIII, 2. Hos. XIV, 6. *radix* ponitur pro eo, quod ex radice germinat atque exoritur. Cf. Apoc. V, 5. XXI, 16. אֲשֶׁר עֹמֵד לְנֵס עַמִּים *Quae virga erit stans in signum populorum*; loquutio desumta a *vexillis* sive signis, quae in montibus aut altis quibuscunque locis eriguntur tempore necessitatis, aut imminentis alicujus periculi, ut ad ea concursus fiat. C. Arn. Boothii *Animadverss. SS.* L. I. C. VII. et Henr. Jac. Bashuysen Dissert. *de vexillo Messiae erecto inter gentes ad Jesaj. XI*, 10. Servest. 1717. J. D. Michaelis hanc imaginem desumtam esse arbitratur vel inde, quod arbores altae, cum solae stant, et eminus prospici possunt, iis, qui in regione circumjecta habitant, signo, quo conveniant, esse possint; vel inde, quod ejusmodi arbores, praesertim vetustae, sanctae essent, et oracula sub iis ederentur. אֵלָיו גּוֹיִם יִדְרֹשׁוּ *Ad eum gentes consultum ibunt.* דָּרַשׁ conjunctum cum אֶל sive בְּ significat *consulere aliquem religiose per modum oraculi*, a quo divina petuntur responsa. Vid. supra VIII, 19., coll. cum 2 Reg. I, 3. et infra LXV, 1. Cf. Kurivillii *Dissertat. de varia constructione verbi* דרשׁ, in ejus *Dissertatt.* a Michaele edit. p. 441. seq. גּוֹיִם, *gentes*, sc. exterae, barbarae, ut supra II, 3. 4. I, 4. LXIII, 3. 6. וְהָיְתָה מְנֻחָתוֹ כָּבוֹד *Et erit requies ejus gloria*, i. e.

i. e. gloria plena. Nam Substantivum כָּבוֹד hic usurpatur pro *adjectivo*, ut Ps. XXXIX, 6. *omnis homo vanitas*, הָבֶל, i. e. vanus; et 1 Sam. XXV, 6. *domus tua sit* שָׁלוֹם, *prosperitas*, i. e. prospera. Vide Glassii *Philol. S.* Lib. I. Tract. I. Can. VII. p. 19. seq. edit. Dath. Sensus igitur erit, locum, ubi rex ille habitaturus sit, palatium ejus, gloriosum fore; ita et Chaldaeus: *et erit locus mansionis in gloria.* מְנֻחָה enim *habitationem*, proprie, *locum quietis* designat. Unde Vulgatus vertit: *et erit sepulchrum ejus gloriosum.* J. D. Michaëlis pro מְנֻחָתוֹ legere mallet מִנְחָתוֹ, in quam cogitationem jam incidit Forerius, cujus verba haec sunt: „mallem tamen lubentius efferre מִנְחָה, i. e. *donarium*, seu *donum*, quod homini aut Deo honoris caussa offertur; *oblationem Deo factam* significat Genes. IV, 4. 5. de *donario* autem *homini facto* Genes. XXXII, 14. XLIII, 15. Ex quibus locis, aliisque quamplurimis intelligitur, consuetum fuisse, deferre regibus ac principibus, illisque quibus placere vellent, munera atque donaria. Dicerem ergo, et hic esse sermonem de *muneribus gloriosis*, quae gentes exterae regi illi pio et justo afferrent." Sed sine necessitate sollicitatur, quod in omnibus libris legitur. Nec ullus ex interpretibus veteribus se aliter legisse innuit.

11. Altera vice Jova liberabit populum suum ex captivitate. Alludit hic noster ad liberationem populi Israelitici ex Aegypto; hinc utitur quoque verbo קָנָה, proprie *aliquid sibi comparare*, sive *pretio* id fiat, sive *manu*, sive *vindiciis*, quibus quis quid vindicat ut suum; et hoc significatu *de vindicatione ex hostibus* hoc verbum usurpat Moses, Exod. XV, 16., ubi liberationem populi ex Aegypto canit: *usque quo transiret* עַם־זוּ קָנִיתָ *populus, quem tibi comparasti*; et Ps. LXXIV, 2. de eadem re: *Recordare gentis tuae, quam pridem* קָנִיתָ, *tibi comparasti, tribus hereditatis tuae, quam* גָּאַלְתָּ *vindicasti.* וּמִמִּצְרַיִם *Et ex Aegypto.* Multi enim Judaei in Aegyptum profugerant; vid. Jer. XLI. XLII. De פַּתְרוֹס vid. ad Genes. X, 14. De כּוּשׁ vid. ad Genes. X, 7.

De עֵילָם vid. ad Gen. X, 22. De שִׁנְעָר vid. ad Gen. X, 10. De חֲמָת vid. ſupra ad Cap. X, 9. אִיֵּי הַיָּם proprie *regiones maris* (de אִיִּים vid. ad Gen. X, 5.), i. e. littora. Michaelis hanc dictionem intelligit de littoribus Palaeſtinae ſeptentrionalibus, ſive de Europa et Aſia minore. Sed *omnes* omnino *terrae et regiones remotiores Palaeſtinae ad occidentem ſitae*, praeſertim inſulae et orae Graeciae illa dicendi formula ſignificantur, ut infra XXIV, 14. vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 371. Veriſſime ad hunc locum Doederlein monet: „nolim de Judaeorum converſione religioſa et univerſali, quam vocant, intelligere, nec ad Chriſtianam aeram transferre locum, qui totus figuratus eſt, et vario ſub emblemate felicem reipublicae Judaicae ſtatum depingit, internis disſidiis pacatis, hoſtibus ſubactis, exulibus in patriam, nova quaſi ex Aegypto liberatione, deducendis. In provincias, quas memorat, ſine dubio tunc jam multi Iſraelitarum translati erant." Cf. Argument. ad hoc vaticinium p. 405.

12. נָשָׂא נֵס *Signum extollet.* Deſumtum a more imperatorum, qui collecturi milites ſignum ſive vexillum ponunt in colle aut monte, ad quod copiae confluant. Caesar *de Bello Gall.* Lib. II. Cap. X.: *Caeſari omnia uno tempore erant agenda. Vexillum proponendum, quod erat inſigne, cum ad arma concurri oporteret.* Ammianus in *Hiſt. Valentin.* Lib. XXVII. Cap. X. *Signis ilico fixis ex more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio principis et ductorum ſtetit regibilis miles.* נִדְחֵי יִשְׂרָאֵל *Pulſos Iſraelis*, i. e. Hebraeos, e decem tribubus quaquaverſum disjectos per vicinas et remotiores gentes. נְפֻצוֹת ſc. נְפָשׁוֹת, *animas*; ſive, ut Clericus vult, מִשְׁפָּחוֹת, *familias*. Poſitum tamen eſſe poteſt h. l. abtractum pro concreto, ut ſaepiſſime alias. מֵאַרְבַּע כַּנְפוֹת הָאָרֶץ *E quatuor alis*, regionibus, *terrae*, ut infra XXIV, 16.

13. וְסָרָה קִנְאַת אֶפְרַיִם *Recedetque*, abolebitur, *aemulatio Ephraimi.* Adſcribere viſum, quae Vitringa ad h. l. habet

habet de caussis et progressu hujus aemulationis. „Constat ex historia Gentis Judaeae, *Ephraimitas* sibi jam ab initiis reipublicae fere primas tribuisse inter Israelis posteros, atque adeo facile, etiam temporibus *Judicum*, exarsisse, si quid majoris consilii et operis absque se gereretur; cujus *aemulationis* argumenta sunt in historia Gideonis Jud. VIII, 1, et Jephtae, Jud. XII, 1. Sic enim recte verto vocem קִנְאָה, quae idem hic valet, quod in simili casu Graecorum ζῆλος, et quid minus quam φθόνος. Est enim hoc in loco aemulatio, quae inter pares nascitur ex ambitione, qua quisque sibi plurimum cum deberi censeat, tribui vult: cujus *ambitionis* in Ephraimitis hae haud dubie fuerunt caussa. α) Quod cum *Manassitis* et *Benjaminitis* quoque, quos sibi primo tempore accensebant, ut patet ex historia Simei 2 Sam. XIX, 20. (quia nimirum Josephus et Benjamin eadem geniti erant matre), maximam et florentissimam Israelitarum partem facerent. β) Mediam et munitissimam partem Judaeae, inter Judam et reliquas tribus, late occuparent. γ) Per Josuam, Nunis filium, qui Ephraimo ortus erat, imperium in reliquas tribus obtinuissent et magna iis procurassent commoda. δ) Ipsum quoque Sanctuarium *Silunte* longum tempus in ditione sua habuissent, et conventus sive comitia populi publica in dubiis casibus ibidem loci celebrata essent. Quibus moti rationibus quum Saulem regem, veluti a Deo electum, et suae quodammodo gentis, tolerassent: aegre et non nisi sero se subjecerunt Davidi, Juda orto, et post Absalomi rebellionem, ad ipsum invitum redierunt. Etsi vero nullam invenerint occasionem se movendi et statum reipublicae turbandi sub Salomone, ob vim et robur imperii omnimodo florentis; tamen ipso fatis functo, erupit *aemulatio* Sichemi, Ephraimiticae ditionis oppido; et quum Rehabeamus ipsorum non satisfaceret desideriis, oblata Jeroboamo, Ephraimitae (1 Reg. IX, 26.), est occasio, *decem tribus* avellendi a *Juda*, cui permixti erant Benjaminitae, et alterum inter Jacobi posteros fundandi regnum, aemulum et regno domus Davidis adversarium; in quo quum praeva-

lerent

lerent Ephraimitae, in quorum ditione erat sedes regni, passim in Prophetiis populus hujus regni Ephraim et Israel dicitur, *Judae* contradistinctus, ut omnibus notum. Ab illo autem tempore rara inter duos hos populos pax erat et concordia; sed flagrarunt utrinque aemulatione et invidia, quae cum tempore vertit in odium acre; unde bella, in longum protracta, subinde a Deo aut mutuo metu repressa, subinde etiam cum mutuis cladibus palam gesta." Haec Vitringa. Cf. J. D. Michaelis *Jus Mosaic.* §. 47. Promittit igitur hic vates, dissidium istud triste, quod reipublicae effecit perniciem, cessaturum esse in republica restituta. Verba צֹרְרֵי יְהוּדָה יִכָּרֵתוּ plerique vertunt: *hostes Judae exscindentur.* Minus apte; nam in hoc Versu de aemulatione inter Judaeos et Ephraimitas sermo agitur. Rectum vidit A. Schultens, qui in *Animadverss. philolog.* ad h. l. verba nostra vertit, *invidi ex Juda delebuntur.* Nempe צֹרֵר, et יָצֹר, in membro posteriore, refert ad Arabicum ضَرّ, in III. ضَارّ, *zelotypus fuit,* unde ضِرَار et ضَرِير atque مُضَارَّة, *zelotypia.* Quemadmodum autem Hos. XIII, 2. זֹבְחֵי אָדָם sunt *sacrificantes inter homines* sive *ex hominibus*; supra apud nostrum III, 3. חֲכַם חֲרָשִׁים *sapientes inter artifices* sive *sapientes artifices,* infra XIX, 19. אֶבְיוֹנֵי אָדָם *mendici hominum* sive *mendici homines;* ita et hic צֹרְרֵי יְהוּדָה erunt *invidi ex Juda.* Ita utrumque hemistichium accurate inter se respondet. לֹא־יָצֹר *Non oppugnabit,* non afficiet noxa (cf. Num. XXV, 17.) ex invidia. Idem sperat Ezechiel XXXVII, 22.

14. Verba וְעָפוּ בְכָתֵף פְּלִשְׁתִּים יָמָּה Veteres varie interpretati sunt. LXX: Καὶ πετασθήσονται ἐν πλοίοις ἀλλοφύλων· θάλασσαν ἅμα προνομεύσουσι. Divulserunt יָמָּה a superioribus, atque ita verterunt, quasi legissent יָם; per *humerum* vero Philisthaeorum intellexerunt eorum et Phoenicum naves. Eodem modo Abarbenel: „*et volabunt humero*

mero Philisthaeorum; quo designantur naves Philisthaeorum, Genuensium et Venetorum, quae adducent Israelitas ex Occidente in Orientem." Idem intellexisse videtur Hieronymus: *et volabunt in humero Philisthaeorum per mare.* Naves enim in omnibus fere linguis *volare* per mare dicuntur. Chaldaeus: וְיִתְחַבְּרוּן כְּתַף חַד לְמִמְחֵי פְּלִישְׁתָּאֵי דִּי בְּמַעְרְבָא *et conjungentur humero uno ad delendum Philisthaeos, qui sunt in Occidente.* Sumsit igitur כָּתֵף pro כָּתֵף אֶחָד, ut Zeph. III, 9. *ut colant illum Dominum* שְׁכֶם אֶחָד *humero uno,* i. e. uno consensu. Syrus: *arabunt,* ut est in Latina interpretatione (ܢܦܠܚܘܢ) *humero Philisthaeorum.* Sed vertendum est, vere monente Gesenio, *militabunt.* Verum eleganter dixit vates *involabunt in humeros Philisthaeorum* Judaei et Ephraimitae; subitaneo et celeri motu, instar avium rapacium, invadent Philisthaeos a tergo. Apte h. l. de regione, quam Philisthaei tenebant, ad mare sita, nomine כָּתֵף *utitur,* quod de ora maritima et Num. XXXIV, 11. usurpatur. Ceterum nominis forma absoluta hic posita est pro כֶּתֶף status regiminis; cf. Gesenii *Lehrg.* p. 668. יָמָּה *Mare* i. e. occasum *versus,* ut Gen. XXVIII, 14. Exod. XXVI, 22. Cf. supra IX, 11. יָבֹזּוּ אֶת־בְּנֵי־קֶדֶם *Simulque depraedabuntur filios Orientis,* i. e. Orientales, בְּנֵי־קֶדֶם Arabes et Ismaelitae, vid. Job. I, 3. Jerem. XLIX, 18. Ezech. XXV, 4. אֱדוֹם וּמוֹאָב מִשְׁלוֹחַ יָדָם *Edom et Moab immissio manus eorum* erunt, Idumaeis et Moabitis manus adferent. שָׁלַח יָדַיִם sequente בּ, *mittere manus in aliquid,* de prehensione et invasione hostili usurpari, notum; vid. e. c. Ps. LV, 21. Expeditiones facient in Idumaeorum et Moabitarum fines; eos spoliabunt opibus et divitiis. בְּנֵי עַמּוֹן מִשְׁמַעְתָּם *Filii Ammon obedientia eorum* erunt, i. e. ad nutum parati et obedientes. מִשְׁמַע abstracte positum pro iis, qui praesto sunt ad nutum et imperium, ut 2 Sam. XXII, 14. XXIII, 23. Ammonitas suae ditionis facient. De utroque populo, Ammonitis et Moabitis, vid. *Handb. d. bibl. Alterthumskunde* Vol. III. p. 37. seqq. et p. 49. seqq.

15. וְהֶחֱרִים יְהוָה אֵת לְשׁוֹן יָם־מִצְרַיִם *Itemque exsiccabit Jova linguam maris Aegypti,* qua utrum vates *Nilum* intelligat, an *sinum Arabicum*, dissentiunt interpretes. Prius illud Vitringa contendit, his maxime rationibus permotus: *primum*, quod *lingua haec maris* respondeat Euphrati; *deinde* quod Zacharias in vaticinio, nostro plane simili Cap. X, 11. *Nilum*, ut symbolum regni Aegyptiaci opponit *Euphrati*, signo Babylonici; *tum*, quod *Nilus* infra Cap. XIX, 5. *mare* vocatur. Nos cum interpretibus longe plerisque intelligimus *sinum Arabicum*. In toto enim hoc vaticinio respicit vates ad eductionem Israelitarum ex Aegypto. Et *lingua maris* alias quoque de *sinu maris* sumitur, angustiore scilicet, et in linguae formam desinente. Ponunt ita suum لسان geographi Arabum, Mare Arabicum quum in duos sines angustiores desinat, Heroopolitanum et Aelaniticum; Abulfeda *Tab. Aeg.* p. 10. edit. Michaelis Heroopolitanum vocat لسان البحر *linguam maris inter Tor et Aegyptum:* idemque p. 30. num. 62. sinum per quem transierant Israelitae, اللسان الغربي *linguam occidentalem*. Hebraei vero Jos. XV, 2. 5. XVIII, 19. לָשׁוֹן ponunt etiam de septentrionali maris mortui *sinu*, ubi Jordanes in illud influit. הֶחֱרִים sunt qui vertant: *anathemate percutiet.* Ita Aquila, Symmachus, Theodotio, approbante Gesenio, qui poetice hoc dictum censet, quod mare devotioni datum a Deo exsiccatum fuerit, quemadmodum alias mare a Jova *increpatum* (מִגְּעַר) exsiccari dicitur, vid. Ps. CVI, 9. Nah. I, 4. Jesaj. L, 2., coll. infra XXXIV, 2. Sed quum הֶחֱרִים nec *increpare*, nec *exsecrare*, verum *internecioni devovere* significet, id vero de flumine exsiccando nec in poesi commode dicatur; non dubito הֶחֱרִים hic positum esse pro הֶחֱרִיב, *siccavit;* vid. infra XIX, 5. Job. XIV, 11. Litterae ב et מ, utpote labiales, saepe inter se permutantur, vid. supra ad III, 20. *Exsiccabit* reddiderunt quoque Syrus et Chaldaeus. וְהֵנִיף יָדוֹ עַל־הַנָּהָר בַּעְיָם רוּחוֹ *Et movebit manum suam super*

ſuper flumine cum vehementia ſpiritus ſui. Sub נָהָר hic non eſt intelligendus *Nilus*, multo minus *Jordanes*; ſed *Euphrates*. Is enim ſaepiſſime נָהָר κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur, quod ſatis notum; vid. ſupra VII, 20. VIII, 7. *Nilus* contra, quem haud pauci interpretum hic intellexerunt, occurrit nomine יְאֹר, Geneſ. XLI, 1. Exod. I, 2., vel נַחַל, Num. XXXIV, 5. 2 Reg. XXIV, 7., vel שִׁחוֹר, infra XXIII, 3. Appellat quidem noſter *Nilum* quoque נָהָר infra XIX, 5., et Geneſ. XV, 18. idem fluvius vocatur נְהַר מִצְרַיִם; ſed poſterius reſtringitur ad ſubjectum, et prius fit in vaticinio de Aegypto, ubi nemo errare poteſt in diſcernenda vocis ſignificatione. Vocabulum ἅπαξ λεγόμενον עָיָם *vehementiam*, *impetum*, interpretor, partim flagitante contextu, partim veterum auctoritate. LXX: πνεύματι βιαίῳ, Syrus: ܒܥܘܫܢܐ ܕܪܘܚܗ *poteſtate venti ſui*, Vulgatus: *in fortitudine ſpiritus ſui*. Abul-Walid quoque in Lexico inedito בְּעָיָם רוחו interpretatur, Geſenio referente, بقوة ريحه *fortitudine venti ejus*, ע cum א permutato, ut עָיָם ſit i. q. אָיֹם *formidabilis* Habac. I, 7. Saadias بسخونه, *calore venti ſui*. Sed Chaldaeus: בְּמֵימַר נְבִיוֹהִי *verbo prophetarum ſuorum*. Erravit Dathius, Arabicum علم *vehementiam* denotare perhibens, teſtemque adducens Caſtellum in Heptaglotto. Invenitur quidem in Caſtello ſub verbo علم (pro غيم), *cupivit*, *appetivit*, pec. *vehementius*; hinc, *ſitivit*; et غيم, *appetitus*, pec. vehementior; verum inde nullo modo ſequitur vocem illam *vehementiam* denotare. Quum Syriacum ܥܝܡܐ, et Arabicum غيم *nubem* ſignificet; J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. V. p. 168. et in *Supplemm.* p. 1891. verba noſtra vertit *nube venti*, intelligitque *turbinem* illum, cum tempeſtate conjunctum, quem nautae *Waſſerhoſe* vocant. Placuit id quoque Doederlinio. Sed recte monuit Dathius: „in hac explicatione id dubii mihi in-

insprimis restat, quod effectus hujus עַיָם h. l. debet esse divisio et exsiccatio fluminis; quam non nemini me legere esse effectum illius tempestatis, quam Michaelis indigitatam putat.“ Ceterum hic vates respicit ad id, quod factum est in aquis sinus Arabici, vehementi vento, a Deo excitato, disjectis, et in partes sissis, Exod. XIV, 21. וְהִכָּהוּ לְשִׁבְעָה נְחָלִים *Percutietque illud* flumen ut *in septem* dividatur *fluvios*, i. e. in plures alveos, ita numerus septenarius supra IV, 1. Levit. XXVI, 18. 21. Percusso Euphrate efficietur via facilis et expedita Israelitis redituris ex Assyria, ut olim egressuris ex Aegypto. נַחַל proprie est *torrens*, qui per vallem aut locum depressiorem decurrit, et aestate exsiccat; hinc *rivus*, *canalis*. Est autem metaphora desumta a majoribus fluminibus, quae, aquis in alveos manufactos deductis, exsiccantur, cujusmodi exemplum Herodotus *Hist.* Lib. I. c. 189. refert editum esse a Cyro in Gynde, amne Assyrio, qui supra Choaspen influit in Tigrin; qui fluvius cum expeditionem ejus adversus Babylonem moraretur, et sacrorum equorum aliquem absorpsisset, magni regis provocavit indignationem, ita ut minatus sit, superbum hunc fluvium, a quo injuria erat affectus, *οὕτω δὴ μιν ἀσθενέα ποιήσειν*, *tam tenuem redditurum esse*, *ut a mulieribus transiri possit*, quod ita effecit, ut eum in trecentos et sexaginta rivos deduxerit. וְהִדְרִיךְ בַּנְּעָלִים *Viam faciet transeundi calceis*, scil. unicuique; subaudiendum est דֶּרֶךְ; ut vado transiri possit, tanquam vel totus, vel majorem partem exsiccatus; sicut olim Hebraei per Jordanem transiverunt, Jos. III, 17.

16. De מְסִלָּה vid. ad Num. XX, 19. Non aliter reducetur populus in patriam, a qua depulsus fuerat, ex Assyria, quam olim in illam deductus fuerat. Eodem illum Jova et complectetur studio, et afficiet beneficio, quo jam antea dudum, eo die, quo ex Aegyptia tyrannide liberavit.

Cap.

Cap. XII, 1. Quia proxime dixerat, Assyriacam liberationem similem fore Aegyptiacae, nunc ostendit, liberatos ex Assyriaca servitute carmen cantaturos relicto Euphrate, quale ex Aegypto in libertatem vindicati quondam mari Arabico trajecto cecinere. אוֹדְךָ יְהוָה *Laudabo te, Jova!* Cf. infra XXV, 1. כִּי אָנַפְתָּ בִּי *Nam iratus* quidam *mihi fuisti*, 1 Reg. VIII, 46. Pf. LX, 3. Chaldaeus addit: *quia peccaveram coram te.* יָשֹׁב אַפְּךָ Nunc tamen *convertit se*, recedit *ira tua*, cf. IX, 20. וּתְנַחֲמֵנִי *Et consolaris me*, XLIX, 13. LXVI, 13.

2. אֵל יְשׁוּעָתִי *Deus salus mea*, ut infra XXV, 9. XXXIII, 2. Pf. LXII, 2. 3. 7. Quum sit mihi salutaris Deus, אֶבְטַח וְלֹא אֶפְחָד *confido, nec metuo*, intrepidus confido. עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ *Laus mea et carmen* est *Jah*, ex carmine Mosis Exod. XV, 2., ad cujus similitudinem hicce hymnus est compositus. Repetitur eadem formula Pf. CXVIII, 14. Utrobique scribitur perinde ac nostro loco וְזִמְרָת pro וְזִמְרָה, ut פֹּרָת, *frugifera*, pro פֹּרָה Genes. XLIX, 22. bis, עֶזְרָת pro עֶזְרָה, *auxilium*, Pf. LX, 13. CVIII, 13., שְׁנָת, *somnus*, pro שְׁנָה, Pf. CXXXII, 4. וְזִמְרָתִי legitur in codice Kennicottiano uno, et expressum est in versionibus omnibus antiquis. עֹז h. l. est *gloria, laus*, ut Pf. VIII, 3. (ubi LXX αἶνον), XXIX, 1. 1 Chron. XVI, 27. כִּי hic est *certe, omnino, vere*, vox asseverationis, quae facit ad confirmandam sententiam, vid. supra VII, 9. Thren. IV, 18. Hos. VII, 6. יָהּ *Jah*, nomen Dei, haud pauci putant ex יְהוָה quasi per crasin aut per syncopen decurtatum. Cui sententiae tamen potissimum hoc obstat, quod et hoc loco, et infra XXVI, 4. יְהוָה additur. Alia obvertit Coccejus in Lexico refertque nomen יָהּ ad יָאָה, *pulcher, decorus fuit*, duabus syllabis in unam contractis, facta compensatione per Mappik, ut est in נֹהּ, *lamentatio*, a נָהָה, *lamentatus est*. Hinc יָהּ יְהוָה esset *excellentia, gloria Dei*. Conferunt Jerem. X, 7. *Quis te non revereatur*, כִּי לְךָ יָאָתָה, *quia tibi est decus*, εὐπρέπεια. Saadias pro יָהּ ponit أزلي, *aeternus*. In duobus codicibus Ken-

Kennicottianis יָהּ omittitur, et una tantum vice Domini nomen exhibent LXX, Vulgatus, Syrus. Hinc Dathio et Doederlinio non improbabilis videtur Hubigantii suspicio, יָהּ esse σφάλμα, ortum ex consuetudine scribarum, qua in fine lineae, quae vocem sequentem integram non capiebat, duas tresve saltem litteras ponebant, et in linea sequenti repetebant, quae litterae deinde ab alio scriba imperito pro nova voce habitae et textui insertae sunt. Affert quoque Hubigantius exemplum ex Codice sic scripto; atque in libris antiquis Basileae impressis, e. c. Munsteri Bibliis, aliisque, id ipsum licet observare. Quod confirmat De-Rossius exemplo ex codice aliquo a se collato. Nos tamen minime dubitamus, יָהּ esse genuinum. Videtur ortum esse ex Aegyptiaco ΙΑΩ, secundum quod nomen יְהוָֹה formatum esse, notum. Cf. Michaelis *Supplemm.* p. 525. 526. Alias conjecturas vid. in Simonis *Onomast.* p. 521. seq. Quod h. l. additur, יְהוָֹה, in Mosaico carmine Exod. XV, 2., ex quo verba nostra desumta sunt, non legitur, omittiturque in *octo* codicibus Kennicottianis et *novem* De-Rossianis, nec non in duobus libris impressis Seculi XV. Quare De-Rossi ad h. l. dicit: „si una tantum vice (nomen Domini), ut videtur, legendum, ego omissionem posterioris, seu יְהוָֹה praetulerim, quae majorem habet in MSS. codd. auctoritatem; legens וזמרתי יה, vel וזמרתיה contractum, eodem sensu."

3. וּשְׁאַבְתֶּם־מַיִם בְּשָׂשׂוֹן מִמַּעַיְנֵי הַיְשׁוּעָה *Et haurietis aquas cum gaudio e fontibus salutis*, omnibus curis molestiisque soluti, gaudia capietis summa. Alludit ad petram Mosis virga percussam, ex qua copiosus erupit fons aquae dulcissimae, quam populus urente siti anhelans cum gaudio bibit; Exod. XVII, 1. seqq. Alii ad ritum quendam festi Tabernaculorum aquae hauriendae e fonte Siloa, ejusdemque cum magna pompa et hilaritatis demonstratione, vino mixtae a sacerdote in altari effundendae, respici existimant. Vid. Adr. Preussmanni Dissert. *de fontibus salutis ad Jes. XII,*

XII, 3. Gissae, 1696. et J. H. Maii, Fil., *Dissert. epistolica de haustu aquarum e fontibus salutis ex illustri loco Jes. XII*, 3., quae legitur ad calcem libri, qui inscribitur: *Jura Fimbriarum a R. Mose Ben Maimon descripta, latine reddita atque notis illustrata* a J. H. Maio, Fil., Francof. ad Moen. 1710. Cui add. Auctoris *Observatt. SS.* L. II. p. 107. seqq. edit. sec. Verum ritus ille, cujus in Talmudico Tractatu *Succah*, i. e. de festo tabernaculorum, fit mentio, num jam vatis nostri tempore receptus fuerit, perquam incertum est. Chaldaeus interpres hisce verbis arcanum sensum inesse opinatus est, quem hoc modo expressit: *et suscipietis doctrinam novam cum gaudio ab electis justorum.*

4. הוֹדִיעוּ בָעַמִּים עֲלִילֹתָיו *Divulgate inter populos magna ejus facinora sua* eximia, quo sensu nomen עֲלִילָה et Ps. LXVI, 5. de Deo usurpatur. Eadem verba leguntur Ps. CV, 1. 1 Paral. XVI, 8. הַזְכִּירוּ כִּי נִשְׂגָּב שְׁמוֹ *Commemorate* etiam aliis, *quod nomen ejus excelsum* sit, ejus tam sublime celebrate!

5. גֵאוּת *Excellentiam*, i. e. res praeclaras et egregias fecit. מוּדַעַת זֹאת *Notum* fiat *istud* in tota terra, Participium Hophal. Quae in textu scriptae sunt literae (τὸ כְּתִיב) efferendae מְיֻדַּעַת, participium Pyal, sensu eodem.

6. יוֹשֶׁבֶת צִיּוֹן *Habitatrix Sionis*, tu, quae Sionis arcem civitatemque Hierosolymitanam habitas, Hebraeorum populus et Jerem. LI, 35. nuncupatur. כִּי־גָדוֹל בְּקִרְבֵּךְ קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Nam magnus* est, magnum et potentem sese exhibuit *in te Venerandum Israelitarum* numen.

Cap. X, 5. *Vae Assyriis, virgae irae meae! Et qui est in eorum manibus iracundiae meae fustis est.*

6. *Quem ego ad impuram gentem mittam, quem ad populum cui infensus sum mandabo, ut spolia auferat,* prae-

praedamque diripiat, illumque ut vicorum lutum conculcandum faciat.

7. *Quamquam ipse non sic arbitrabitur, neque sic animo cogitabit, sed perdere et gentes non paucas exscindere habebit in animo.*

8. *Dicet enim: nonne proceres mei omnes sunt reges?*

9. *Nonne item experta est Calne quod Carchemisch? aut Hhamatha, quod Arpad? aut Samaria quod Damascus?*

10. *Quum mea manus potita sit regnis deorum, quorum dii fortiores sunt Hierosolymitanis et Samaritanis.*

11. *Nonne quod Samariae ejusque divis feci, idem et Hierosolymae ejusque statuis faciam?*

12. *Enimvero postquam Dominus suum opus omne in monte Zione et Hierosolymae absolverit, animadvertam in fructum fastuosi animi regis Assyriae, et in gloriationem supercilii ipsius.*

13. *Qui quidem ita dicat: ego meae manus viribus, meaque sapientia atque prudentia effeci, ut sublatis populorum terminis paratas ab ipsis opes diriperem, et ut fortis secure sedentes deturbaverim.*

14. *Manu mea populorum opes tanquam nidum nactus, quomodo relicta colliguntur ova, sic omnes ego terras collegi, nullo vel alam movente, vel aperte stridente rostro.*

15. *Securisne gloriabitur adversus eum, qui secat ea? aut se serra jactabit adversus eum, qui eam agitat? Ac si agitare vellet virga eos, qui ipsum tollunt, quasi attollere vellet virga eum qui minime est lignum.*

16. *Quamobrem immittet Dominus, Jova, agminum Deus, illius obesis maciem, et subter ejus nobilitatem ardebit sicut ardor ignis;*

17. *Ita Israelitarum lux pro igne, et Sanctus ejus pro flamma sit, quae illius virgulta et vepres uno die consumet,*

18. *Ejusque sylvae et segetis nobilitatem, tum animas tum corpora ita officiet, ut ipse sit tanquam qui tabe confectus est;*

19. *Eruntque reliquae ejus sylvae arbores adeo numerabiles, ut eas vel puer describat.*

20. *Atque ita fiet, ut deinceps reliqui Israelitae, quique Jacobidarum evaserint, non amplius in eo nitantur a quo caesi fuerint, sed in Israelitarum sancto numine, Jova, vere nitantur.*

21. *Reliquiae revertentur, reliquiae Jacobidarum ad Deum potentem.*

22. *Nam sit licet tuus populus, o Israel, marina numerosior arena, revertentur ejus duntaxat reliquiae, strage abundante severe decreta.*

23. *Nam stragem et excidium edet Dominus, Jova, agminum Deus, per omnem terram:*

24. *Quamobrem sic dicit Dominus, Jova, agminum Deus: ne metue, mi populus, Zionis habitator, Assyrium: caedet ille te quidem baculo, suaque virga te petet, Aegyptiaco more.*

25. *Verum perquam paulo post consumetur irae meae saevitia in eorum excidium.*

26. *Suscitabitque contra eum Jova, agminum Deus, flagrum, qualis fuit Midianitarum caedes in Orebi rupe, et elata in mare sua virga, eum auferet Aegyptiaco modo.*

27. *Atque ita illius et onus ex humero tuo, et jugum ex cervice auferetur, atque jugum prae pinguedine perdetur.*

28. *Venit ad Ajatham, transit per Migronem, deponit ad Michmas impedimenta sua.*

29. *Transeunt trajectum, pernoctant Gebae, trepidat Rama, Gibea Saulis fugit.*

30. *Ede ululatum, puella Gallim, ut audiat Laischa. Misera Anathotha!*

31. *Mota est Madmena, Gebimenses fugiunt.*

32.

32. *Quod reliquum est diei Nobae subsistunt. Manum suam agunt ad montem puellae Zionis, ad collem Hierosolymae.*

33. *Verum Dominus Jova, agminum Deus, ramos violenter amputaturus est, praealtaque succidentur, et procera dejicientur.*

34. *Et ita sylvae densitatem ferro exscindet,* et Libanus per potentem cadet.*

Cap. XI, 1. *Prodibit autem surculus ex caudice Isaei, et ab ejus radicibus pullulabit stolo,*

2. *In quo residebit spiritus Jovae, spiritus sapientiae et intelligentiae, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et metus Jovae.*

3. *Delectabitur metu Jovae, neque ex oculorum adspectu judicabit, neque ex aurium corriget auditu.*

4. *Sed terrarum tenues juste judicabit, inopesque terrarum corriget ex aequo, terras oris suo baculo verberabit, et spiritu labrorum suorum enecabit impios.*

5. *Habebit pro laterum cinctu justitiam, pro ilium cinctu fidem.*

6. *Itaque versabitur cum agno lupus, accubabitque pardus haedo, vitulumque cum leone et saginato pecore una ducet puer parvulus.*

7. *Vacca, ursusque compascentur concubantibus eorum pullis, et leo more boum palea vescetur.*

8. *Ludet super aspidis foramen lactens infans, superque viperae cavernam deliculus puer manum agitabit.*

9. *Non malo afficient nec perdite agent in meo sacro monte, quoniam tantae erit cognitionis Jovae plena terra, quantis operitur aquis mare.*

10. *Atque illo tempore Isaeam stirpem, expositum populis vexillum, conquirent gentes, eritque ejus gloriosa requies.*

11. *Atque illo tempore admovebit iterum Dominus manum ad comparandas sui populi reliquias, quae restabunt,*

bunt, ex Aſſyria, Aegypto, Pathros, Aethiopia, Elamitide, Babylonia, Chamatha, et marinis inſulis.

12. *Elatoque gentibus vexillo colliget diſſipatos Iſraelitas, disjectosque congregabit Judaeos ex quatuor terrarum regionibus.*

13. *Ac faceſſet Ephraimi aemulatio, Judaeorumque exſcindentur adverſarii, neque Judae aemulabitur Ephraimus, neque Ephraimo adverſabitur Juda.*

14. *In Philiſthaeorum humeros involabunt ad occidentem, ſimulque orientales depraedabuntur. Idumaeis et Moabitis manus adferent, et Ammonitas ditionis ſuae facient.*

15. *Itemque exſiccabit Jova linguam maris Aegyptii, et admota ſua manu flumini, vehementia ſui ſpiritus id in ſeptem ſcindet fluvios, pervadendum calceatis.*

16. *Eritque via aggeſta reliquiis ejus populi, quae ex Aſſyria ſupererunt, quemadmodum fuit Iſraelitis tum, cum ex Aegypto profecti ſunt.*

Cap. XII, 1. *Atque eo tempore dices: Ago tibi, Jova, gratias, qui quum mihi fuiſſes iratus, me ira iſta converſa es conſolatus.*

2. *En! Deus mihi eſt ſalutaris, confidam intrepidus. Mea potentia et cantio Jah Jova eſt, qui mihi ſaluti fuit.*

3. *Aquam laeti ex fontibus ſalutis haurietis;*

4. *Atque ita tum dicetis: agite Jovae gratias, hujus nomen invocate, hujus facinora inter gentes nota facite, ejus tam ſublime recolite nomen.*

5. *Cantate Jovam, nam res eximias perfecit, nota fiant per omnes terras.*

6. *Exclama et ova, Zionis habitatrix! Nam magnus eſt in te Sanctus Iſraelis.*

PARS SECUNDA.

VATICINIA IN GENTES EXTERAS*).

I.

Cap. XIII — XIV, 23.

ARGUMENTUM.

Carmen hoc, ea, *quae praecesserunt, sublimitate et magnificentia* facile superans, totum in Babylonis excidio versatur, et ita quidem ut primum (inde a Vs. 2—22. Cap. XIII.) ipsum urbis expugnationem variis imaginibus depingat. Describit poeta hostilis exercitus ex gentibus multis et barbaris concursum et congregationem, ejus adventum et irruptionem in urbem, Babyloniorum pavorem, consternationem, ignaviam et desperationem summam, totius reipublicae subversionem, *hostium crudelitatem* et saevitiam in omnis generis et aetatis *homines, plenum denique* urbis opulentissimae ac super alias superbe sese efferentis, excidium et regionis circumjacentis vastationem. Haec omnia vates sigillatim sub oculos subjicit, et quidem coloribus vividissimis. Profligato autem hoc regno reipublicae Israeliticae olim infestissimo, vati laeta affulget spes de *meliore* gentis et reipublicae Israeliticae vicissitudine; de *liberatione* a dura illa servitute Babylonica redituque in patriam (Cap. XIV,

*) *Vid. not. ad libri inscriptionem, p. 9.*

XIV, 1. 2. 3.). Qua dulcissima exspectatione in summam laetitiam abreptus, noster protinus ipsos inducit Israelitas, canentes carmen triumphale in occasum regni Babylonici, refertum splendidissimis imaginibus, et perpetuis prosopopoeiis, iisque pulcherrimis, continuatum: quod alteram hujus carminis partem efficit (Cap. XIV, 4—27.); quam infra diligentius considerabimus.

De tempore, quo carmen hoc editum sit, si quaeras, haec inprimis, in carmine ipso obvia, erunt animadvertenda: *primum* Vs. 19. Capitis XIII. Babylon urbs *Chaldaeorum superbia* vocatur. Jam vero Jesajae tempore Chaldaeos vagam tantummodo, et Nomadum errantium, interdum etiam praedonum (cf. Job. I, 17.) more terram peragrantem gentem fuisse constat. Post Jesajae demum mortem boreales Chaldaei eruperunt, et sub Nebucadnezare Babylone potiti sunt, quam ingentis imperii metropolin fecerunt. *Deinde* Vs. 17. Cap. ejusd. *Medorum* crudelitas, qua in urbis expugnatae incolas saeviissent, memoratur. Hi ipsi vero in ea Babylonis expugnatione, qua Cyrus hanc urbem cepit, principes egerunt partes, ut videbimus infra ad illum Versum. *Tum* ex Verss. quatuor prioribus Cap. XIV. apparet, Israelitas eo tempore, quo hoc carmen scriptum est, adhuc quidem in servitute Babylonica fuisse, verum etiam spem in patriam redeundi iis factam esse. Quae omnia me movent, ut carmen nostrum referendum existimem ad illud ipsum tempus, *quo regnum Chaldaeorum, postquam ab initiis Nebucadnezaris per LXX fere annos floruisset, duce et imperatore Cyro, a Medis et Persis est subversum, et urbs Babylon, Belsazare, ultimo Chaldaeorum rege, interfecto, ab iisdem illis vi capta et expugnata est.* Nec id, quod huic sententiae obverti posse video, Babylonem a Cyro non plane excisam esse, immo stetisse et floruisse hanc urbem adhuc diu post Cyrum, tanti mihi videtur, ut propterea ab hac sententia discedam. Nam poetam, quum jam in eo esset, ut urbis superbissimae expugnationem ho-

stiumque saevitiam describeret, inde paullo longius progressum esse, et picturae conficiendae caussa atiam addidisse imagines urbis plane destructae, Orientalis poeseos gnaro minime insolens videbitur. At *Jesajae* nomen carmen nostrum in fronte gerit? Quasi vero non constaret, esse tam in hoc nostro, cui a Jesaja est nomen, vaticiniorum corpore, quam in aliis vaticiniorum collectionibus, plura capita, quibus ab illis, qui hos libros conscripserunt et in unum collegerunt, falsum scriptoris nomen esset praepositum *).

---

1. מַשָּׂא Chaldaeus et Aquila male interpretati sunt *onus*. Eos tamen sequuti sunt multi ex recentioribus, qui intel-

*) Quae tunc cum primum prodiit hic liber (anno 1791.) attulimus argumenta, quibus permoti hocce carmen Jesajae abjudicandum arbitraremur, eadem nunc integra nulla facta mutatione repeti visum est. Oppugnata quidem illa sunt a Lud. Jos. Uhland in Differt. cui epigraphe: *Vaticinium Jesajae Cap. XIII. de excidio urbis et regni Babylonici, paucis expositum, atque contra recentiores quasdam interpretes, qui illud seriori anonymo scriptori tribuunt, prophetae Jesajae vindicatum*, Tubing. 1798. 4., et, majore cum acumine, a Maur. Joa. Henr. Beckhaus in libro, qui inscribitur: *Ueber die Integrität der prophetischen Schriften des alten Bundes*, Hal. 1796. 8. p. 87. seqq.; sed confirmata magis et stabilita rationibus pluribus et exquisitis a L. J. Justi in Commentatione de oraculis Jesajanis, quibus Hebraeorum in Babylonicas terras deportatio eorundemque in patriam reditus praedicitur, quae primum prodiit in scriptionum miscellanearum sylloge, *Memorabilien* inscripta P. IV., et insignibus accessionibus aucta legitur in auctoris *Vermischten Abhandlungen über wichtige Gegenstände der theologischen Gelehrsamkeit*, P. I. p. 254. seqq. et P. II. p. 1. seqq. Adde quae monuit H. E. G. Paulus in *Clave Jesajana* p. 86. seqq., et Gesenius in *Commentar.* p. 448. seqq. Novis argumentis, quae tamen num sint satis firma ad probandum, dubitari potest, Jesajae nostrum carmen vindicare studuit Jo. Jahn in *Isagoges in V. T.* vernacule script. P. II. p. 463. edit. sec. Cf. *Journal für auserlesene theologische Literatur* a J. P. Gabler edit. Vol. II. p. 94. seqq.

intelligunt *prophetiam onerosam* seu minacem. Verum ex aliis inscriptionibus, in quibus haec vox occurrit, patet, eam non referri ad vaticinii argumentum, sed ad vaticinii auctorem. Ita est apud Zachariam IX, 1. XII, 1. מַשָּׂא דְבַר־יְהוָה, et apud Malachiam I, 1. מַשָּׂא דְבַר־יְהוָה אֶל־יִשְׂרָאֵל, et infra apud Nostrum XIV, 28. *Anno quo mortuus erat rex Ahas* הָיָה הַמַּשָּׂא הַזֶּה. Male profecto hic verteres *onus verbi Jovae, factum est onus hoc.* Accedit, quod haec vox etiam iis vaticiniis praeponitur, quae nihil minantur, ut Zach. XII, 1. Rectum vidit Cocceius, qui observavit, מַשָּׂא significare proprie *sententiam*, quae *profertur*, a נָשָׂא, *proferre, efferre, eloqui*, dictum qualecunque, vid. Exod. XX, 7. XXIII, 1. Habac. II, 6. infra XIV, 4. Et scriptores Latini hoc sensu usi sunt voce *tollere;* veluti Phaedrus Lib. III. Fab. XIII. Vs. 13. *Tunc illa talem sustulit sententiam.* Prolixe de hac voce egit Aurivillius in *Decalogo Hebraeo ex Arabica Dialect. illustr.* in ejus *Dissertatt.* p. 560. seq. et Michaelis in *Supplemm.* p. 1685. seq. Alexandri, Symmachus, Theodotion, λῆμμα vertere solent, i. e. *vaticinium*, sed ab *accipiendo*, quod ipsum נָשָׂא significare potest, *dictum, acceptum, a Deo.* בָּבֶל *Babel*, i. e. de Babylone, sive adversus Babylonem. Hieronymus: „Babylon fuit metropolis Chaldaeorum, cujus rex Nabuchodonosor cunctis usque ad Aethiopiam gentibus superatis inter ceteras vastavit et Judaeam, diuque obsessam Jerusalem undecimo anno cepit regni Sedechiae..... Ad consolationem ergo populi Judaeorum Babylonis ruina praedicitur, quod quomodo Ninive, metropolis Assyriorum, quorum reges Phul, et Theglathphalasar, et Salmanasar, et Sennacherib, decem tribus ceperint, Chaldaeo vastante subversa est; ita etiam haec, quae contra Deum superbierit, Medorum atque Persarum impetu subvertatur."

2. Hostilis exercitus convocatur et congregatur. עַל־הַר־נִשְׁפֶּה שְׂאוּ־נֵס Alexandri verterunt: ἐπ' ὄρος πεδινοῦ ἄρατε σημεῖον, *super monte campestri tollite signum.* Respexerunt

for-

fortaſſe ad eam ſignificationem vocis שָׁפָה apud Aramaeos, qua notat, *terere, atterere, humiliare, complanare;* Syrus retinuit hoc ipſum verbum. Chaldaeus: *ſuper, vel potius contra oppidum ſecure habitans levate ſignum.* Chaldaeis enim שְׁפָה inter alia notat *quietum, tranquillum, pacatum eſſe.* Hieronymus: *in montem caliginoſum elevate ſignum;* a נֶשֶׁף, *crepuſculum.* „Montem," inquit, „caliginoſum, ſive tenebroſum, quod Hebraice dicitur *Nesphe*, Babylonem propter ſuperbiam intellige. Iſti ſunt montes tenebroſi, triſtitiam et caliginem praeferentes, de quibus Jeremias ait [XIII, 16.]: *Date gloriam Domino Deo veſtro, antequam offendant pedes veſtri ad montes tenebroſos.*" Verum הַר נִשְׁפֶּה omnino eſt vertendum *mons raſus,* nudus, nullis arboribus aut fruticibus conſitus, unde ſigna aut vexilla in ejus faſtigio erecta eminus proſpici poſſunt, ut infra XLI, 18. XLIX, 19. Eſt enim נִשְׁפֶּה forma Niphal ex שָׁפָה, quod valet (licet obſoletus uſus ſit in Kal) *raſit,* quae verbi ſignificatio ſervata eſt Job. XXXIII, 21. Saadias reddidit: علي جبل التجلّس, *ſuper monte terrae elatioris.* Deſumta eſt imago ab Imperatoribus, qui milites ſubito convocaturi ad expeditionem, *ſignum* proponunt in editis locis, ad quod fiat concurſus, vid. ſupra ad XI, 12. הָרִימוּ קוֹל *Tollite vocem,* videtur intelligendus eſſe *ſonus, clangor tubae,* cujus in his rebus uſus eſt. Sic Jerem. IV, 21. *Quousque videbo* נֵס, *ſignum, quousque audiam* קוֹל שׁוֹפָר *clangorem tubae?* Et apud eundem LI, 27. *Ponite* נֵס *ſignum,* vexillum, *in terra;* תִּקְעוּ שׁוֹפָר עָלֶיהָ, *clangite adverſus eam buccina, convocate adverſus eam regna, utramque Armeniam et Phrygiam.* לָהֶם, *Illis,* deſtructoribus Babelis, Vs. 3., ut veniant, Medis et Perſis, Vs. 17. הָנִיפוּ יָד *Agitate manum,* quod pertinet ad convocationem, ut cum quiſpiam advocans alterum, quod propter diſtantiam loci non poſſit exaudiri, manum elevat, innuens ut veniat. וְיָבֹאוּ פִּתְחֵי נְדִיבִים *Ut intrent portas principum,* i. e. palatia magnatum Babyloniorum, vel, ut ingrediantur portas

ipſius

ipſius urbis Babylonis, quae a principibus, magnatibus et proceribus habitatur. Ita recentiorum interpretum plerique. Veteres autem, Graecus et Chaldaeus, ſenſum loci non perceperunt, ille enim: *ἀνοίξατε οἱ ἄρχοντες*, quaſi vates incolas Babylonis alloquatur, ut portas aperiant; hic: וְיֵעֲלוּן בְּתַרְעָהָא מִתְנַדְּבִין, *et ingrediantur per portas ejus qui ſponte ſe offerunt.* Nec Syrus ſatis recte: ܢܥܠܘܢ ܒܬܪ̈ܥܝܟܝ ܡܫܒ̈ܚܐ, *principes ingrediantur per portas tuas.* Babylon enim adhuc non eſt nominata. Hieronymus etiam male: *et ingrediantur portas duces.* Nam פִּתְחֵי eſt in ſtatu conſtructo. Saadias: يدخلون الابواب بالنّبل, *ingrediantur portas cum proceribus.* Schmidius vellet: *ut veniant portae principum*, i. e. principes et omne robur eorum, fere ut *portae inferorum*, Matth. XVI, 18., notant *inferni robur.* Sed phraſis hoc ſenſu nusquam uſurpatur, et dura eſſet metaphora: *veniunt portae.* J. D. Michaelis pro פִּתְחֵי efferre mallet vel פְּתְחִי vel פְּתָחַי; vertitque: *ut conveniant voluntarii mei ante portam meam* (*daſs meine Freywilligen ſich vor meiner Pforte verſammeln*), i. e. ante palatium meum, ut recenſeam eos, contra Babylonios a me mittendos. Audacius Koppe verba, uti nunc ea legimus, mutanda cenſet. Primum enim voce וְיָבֹאוּ Verſum ſecundum finit; deinde pro פִּתְחֵי, Alexandrinorum auctoritate, פִּתְחוּ legit, et verba פִּתְחוּ נְדִיבִים ad Verſum ſecundum refert. Vocem נָדִיב autem conſueta ſignificatione, *voluntarius*, ſumit, vertitque: *voluntarii*, promti, *portas aperite, ipſe ego mandavi ſanctificatis meis* (*öffnet freywillig die Thore, Ich ſelbſt hab' es ihnen geheiſſen, meinen Erkohrnen*). Doederlein in *Curis Exegett. et Critt.* p. 57. ſeqq. נְבִידִים intelligit de iis, *qui nomen ſuum ſponte dant militiae*, et caſtra ſequuntur bello indicto; perpetuas enim copias alere iis gentibus inauditum fuit. פִּתְחֵי autem *gladios nudatos* ſignificare arbitratur, qua ſignificatione eandem vocem occurrere cenſet Mich. V, 5. Pſ. V, 10. Hinc verba proprie

red-

reddenda essent, *ut veniant enses evaginati voluntariorum*, quorum sensum ad linguae latinae consuetudinem adcommodatius in versione sic expressit: *ut veniant exercitus voluntarii gladio evaginato.* Qui sensus, meo quidem judicio, artificiosior videtur. Vulgaris interpretatio, quam initio adduximus, bonum sensum dat. Invitantur Medi et Persae ad occupanda magnifica Babyloniorum principum palatia, et celsas munitasque Babylonis portas, quae videbantur vim omnem hostilem facile exclusurae, vel saltem ab hoste numquam occupari posse. Xenophon *Cyropaed.* Lib. VII. expresse mentionem facit *aedificiorum principum*, τῶν ἀρχείων, quae Cyrus inter duces, comites, et socios divisit. Observandum igitur, 1) litteram praefixam ו hic sumi significatione consequentis, et vertendam *ut*; v. c. Exod. VII, 26. *Dimittite populum meum* וְיַעַבְדֻנִי, *ut serviat mihi.* 2) Vocem נְדִיבִים, quod proprie *liberales, munificos*, hinc *quosque ingenuos*, *nobiles*, denotat (vid. A. Schultens ad *Hamas.* p. 310.), hic significare *proceres, principes*, ut Ps. CXIII, 8. עִם נְדִיבֵי עַמּוֹ, *cum populi sui principibus*, et alias saepissime. Cf. not. ad Job. XXI, 28.

3. אֲנִי צִוֵּיתִי לִמְקֻדָּשָׁי *Ego* Deus exercituum, Vs. 4., supremus rerum arbiter, *mandavi sanctificatis meis*, i. e. instructis et praeparatis a me, ad hanc rem tanquam sacramento militari adstrictis. Intelliguntur Medi et Persae, divino parentes jussui, et undique etiam a remotissimis locis concurrentes, atque communi auxilio Babylonem devastantes. Chaldaeus pro *sanctificatis* recte posuit *praeparatis*, qui scilicet praeparati erant ad perdendam Babylonem. *Sanctificari* dicitur omne id, quod Jovae secernitur; hinc, ubi de *copiis militaribus* usurpatur, *intelligendae* erunt tales, quae *sacrum* quasi *bellum* gerunt, auspice atque auctore Jova, quasque Jova ipse in eam rem elegit. Sic Jerem. XXII, 7. in prophetia adversus domum regis Judae: *et sanctificabo* (וְקִדַּשְׁתִּי) *adversus te eversores.* Et in simili adversus Judaeos, apud Zephaniam Cap. I, 7. *Sile coram*

Do-

Domino Jova, quia propinquus est dies Jovae; quippe Jova ordinavit sacrum sacrificii, הִקְדִּישׁ קְרֻאָיו *sanctificavit vocatos suos*, Babylonios videlicet, ad mactandos Judaeos, et exequenda in eos Dei justitia. Sed inprimis hic comparandus est locus huic nostro plane parallelus in prophetia ejusdem argumenti apud Jeremiam LI, 27. *Tollite signum in terra; clangite buccina inter gentes,* קַדְּשׁוּ עָלֶיהָ גּוֹיִם, *sanctificate adversus eam gentes.* Nimirum sanctificare hic est, ad opus aliquod eligere ac secernere. Sic Jerem. L, 44. וּמִי בָחוּר אֵלֶיהָ אֶפְקֹד *et qui electus est ad eam* destruendam, *ego disponam* et ordinabo illum. גַּם קָרָאתִי גִבּוֹרַי *Evocavi etiam fortes meos.* קָרָא hic usurpatur de *militibus* ad bellum *evocandis* et *congregandis*, qualis usus est vocis *evocare* apud Latinos, maxime in subitaria militum collectione, ut observavit Graevius ad *Florum* Lib. III. Cap. 17. לְאַפִּי *Ad iram meam*, i. e. ut irae meae exsequendae inserviant. עַלִּיזֵי גַּאֲוָתִי *Exsultantes excellentiâ meâ* (cf. eandem loquutionem Zephan. III, 11.), i. e. mei exultantes fastuose. Hieronymus: „Quod dicit: *fortes meos, et exsultantes in gloria mea*, ostendit eos non suis viribus, sed dei ira tam sublimis regni potentiam subvertisse.“ Sed Vitringa recte affixum primae personae in גַּאֲוָתִי referendum monet ad vocem עַלִּיזֵי, ex idiotismo linguae, quo in constructione nominum affixum jungi solet nomini posteriori, quod tamen in versione referendum est ad prius, ut הַר קָדְשִׁי, *mons meus sanctus;* Jes. LII, 10. זְרוֹעַ קָדְשׁוֹ *brachium ejus sanctum*, sive potentia ejus verenda. Cf. quoque not. supra ad II, 20. Hinc verba sic capienda: *mei*, milites a me delecti, *exultabundi fastu*; ut significeptur ejusmodi homines, qui magnifice de se sentientes, et alios tanquam se longe inferiores, contemnentes, hoc ipso incitantur ad fortitudinem alacritatemque, et fiduciam in negotiis suscipiendis et feliciter gerendis. Eam vero Persis et Medis indolem fuisse, veterum historiarum scriptoribus testibus constat. Sic Herodotus Lib. I. p. 64. edit. Stephan. de *Persis* dicit: νομίζοντες ἑαυτοὺς εἶναι ἀνθρώπων μακρῷ τὰ πάντα ἀρί-

στους.

στους, se ipsos omnium hominum existimantes longe esse praestantissimos in omnibus rebus. Ita quoque, apud eundem illum Lib. I. p. 41. Croesus in oratione ad Cyrum, expresse Persarum indolem describit: *Πέρσαι φύσιν ἐόντες ὑβρισταί, Persae naturae quum sint protervi.* Id vero multo magis valet de *Medis,* gente fastuosa et superba, et hoc nomine celebri.

4. Advolant citati immensa multitudine, mira celeritate, magno strepitu. קוֹל הָמוֹן בֶּהָרִים *Vox turbae in montibus.* קוֹל hic sumendum est de sono inarticulato, quem producit strepitus et tumultus magnae et vagae multitudinis hominum. Sic infra XXXIII, 3. מִקּוֹל הָמוֹן נָדְדוּ עַמִּים, *a sono strepitus fugient populi.* Doederlein: *jam strepitus per montes resonat. Montes* autem, qui hic intelliguntur, haud dubie sunt illa montium juga, quae Mediam ab Assyria dirimunt. דְּמוּת עַם־רָב *Species, similitudo, populi multi,* i. e. ac si magnus exercitus adveniat; *es läßt, als wenn ein großes Heer zusammen käme,* ut Michaelis reddidit. Observa, quam vivide noster pingat. Babylonis incolae in montibus extremis insolitum quid conspiciunt; turbam obscuram et inordinatam; exercitus videtur esse, sed non internosci potest. Sed jam propius accedente multitudine, tumultum distinguunt: קוֹל שְׁאוֹן מַמְלְכוֹת גּוֹיִם־נֶאֱסָפִים, *sonus est regnorum gentiumque contractorum* ad bellum, 1 Sam. XIII, 5. יְהוָֹה צְבָאוֹת מְפַקֵּד צְבָא מִלְחָמָה, *Jova exercituum Deus lustrat copias bellicosas.*

5. בָּאִים מֵאֶרֶץ מֶרְחָק מִקְצֵה הַשָּׁמָיִם *Veniunt ex regione longinqua, ab extremis coeli;* veniunt hostes barbari, e regionibus ignotis, id quod auget terrorem! Pro מִקְצֵה הַשָּׁמַיִם Alexandrini hic ponunt: *ἀπ' ἄκρου θεμελίου τοῦ οὐρανοῦ, ab extremi coeli fundamento,* quasi legissent: מִקְצֵה מוֹסְדוֹת הַשָּׁמַיִם; quae dictio occurrit 2 Sam. XXII, 8. מוֹסְדוֹת הַשָּׁמַיִם יִרְגָּזוּ, *intremuerunt fundamenta coeli.* Sunt autem *fundamenta coeli* extrema terrae, ubi coelum sive circulo prospectum desinienti, *ὁρίζοντα* dicunt, sive summis montium

tium jugis incumbere videtur. כְּלֵי זַעְמוֹ יְהוָה *Instrumenta irae Jovae* Medos et Persas esse, vix monitu opus; perinde ac Jerem. L, 25. *Jova operuit thesaurum suum,* penu suum, *et produxit instrumenta excandescentiae suae.* לְחַבֵּל כָּל־הָאָרֶץ *Ad perdendam totam terram* Babylonicam. Hieronymus: „Medorum atque Persarum describitur impetus, quod multis secum auxiliis congregatis, Domino eorum exercitum praecedente, ad vastitatem veniant Babylonis, ut disperdant omnem terram, non quod totum orbem vastaverint, sed omnem terram Babylonis et Chaldaeorum. Idioma est enim Sanctae Scripturae, ut omnem terram illius significet provinciae, de quo sermo est.“

6. הֵילִילוּ *Ejulate* nunc, vos Babylonii. יוֹם יְהוָה *Diem Jovae* esse *diem, quo Jova* judicium exercet in eos, quos punire statuit, vulgatum. כְּשֹׁד מִשַּׁדַּי יָבוֹא *Qui sicut* ipsa *vastatio ab Omnipotente venit.* שֹׁד, *Vastitas,* hic designat mala, calamitatesque omnis generis; ut Hos. VII, 13. De שַׁדַּי, vid. ad Genes. XVII, 1. Hoc loco id nomen haud dubie usurpatur paronomasiae causa (שֹׁד et שַׁדַּי), unde et respicitur simul ad *vastandi, destruendi* notionem, quam verbum שָׁדַד habet.

7. Nuncio de hostilium copiarum adventu summo terrore percutiuntur Babylonii. עַל־כֵּן כָּל־יָדַיִם תִּרְפֶּינָה *Propterea omnium manus flaccescunt,* remittuntur. *Remissionem manus* notare remissionem studii, operis, laboris, in curando negotio, aut caespitationem et titubationem summam in aggrediendis et perficiendis iis, quae ad salutem urbis necessaria sunt, orationis series docet. Usurpatur eadem imago ad summam angustiam exprimendam Jerem. L, 43. Ezech. VII, 17. Zephan. III, 16. Eodem pertinet quae sequitur loquendi formula: וְכָל־לְבַב אֱנוֹשׁ יִמָּס *Cujusque cor liquescit;* vid. Deut. XX, 8. infra XIX, 1.

8. וְנִבְהָלוּ *Et conturbabuntur,* consternabuntur, ut 1 Sam. XXVIII, 21. Ps. VI, 11. Notat conditionem hominis

plane

plane commoti, et ſui non compotis; ſive, ut bene Coccejus: perplexitatem et intricationem in conſiliis, et praecipitationem in varios conatus, amentiae et inſaniae plenos. צִירִים וַחֲבָלִים יֹאחֵזוּן *Tormenta et dolores corripient* Babylonii. Hebraei enim non tantum dicere ſolent: *terror me corripit*, ut infra XXXIII, 14. אָחֲזָה רְעָדָה חֲנֵפִים *tremor corripit proſanos;* et Jerem. XLIX, 24. צָרָה וַחֲבָלִים אֲחָזָתָּה כַּיּוֹלֵדָה *anguſtia et dolores corripuerunt eam quaſi parturientem;* verum et *tremorem arripio*, vid. not. ad Job. XVIII, 20. XXI, 6. כַּיּוֹלֵדָה יְחִילוּן *Inſtar parturientis* dolent. A *conſtringendo, torquendo,* radix חול *dolendi* ſignificatum accepit, et ſaepius de *parturientium dolore* uſurpatur; ut infra XXIII, 4. לֹא חַלְתִּי וְלֹא יָלַדְתִּי, *nec dolui parturiens, nec peperi;* et LXVI, 7. בְּטֶרֶם תָּחִיל יָלָדָה, *antequam dolores partus ſenſiſſet, peperit.* Vid. Aurivillii *Diſſertat.* quae inſcripta eſt: *Hebraeorum* חוּל *breviter explicatum*, §. IX. p. 668. ſeq. edit. Michael. אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ יִתְמָהוּ *Quisque ad alterum ſtupet;* תָּמַהּ, *obſtupeſcere*, vid. Geneſ. XLIII, 34. Pſ. XLVIII, 6. פְּנֵי לְהָבִים פְּנֵיהֶם *Facies flammarum vultus eorum*, inflammati, tanquam igne, erunt vultus eorum. Cum nos urgent cruciatus, inflammatur facies, et toti ardemus. Male nonnulli haec verba referunt ad truculentos et ira quaſi inflammatos Medorum vultus; quum totus hic Verſus de Babyloniis, ſummo pavore perculſis et conturbatis, loquatur.

9. Ipſam jam calamitatem, in Babylonios inducendam vates depingit. יוֹם יְהוָֹה *Dies Jovae,* de quo Vs. 6. אַכְזָרִי i. q. אַכְזָר, *crudelis,* cum terminatione adjectivi, ut Jerem. VI, 23. Hieronymus: „*Crudelem* diem vocat, non merito ſui, ſed populi. Non eſt enim crudelis, qui crudeles jugulat, ſed quod crudelis patientibus eſſe videatur. Nam et latro ſuſpenſus patibulo crudelem judicem putat.“ Coccejus אַכְזָרִי ſumendum cenſet ſubſtantive, per *atrocitatem;* ut Proverb. XII, 10. רַחֲמֵי רְשָׁעִים אַכְזָרִי, *viſcera impiorum* ſunt *crudele quid.* Et in prophetia Jeremiae Cap. L, 41.

de

de Babele, quae nostro huic vaticinio plane similis est, de ejus hostibus: אַכְזָרִי הֵמָּה, *crudeles illi, et nulla afficientur commiseratione*; proprie: *saevum et crudele quid* illi, seu, *mera saevitia*. Metaphoram hoc loco existimat desumtam a magna et horribili tempestate, quae immane saevit, et obvia quaeque prosternit; coll. Jerem. XXIII, 19. 20. XXX, 23. 24., ubi haec imago plenius expressa: *Ecce procella Jovae. Exiit aestus; et procella permanens, quae residebit in capite impiorum. Non revertetur ira Jovae, usque quo illud perfecerit.* וְעֶבְרָה *Et excandescentia*, Vs. 13. X, 6. וַחֲרוֹן אַף *Et ardor irae* divinae, Ps. LXIX, 25. לָשׂוּם הָאָרֶץ לְשַׁמָּה. *Ad ponendum*, reddendum (X, 6.) *terram* Babylonicam *in vastitatem* Vs. 9. XXIV, 12. וְחַטָּאֶיהָ יַשְׁמִיד מִמֶּנָּה *Et perdet ab ea peccatores ejus*, terrae Babylonicae, h. e. incolae ejus, quas cum omnes pro hominibus impiis declarare vult, non *cives* urbis, sed *peccatores* ejus dicit. חַטָּאִים pro חוֹטְאִים, ut I, 28.

10. כִּי־כוֹכְבֵי הַשָּׁמַיִם וּכְסִילֵיהֶם לֹא יָהֵלּוּ אוֹרָם *Nam stellae coelorum et sidera eorum non splendere facient lucem suam.* כְּסִילֵיהֶם proprie *Oriones eorum*. Nam כְּסִיל, praeter hunc locum ter, Amos. V, 8. Job. IX, 9. XXXVIII, 31., sed in singulari, ut sideris nomen obvium, recentiorum plerique pro *Orione* habent, qui Arabibus الجَبَّارُ, Syris ܓܢܒܪܐ, Chaldaeis נְפִילָא, i. e. *violentus*, *gigas* vocatur; intelligunt enim Nimrodum, magnum venatorem, ut Graecorum Orion, in coelum evectum, ac Mosi jam גִּבּוֹר dictum, Genes. X, 8. Eundem כְּסִיל *stultum*, i. e. impium vocatum esse putant, quod eum ut hostem verae religionis traditionaria informat historia Asiatica, unde Arabibus et الضُحَّاكُ, *irrisor*, vocatur. Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 1320. seqq., ubi de nostro loco: „Quod in Jesaja כְּסִילִים pluraliter leguntur, ejus ratio ex hac una interpretatione reddi expeditissima potest. Plures sunt in coelo gigantes, Cepheus,

Bootes,

Bootes, Hercules, Perseus, Auriga, Serpentarius, qui aut omnes, aut aliqui eorum, potuerunt ab Orientalibus in numerum gigantum, *θεομαχῶν*, referri, stultique seu impii vocari." Hieronymus: „Verbum Hebraicum *Chisile* LXX ὠρίωνα transtulerunt. Hebraeus, quo ego praeceptore usus sum, *Arcturum* interpretatus est. Nos generaliter sequentes Symmachum, *stellam* diximus." Hebraeorum quidam Sirium, sive Canopum nomine כְּסִיל indicari putant, quod is Arabibus سُهَيْل, i. e. *stultulus* appellatur. Cf. not. ad Job. IX, 9. et quos ibi laudavimus. Hillero in *Onomast. S.* p. 56. a כֶּסֶל, *spe, fiducia* (Ps. LXXVIII, 7. Job. XXXI, 24.) כְּסִיל dicitur *cynosura* s. *ursa minor*, sidus, *in quo fiducia et spes a Phoeniciis nautis posita fuit*, teste Cicerone *de Natu Deor.* L. II. c. 41. §. 106. Sed quicquid כְּסִיל proprie significet, id certum est, denotari hoc loco *sidera majora* et *lucidiora*. לֹא־יָהֵלּוּ *Non splendere*, s. *lucere facient* lucem suam, Vs. 20. XIV, 12. Job. XXXI, 26. חָשַׁךְ הַשֶּׁמֶשׁ בְּצֵאתוֹ *Obtenebratus est sol in egressu suo*, i. e. in ortu suo, ut recte Hieronymus. וְיָרֵחַ לֹא־יַגִּיהַּ אוֹרוֹ *Et luna non splendere faciet lucem suam*, IX, 1. 2 Sam. XXII, 29. Hieronymus: „Est autem sensus, quod quum dies Domini crudelis advenerit, et furor ejus universa vastarit, prae timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescant, et sol ipse, et luna, astraque rutilantia suum videantur negare fulgorem. Unde et coelum sacco induitur, quod scilicet tenebrae cuncta operiant, et prementibus malis nihil aliud sentiant homines, nisi quod mens videre compellit." Solent vates Hebraei rerumpublicarum subversiones hisce imaginibus pingere, vid. infra XXXIV, 4. Ezech. XXXII, 7. Joel II, 10. III, 15. 16. Amos VIII, 9. Matth. XXIV, 29.

11. Sub תֵּבֵל, *orbe*, intelligendum esse imperium Babylonicum, ex orationis tenore liquet; eodem modo, quo ἡ οἰκουμένη Luc. II, 1. *Judaeam*, et Act. II, 28. *imperium Romanum* denotat. Idem quoque significasse dictionem:

uni-

universum orbem Romanum, notum est. Sic Minos, apud Ovid. *Metamorph.* VIII, 99: *Creten, quae meus est orbis.*

12. אוֹקִיר אֱנוֹשׁ מִפָּז *Pretiosiores*, rariores, *faciam homines quam aurum.* Verbi יָקַר primam vim in *gravitate* esse, a qua et *pretiosi*, indeque *rari*, significationem acceperit, observavit Schultensius ad Prov. XXV, 17. פָּז est *aurum purum, depuratum;* est enim ab Aethiop. פזז, *abstersit, mundavit*, unde et Participium Hophal מוּפָז, *depuratum, mundatum*, 1 Reg. X, 18., pro quo in loco parallelo, 2 Chron. IX, 17. legitur מָהוֹר. Alias sententias vide in Simonis *Arcano Formar.* p. 191. 192. De אוֹפִיר, Arabiae australis regione, auro divite, vid. ad Genes. X, 29. et *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 177. seqq. Hieronymus: „Caussa manifesta, quare Deus visitet *οἰκουμένην*, id est, Babylonis mala; ut habitatore deserta redigatur in solitudinem. *Pretiosum* autem dicitur omne quod rarum est, quomodo et supra [IV, 1.] pro hominum raritate apprehendere legimus septem mulieres unum virum. Et in Samuelis volumine [1 Sam. III, 1.] continetur: *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis*, id est, rarus."

13. בְּעֶבְרַת יְהוָֹה צְבָאוֹת *In excandescentia Jovae*, Dei *agminum.* בְּעֶבְרָה hic positum est pro בְּעֵת עֶבְרָה, *tempore excandescentiae*, sive *excandescente* Jova; quod prophetam velle, membrum posterius docet. Sic Ps. IV, 2. בְּקָרְאִי, *me invocante* vel *clamante*, dum *ego clamo*, vel *invoco.* Notat ב in tali contextu *tempus* vel statum, ut Graecorum *διὰ*, illi respondens. Omnes autem hujus Versus imagines desumtae sunt a tempestate vehemente, quae ingenti cum fragore coelorum detonat in terram, et in eam inducit maximas rerum commotiones et vastationes. Confer infra XXIV, 19. 20. 2 Sam. XXII, 8.

14. Vivide depingitur summus metus et fuga Babyloniorum. Erat Babylone, ut in majoribus urbibus et capitibus imperii esse solet, confluxus hominum, ex variis coelorum

lorum plagis et gentibus; quem Jeremias Cap. L, 37. appellat עֵרֶב, *colluvieni*, et Aeschylus *πάμμικτον ὄχλον*, *turbam miscellam*, ubi de Babylone loquitur, *Pers.* Vs. 52., quorum alii ibi, uti fit, domicilia fixerant; alii ad tempus urbem frequentabant. Hi vero ad famam adventus exercitus hostilis et imminentis obsidionis urbis perterrefacti, subito fugam cogitant, quisque *terram* et *gentem* suam respicientes. Sic Jerem. L, 28.: *vox fugientium et proripientium se ex terra Babylonia.* Imagines autem, quibus vates utitur in *fuga* hac tumultuaria depingenda, desumtae sunt ab *ovibus* dispersis, quas nemo *colligere* curat, et *capreis propulsis*. *Capreae* et *damae* sunt animalia timidissima, et propulsae a venatoribus, pedibus leves, fuga celerrimae, ut eas assequi difficile sit, quo alluditur Proverb. VI, 5. Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. Lib. III. Cap. XXV. T. II. p. 309. edit. Lips. Eadem ratio est *ovium dispersarum*, et *dispulsarum* (nam post צאן repetendum est מֻדָּח, quum נִדָּח de *ovibus dispulsis* soleat usurpari, e. c. Deuter. XXII, 1. Ezech. XXXIV, 4.), quibus colligendis nemo operam dat, sive praeest, quarum colligendarum et defendendarum nemo curam habet, id quod voce מְקַבֵּץ indicatur. Hieronymus: „Babylonium significat et Chaldaeum populum, quod ita pavidus ad irruptionem Medorum Persarumque fugiat, quasi damula et ovis ad rugitum leonis et ululatum lupi; nec habet defensorem aut principem, cujus sequatur imperium.“ אִישׁ אֶל־עַמּוֹ יִפְנוּ וְאִישׁ אֶל־אַרְצוֹ יָנוּסוּ *Unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient*, ut Hieronymus vertit, et in Commentario haec verba ita enarrat: „Postquam capta fuerit Babylon, et per portas ejus intrarit hostilis exercitus, cuncta auxilia, et diversarum gentium turmae, quibus prius civitas defensabatur, ad suas provincias revertentur.“

15. Misera nunc depingitur facies captae urbis: est sine ope, sine duce, nemo repente oppressos liberat; nemini parcitur: non sexui, non aetati. כָּל־הַנִּמְצָא *Omnis qui depre-*

deprehenditur, cui respondet כָּל־הַנִּסְפֶּה proprie *omnis corrasus*, scil. in plateis, vel in fuga, ut 1 Chron. XXII, 12., cf. infra XXIX, 1. XXX, 1. Doederlein: „In fuga vel *singuli* palantur, eos נִמְצָאִים dicit, vel plures acervatim oberrant, horum catervam נִסְפֶּה vocat, a סָפָה, *corradere, in acervos coire.*" Sic Alexandrini: *συνηγμένοι*. Hohbisel in *Observatt.* p. 108. נִסְפֶּה *deficientem, consumtum*, coll. Genes. XIX, 15. 17. Num. XVI, 26. 1 Sam. XII, 25., notare contendit, nostrumque locum ita interpretatur: „omnes deprehensi (כָּל־הַנִּמְצָא), quicunque praesto adfuerint, gladio confodientur, non tantum robusti viribusque pollentes, sed et viribus deficientes, aegroti, hoc non impetrabunt a crudelitate victorum; ut naturae debitum persolvant, sed ipsi quoque violenta morte conficientur."

16. וְעֹלְלֵיהֶם יְרֻטְּשׁוּ לְעֵינֵיהֶם *Eorum parvuli elidentur ipsis spectantibus.* Verbum רָטַשׁ usurpari solet in describenda inhumana saevitia militis victoris in tenellam aetatem saevientis, ut patet ex 2 Reg. VIII, 12. et Nah. III, 10. Cf. Ps. CXXXVII, 9. יִשַּׁסּוּ בָּתֵּיהֶם *Diripientur domus eorum*, Jud. II, 14. Zach. XIV, 2. וּנְשֵׁיהֶם תִּשָּׁגַלְנָה *Et uxores eorum stuprabuntur.* Pro תִּשָּׁגַלְנָה, verbo pro obscoeno habito, ad marginem legendum praecipitur תִּשָּׁכַבְנָה, *concubitum patientur*, ut Jerem. III, 2. Deut. XXVIII, 30. Cf. Zachar. XIV, 2.

17. הִנְנִי מֵעִיר עֲלֵיהֶם אֶת־מָדָי *En me excitantem contra eos Medos*, XXI, 2. Dan. VI, 1. אֲשֶׁר־כֶּסֶף לֹא יַחְשֹׁבוּ *Qui argentum non reputant*, non curant. וְזָהָב לֹא יַחְפְּצוּ־בוֹ *Auroque non delectantur.* Descriptio hostis barbari et crudelis, ut Jud. V, 19. בֶּצַע כֶּסֶף לֹא לָקָחוּ, *quaestum argenti non acceperunt*, si quis vitam redimere vellet. Tantam igitur noster ait esse Medorum crudelitatem, ut frustra cruoris sitim pretio oblato quis tentet restinguere, vel auro vitam carosve pueros redimere. Cum his conveniunt Cyri verba, quibus Medos alloquitur apud Xenophontem *Cyrop.* L. V. §. 3.: "Ἄνδρες Μῆδοι, καὶ πάντες οἱ παρόντες, ἐγὼ

ὑμᾶς οἶδα σαφῶς, ὅτι οὔτε χρημάτων δεόμενοι σὺν ἐμοὶ ἐξήλθετε, κ. τ. λ. *Optime novi, viri Medi, et qui adestis alii; vos ob penuriam pecuniae mecum hanc expeditionem non suscepisse.* Ammianus Marcellinus, Lib. XXIII, 6., ubi Persarum, sub quibus ille Medos quoque et Parthos censet, mores describit: *magnidici*, ait, *et graves, ac taetri, minaces juxta in adversis rebus ac prosperis, callidi, superbi, crudeles* etc.

18. Verba וּקְשָׁתוֹת נְעָרִים תְּרַטַּשְׁנָה Vulgatus vertit: *sagittis parvulos interficient*, et hunc sequuti multi recentiores: *et arcubus pueros allident.* Recte quidem quod ad sensum; sed neglecta constructione Grammatica, secundum quam תְּרַטַּשְׁנָה cohaeret cum קְשָׁתוֹת. Recte Aben-Esra: *Arcus pueros* תְּבַקַּעְנָה, *diffindent*, διχοτομήσουσι. Cf. Nah. III, 10. *Arcus* Persarum praegrandes, eorumque in iis tractandis peritiam. Herodotus, Xenophon et Ammianus saepe laudant. עַל־בָּנִים לֹא־תָחוּס עֵינָם *Filiis non parcet oculus eorum*, cf. not. ad Ezech. V, 11.

19. צְבִי. Quae *decus* fuit, cf. Cap. XXIII, 9. Jerem. III, 29. כְּמַהְפֵּכַת אֱלֹהִים אֶת־סְדֹם וְאֶת־עֲמֹרָה *Qualis divina Sodomae Gomorrhaeque ruina est.* Verba elliptice posita sunt, ac si scriptum esset: „כְּמַהְפֵּכַת אֱלֹהִים אֲשֶׁר הָפַךְ וגו׳, *sicut subversio Dei, qua subvertit* etc. Vocula אֶת supponit verbum, ad quod referatur. Simile exemplum habuimus in phrasi: דֵּעָה אֶת־יְהוָה, Cap. XI, 9.

20. לֹא־תֵשֵׁב *Non habitabit*, i. e. non habitabitur, metonymice de urbe dicitur, quod proprie incolis competit, ut Jerem. XVII, 6. Ezech. XXVI, 20. XXXV, 9., ad quae loca vid. not. לָנֶצַח *In perpetuum*, XXXIII, 20. 2 Sam. II, 26. וְלֹא תִשְׁכֹּן עַד־דּוֹר וָדוֹר *Nec habitaculum habebit usque generationem et generationem*, i. e. nullo incoletur aevo; eadem verba repetita Jerem. L, 39. וְלֹא־יַהֵל עֲרָבִי, *non ponet ibi tentoria Arabs*, ut Hieronymus vertit, et ita Chaldaeus quoque: *non tendet ibi Arabs tentorium suum*,

יַהֵל

יָהֵל poſito pro יְאַהֵל (Futur. Piel), ut Job. XXXV, 11. מַלְּפֵנוּ pro מְאַלְּפֵנוּ *docens*, exſpirante littera א, ut in מַכֹּלֶת, pro מַאֲכֹלֶת, 1 Reg. V, 25. [al. 11.], מֹסֶרֶת pro מַאֲסֹרֶת, Ezech. XX, 37., pluribusque aliis vocibus, quas collectas invenies apud Bochartum *Hieroz.* P. I. L. II. C. XXI. T. I. p. 227. edit. Lipſ. Alii יָהֵל relato ad הָלַל (cf. Vs. 10) vertunt: *neque lucere ibi faciet ignem.* Ita Michaelis in *Supplemm.* p. 534.: „Arabes nempe," inquit, „ex igne nocturno, quem accendunt, eminus agnoſcuntur; eſtque deſcriptio magnae vaſtitatis, nullam ibi uspiam lucem conſpici." Interpretatio docta quidem, ſed dubium num vera. וְרֹעִים לֹא־יַרְבִּצוּ שָׁם *Neque ibi ſtabulabuntur paſtores.* רָבַץ de *gregibus pecudum recubantibus* uſurpari, unde מִרְבַּץ־צֹאן, *cubile ovium*, Ezech. XXV, 5., ſatis notum eſt. Cf. Zeph. II, 14. Hieronymus: „In tantum Babylon vaſtata erit atque deſerta, ut ne ad paſcua quidem armentorum et pecorum utilis ſit. Non enim tendet ibi Arabs Saracenusque tentoria, nec paſtores poſt veſtigia gregum feſſi labore quieſcent."

21. Sequitur deſcriptio ſummae vaſtitatis, quae infra Cap. XXXIV, 11. ſeq. plenior et ornatior extat; et ſimilis apud Zephaniam II, 14. Ne Nomades quidem pecus huc ad paſcendum ducent; loca enim haec infeſta erunt et perſtrepent ululatu et ſibilis noxiarum et terribilium animantium. צִיִּים Bocharto *Hieroz.* P. I. L. III. C. XIV. T. II. p. 206. ſeqq. ſunt *feles aggreſtes*, collato Arabico ضيون, quo nomine tamen Aurivillius in Diſſertat. *de nominibus animalium, quae leguntur Eſaj.* XIII, 21. p. 294. Diſſertatt. a Michael. editt. *Lemurem volantem*, ſeu *veſpertilionem Vampyrum* Linn. ſignificari cenſet. Sed vide quae monuimus ad Bochartum p. 209. edit. Lipſ. Hieronymus: „Inter parietinas et anguſtias veterum ruinarum habitabunt *Siim*, quod ſoli LXX *beſtias* [θηρία] tranſtulerunt, alii ipſo nomine, quod apud Hebraeos ſcriptum eſt, volentes genera daemonum intelligere vel phantasmata. *Et replebuntur*, inquit, *domus*, ut nos diximus, *draconibus* [וּמָלְאוּ בָתֵּיהֶם אֹחִים]; ut Aquila

transtulit, *typhonibus*, ut Symmachus, *Ohim* [ὤχειμ], ipsum verbum Hebraicum exprimens, LXX vero et Theodotio *clamores* vel *sonitus* interpretati sunt." Similiter Bochartus l. c. P. I. L. III. C. XV. p. 212. seqq., collato Arabico وحي et وحاة, *vox sonora*, hebraeo אחים *ferarum ululatus*, quibus deserta personant, intelligendos censet. Sed Aurivillio (l. c. p. 301.) אֹחִים sunt *bubones*, cui et nos adstipulati sumus ad Bochartum p. 214. not. Apud multas gentes bubonum genus abominabile et portentosum vulgus credidit, unde Ovidius: *ignavus Bubo dirum mortalibus omen.* Rapaces hae aves abdita et tenebrosa quaerunt loca, stridulo et importuno clamore noctis augent horrorem, dirutis domibus, sylva circumquaque obsitis, tenentur, ibique ova ponere solent, et infausti quid visus eorum arguit. בְּנוֹת יַעֲנָה, proprie *filiae clamoris*, esse *struthiones feminas*, probavit Bochartus *Hieroz.* L. II. L. II. C. XIV. T. II. p. 811. seqq. edit. Lips. Aurivillio sunt *noctuae*, quam sententiam, jam a Fullero allatam, idoneis argumentis refutavit Bochartus l. c. וּשְׂעִירִים יְרַקְּדוּ־שָׁם *Et pilosi s. hirci saltabunt ibi.* שָׂעִיר passim *hircum* denotare constat, et posset a שֵׂעָר *pilus* significare quodcunque aliud animal *pilosum* et *hirsutum*. Sed h. l. alienum esset de *hircis* cogitare, uti et infra XXXIV, 14., ubi de desolatione Edomi שָׂעִיר *unus alterum inclamabit.* Utroque loco intelliguntur *satyri*, Graecis Romanisque sic dicti; estque nomen *satyr* ipsissimum Hebraeum שָׂעִיר, litera *t* interposita, et adspirationem, quae est in litera ע compensante. Arabibus شَعَر *Satar* hircum notare observavit Bochartus in *Hieroz.* L. II. L. II. Cap. LIII. (T. I. p. 737. edit. Lips.). Credebant autem veteres, daemones aut spectra in nemoribus, sylvis, desertisque locis solitos esse, *noctu* inprimis, apparere specie et forma satyrorum, i. e. capite cornuto, caprinis pedibus, et caudâ porcinâ, eosque de nocte inter se convenire, choreas ducere salaces, et sonos edere qualescunque, qui homines terreant; vid. Plinii *Histor. Nat.*

L. V.

L. V. Cap. I. In eadem opinione verſari etiamnum incolas ejus regionis, in qua vetus Babylon ſita erat, narrat Rich in *den Fundgruben des Orients* T. III. p. 144. Satyros vero *ſaltare*, ut hic vates dicit, idque iis proprium eſſe docet illud Virgilii *Ecl.* V. 73. *Saltantes Satyros imitabitur Alpheſiboeus.* Hieronymus: „*Seirim* vel incubones, vel ſatyros, vel ſylveſtres quosdam homines, quos nonnulli *fatuos ficarios* vocant, aut daemonum genera intelligunt." Plura vid. in Bocharti *Hieroz.* P. II. L. VI. C. VII. T. III. p. 825. edit. Lipſ. Doederlein intelligit *Faunos*, vel id ſimiarum genus, cui *Maimon* ſeu *Mermon* nomen; hae enim hirſutis pilis adſpectuque hircis (quos שְׂעִירִים Hebraei dicunt) ſimiles videntur.

22. וְעָנָה *Et reſpondebunt*, i. e. ululabunt alternis vicibus. Cf. infra XXVII, 2. 1 Sam. XXI, 12. אִיִּים *thoes*, hyaenae ſpecies; Arabibus بنات اوى dicti, a ſono, quo agros Syriae perſonant, cum noctu turmatim curſitant. Horum et maxime proprium eſt, quod alternis ululatibus ſibi mutuo reſpondeant. Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. XIII. T. II. p. 180. edit. Lipſ. בְּאַלְמְנוֹתָיו *In palatiis ejus* dirutis, pro בְּאַרְמְנֹתָיו (quod ipſum in codicibus nonnullis legitur), literis ל et ר permutatis, ut et in aliis linguis. Sic apud Arabes ختر et ختل, *decepit*, نثرة et نثلة *lorica ampla.* Vid. Schultensii *Clavem Dialector.* p. 253. et 297. atque A. J. Arnoldi *Zur Exegetik und Critik des A. T.* p. 40. not. Cf. Ezech. XIX, 7. אַלְמְנוֹת alias *viduas* notare conſtat. Hinc Kocherus: „Singularis acuminis atque elegantiae eſſe potius quam meri caſus videtur, pro אַרְמְנֹתָיו dici אַלְמְנֹתָיו, tanquam *vidua* palatia, a dominis vacua." תַּנִּים Hieronymus *dracones* magnos, qui criſtati ſint et volantes, interpretatur, quem plures alii ſequuntur. Sed dracones eſſe תַּנִּינִים, a ſingulari תַּנִּין, תַּנִּים vero *Schacalos*, a תַּן, coll. Arab. تِينَان, *lupus*, qui cum cane illo fero, cui *Schacal* nomen, proxima cognatione eſt conjunctus, poſt

poſt Ed. Pocockium in *Commentar. ad Mich. I*, 8., pluribus docuit Schnurrer in *Diſſertat. ad Eſaj. XXVII.*, in *Diſſertatt.* p. 323., refertque Rabbi Tanchum, Judaeum Hieroſolymitanum, et praeſtantiſſimum commentatorem, in Commentario ſuo Arabico, cujus exemplum extat in Bibliotheca Bodleiana Oxonii, pluribus locis negare, תַּנִּים unquam *draconis* ſignificationem habere, ſed beſtiam, cui nomen ſit ابن اوي; denotare. Cf. Bocharti *Hieroz.* T. III. p. 222. edit. Lipſ. Reſpondent igitur h. l. תַּנִּים bene τοῖς אִיִּים, in membro priore. בְּהֵיכְלֵי עֹנֶג *In palatiis voluptatis*, in palatiis, quae quondam deliciarum et luxuriei ſedes erant. וְקָרוֹב לָבוֹא עִתָּהּ *Prope autem eſt, ut veniat*, cf. Vs. 6. LVI, 1. Jerem. XLVIII, 16. LXX: Ταχὺ ἔρχεται. Cf. Apoc. I, 1. XXII, 7. 12. וְיָמֶיהָ לֹא יִמָּשֵׁכוּ *Et dies ejus non protrahentur*, Ezech. XII, 25. 28., cf. Neh. IX, 30. LXX: Οὐ χρονιεῖ. Vulgatus: *dies ejus non elongabuntur.*

Cap. XIV, 1. Regno Babylonico deleto, liberabuntur Iſraelitae a ſervitute Babyloniorum, atque in patriam tellurem redibunt. כִּי־יְרַחֵם יְהוָה אֶת־יַעֲקֹב *Nam miſerebitur Jova Jacobi*, longi et aerumnoſi Judaeorum exilii miſertus, XLIX, 13. LX, 19. וּבָחַר עוֹד בְּיִשְׂרָאֵל *Et eliget adhuc Iſraelem*, eos iterum in populum ſibi carum aſſumet. וְהִנִּיחָם עַל־אַדְמָתָם *Et collocabit eos* (Geneſ. II, 15.) iterum *in terram ſuam.* וְנִלְוָה הַגֵּר עֲלֵיהֶם *Et adjunget ſe peregrinus eis;* verbum לָוָה cum עַל conſtruitur, ut Num. XVIII, 2. וְנִסְפְּחוּ *Et ſeſe aggregant*, 1 Sam. II, 36. XXVI, 19. Hab. II, 15. Job. XXX, 7.

2. וּלְקָחוּם עַמִּים *Et ſuſcipient eos populi*, externi populi Judaeos remigrantes omni ſtudio et auxilio proſequentur. וְהִתְנַחֲלוּם — וְלִשְׁפָחוֹת *Et occupabunt illos ut hereditatem Domus Iſrael in terra Jovae in ſervos et ancillas*, i. e. Hebraei in terram patriam reduces, populos exteros, a quibus vexati, afflicti, aut ſubacti fuerant in ſervitutem, ſibi proprio quodam et ſtabili jure habebunt obnoxios, tanquam

quam ſervos et ancillas. הִתְנַחֵל enim eſt, aliquid ut ſuum certo et ſtabili jure poſſidere, ſibi vindicare, vid. Levit. XXV, 46. Num. XXXIV, 13. אַדְמַת יְהוָה eſſe *terram Iſraeliticam* vix monitu opus, dicitur quoque ita Hoſ. IX, 3. וְהָיוּ שֹׁבִים לְשֹׁבֵיהֶם *Et erunt capientes qui ſe ceperant*, uti Vulgatus vertit, i. e. capient et ſubjicient ſibi eos, quibus ante ſervierant, cf. 1 Reg. VIII, 46. וְרָדוּ בְּנֹגְשֵׂיהֶם *Et dominabuntur exactoribus ſuis*, i. e. ab iis exigent impoſita vectigalia; quibus olim ea penſitare conſueverant. Cf. LX, 14.

3. בְּיוֹם הָנִיחַ *Die quo requiem dabit*, XXVIII, 12. Deut. XII, 10. Joſ. XXII, 4. מֵעָצְבְּךָ *A dolore tuo*, aegritudine tua, Pſ. CXXXIX, 24. 1 Paral. IV, 9. וּמֵרָגְזֶךָ *Et a commotione et trepidatione tua*, Ezech. XII, 18. Habac. III, 1. וּמִן־הָעֲבֹדָה הַקָּשָׁה *Et a ſervitute gravi*, reſpicit ad Exod. I, 14. אֲשֶׁר עֻבַּד־בָּךְ *Qua tibi impoſita erat*, qua ſervire coactus es. Verbum עָבַד per ב cum nomine perſonae conſtructum, denotat *aliquo ſervo uti*, vid. not. ad Exod. I, 14. Pyal verbi עָבַד praeter hunc locum ſemel tantum, Deut. XXI, 3., obvium. Hoc loco עֻבַּד minus accurate poſitum pro feminino עֻבְּדָה.

4. Sequitur nunc praeclarum illud epicinium in regni Babylonici occaſum, quod data opera illuſtravit Aurivillius in ſingulari Diſſertatione, quae extat in omnium Aurivillianarum Diſſertatt. collectione a Michaele edita p. 389. ſeqq. Eleganter translatum illuſtratumque hoc carmen legitur a C. G. Justi in libro a ſe edito: *National-Geſänge der Hebräer*, p. 92. ſeqq. Vid. et *Blumen alt-hebr. Dichtkunſt*, p. 449., et a Dav. a Coelln in den *Analekten für das Stud. der exeget. Theol.* Vol. III. Faſc. II. p. 1. ſeqq. וְנָשָׂאתָ הַמָּשָׁל הַזֶּה *Et attolles carmen hoc*, Hebraeum מָשָׁל, aeque ac مثل Arabum, ſignificat *ſimilitudinem*, hinc vero nunc brevius dictum, grave translato et acuto ſenſu, uti ex titulo Proverbiorum conſtat, nunc longius carmen, quo, ficta ſub parabola, eo conſilio res proponitur alia, ut animos audientium et legentium eo fortius feriat. *Orationem*

igitur

igitur *elatam et gravem, comparationibus, imaginibus, figuris multum ornatum* recte dixit Lowthus in Praelect. IV. *de Poesi Hebraeor.* p. 64. 65. edit. Goetting. Bene vocis מָשָׁל significationes exposuit quoque Zieglerus in Introduct. in Commentar. ad Prov. §. 2. p. 5. 6. Eodem sensu vox nostra occurrit Num. XXI, 27. XXIII. et XXIV., saepius Mich. II, 4. Proprium autem hoc est poetis Hebraeis, ut medio carmini aliud intexant sonantius jam et majus carmen, cui collata reliqua oratio paene prosa videtur; fingantque epinicium aut epicedium, pro more gentis a poetis mulieribusque canendum, vid. Jesaj. XXVI, 1. seqq. XXVII, 2—5. Jerem. IX, 16—20. Cujus prosopopoeiae mira vis est, tum quia magis videmur nobis in rem praesentem venire, ipsisque jam victoriis aut malis interesse, epinicia ista aut epicedia audientes: tum quod admirabilius quid ac divinius persentiscimus, cum reliqui carminis sensu jam adfecti majus aliquid auribus haurimus. עַל־מֶלֶךְ בָּבֶל *Super regem Babelis.* Qui *rex Babylonis* hic dicitur, non tam certum aliquem e Babyloniis regem videtur indicare, quam metonymice et poetica sub figura, ipsum Babylonium imperium. Cantici exordium e medio sumtum ipsius rei tanquam praesentissimae: subita Judaeorum exclamatio, gaudium eorum et admirationem ob insperatas rerum vices et interitum tyranni exprimens. אֵיךְ שָׁבַת נֹגֵשׂ *Quomodo cessavit exactor?* siccine cessavit splendidissimum potentissimumque imperium? Est mirantis cum sarcasmo et simul gaudentis. Quod sequitur, מַדְהֵבָה, hic tantummodo obvium, LXX vertunt *ἐπισπουδαστής*, Vulgatus *tributum*, Chaldaeus תְּקוֹף חַיָּבָא *ferocitas impii*, Syrus ܡܫܬܥܒܕܢܐ *exactor.* At enimvero quum nostro מַדְהֵבָה haud dubie *auri* significatio insit (דְּהַב enim Chaldaice est pro זָהָב); mirum sane videri possit, a nullo veterum illam expressam esse. Satis verisimile igitur est, illos interpretes legisse מַרְהֵבָה, quod ipsum in editione Thessalonicensi scriptum invenit Doederlein, qui id vertit *turbatrix*, collato Syriaco ܪܗܒ, *tumultuatus est,*

est, trepidare fecit. Quum vero idem verbum in Aphel sit *festinare fecit;* J. D. Michaelis, qui hanc lectionem vulgari praefert, reddit *urgens* (*die zur Arbeit dringende Gebieterin*); quod haud male antecedenti נֹגֵשׂ respondet. מַדְהֵבָה autem, quod nos legimus, varie potest accipi. Plerique a רָהַב ducunt, explicantque vel *auri cupida*, vel *tributum auro pendendum.* Ex Arabico ذهب, *abegit, periit,* vertit A. Schultens (in *Animadverss. Philologg.* ad h. l.) *perdens*, aut, *agens spolia* nempe aliarum gentium. Id Dathio quoque placuit, qui hoc incisum vertit: *qui fit ut cesset exactor, qui vi omnia abigebat?* Vitringa מַדְהֵבָה reddit *auream*, intelligitque מַטֶּה seu שֵׁבֶט, *virgam, sceptrum:* cui interpretationi quum obverti possit, מַטֶּה et שֵׁבֶט esse masculini, מַדְהֵבָה autem feminini generis; id verbum sumendum vult *genere neutro*, quod cum Hebraei non haberent, haud raro genere femineo efferant (vid. Glassii *Philolog. S.* Lib. I. Tract. I. Can. XIX. p. 51. edit. Dath.). Hinc vertit: *quomodo cessavit exactor! cessavit aureum* illud scil. sceptrum. Duriuscule, si quid sentio. Nobis praeplacet Aurivillii sententia: „transferri," inquit, „in linguis pluribus persaepe solet *auri* et *argenti* splendor ad res significandas magni pretii, gloriae, faustitatis. Cf. Esr. VIII, 27. Proverb. XX, 15. XXII, 1. Job. XXVIII, 16. 19. Graecis: sol χρυσωπὸς, Thetis ἀργυρόπεζα, χρυσόχειρ, qui aureas, h. e. pulchras habet manus. Latinis: *aureus sol, aurea aetas, aurea caesaries, argenteae oves* etc. Curni ergo putemus, auri intextam speciem a vate nostro, et expictum auri thesaurum, aut gentem, undique aurum corradentem, ubi iniquas opes Babylonias, fastum, arrogantemque sui fiduciam accusaret?" *Auro, auro ornata,* κεχρυσωμένη χρυσῷ, vocatur quoque Babylon mystica, Apoc. XVII, 4.; quod in versione hujus loci Syriaca eodem nomine iisdemque fere, quo nostro loco, litteris redditur ܡܕܗܒܬܐ ܕܗܒܬܐ.

5. שָׁבַר

5. שָׁבַר יְהוָה מַטֵּה רְשָׁעִים שֵׁבֶט מֹשְׁלִים *Diffregit Jova baculum impiorum, virgam tyrannorum.* „מַטֶּה et שֵׁבֶט *baculum* ſignificant proprie, dein *ſceptrum*, ſupremae majeſtatis ſymbolum, quod ligneum initio fuiſſe, teſtis eſt Homerus (*Il.* I, 234.). Nunc metonymice notat imperium [cf. IX, 3. X, 24.], cujus caſum propheta praedicit, quodque *impiorum* et *tyrannorum* appellat, quia tales futuri, qui tenerent, ſinguli.“ Aurivillius.

6. מַכֶּה עַמִּים בְּעֶבְרָה *Percutiens* (X, 20.) baculus ille (Vs. 5.) *populos cum furore*, atroci ſaevitia *caedebat.* מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה *Plaga defectus receſſionis*, i. e. plaga, quae non remittit, ictibus percuſſit continuis. Ante vocem בִּלְתִּי, quippe, in origine, nomen ſubſtantivum, forma ſtatus conſtructi, מַכַּת, eſt omnino analoga. רֹדֶה בָאַף גּוֹיִם *Imperitans*, ſive, ut vertit N. G. Schroederus (*de Veſt. Mulier. Hebr.* p. 379.), *proculcans in ira populos*, propria verbi רָדָה vi expreſſa, quae eſt in *calcando* (ut Arabum رَدَى). Eadem phraſis infra LXIII, 6. וְאָבוּס עַמִּים בְּאַפִּי *proculcabo populos in ira mea.* Verba מֻרְדָּף בְּלִי חָשָׂךְ LXX vertunt: *παίων ἔθνος πληγὴν* (Aldina *πληγῇ*) *θυμοῦ ἣ οὐκ ἐφείσατο, percutiens gentem plaga furoris, quae non pepercit.* Syrus: *perſequentes* (ܪ̈ܕܘܦܐ) *ſine clementia.* Chaldaeus: *ſervire faciens* (מַפְלַח) *ſine ceſſatione.* Vulgatus: *perſequentem crudeliter.* Videntur ii extuliſſe vel: מִרְדַּף, vel מַרְדִּיף ſive מַרְדֵּף. Hinc „vix dubitem,“ Dathius inquit, „legendum eſſe active מַרְדֵּף, aut ſi mavis, in conjugatione prima רֹדֵף, ut reſpondeat praecedenti רֹדֶה. Pro qua lectione dici poſſet, Mem ex praecedenti voce, in Mem deſinente, errore ſcribarum, ſaepe admiſſo, repetitum eſſe. Sed ne opus quidem eſt illa mutatione, nam conjugatio Piel ejusdem ſignificationis quoque in uſu fuit, atque ſic Vulgatus et Syrus verterunt.“ Verum nulla erit difficultas in eo, quod nos legimus, מֻרְדָּף, ſi cum Aurivillio id ſumamus pro forma nominali ſubſtantivi e Participio Hophal, quam tum ſignificare

ſicare oportebit *perſequutionem* ſenſu paſſivo. Participiorum formas Hebraeis frequenter uſurpari inſtar nominum ſubſtantivorum, ſatis notum eſt. Adſunt ex Hophal מוּסָר, *diſciplina, eruditio*, מוּסָד, *fundatio*, 2 Chron. VIII, 16., מֻצָּב *loco ſuo poſita munitio* Jeſ. XXIX, 3., מֻטֶּה unde מֻטּוֹת, *extenſiones*, Jeſaj. VIII, 8., מָעֳמָד *ſtatio* Pſ. LXIX, 3. Hoc modo, in parallelismo, qui Hebraeo carmini proprius, praecedenti מַכַּת apprime reſpondebit מֻרְדָּף, et poſterior periodus ad verbum erit vertenda: *imperitans ira in gentes, perſequutio*, quam hae patiebantur, adflictatio, quam patiebantur ab iis, qui ipſas urgebant, *non cohibita*, exceſſit modum. Minus placet, quod Kocherus propoſuit: „*ad perſequendum incitatus* nihil pepercit; i. e. mandatam divinitus permiſſamque gentium, ſed Iſraelitarum maxime, caſtigationem exercendo, modum non adhibuit, per ſuperbiam, furoremque crudeliſſime ſaeviens. Aut ſi quid melius potiusque: nam מֻרְדָּף vi ſuae formae ut *perſequi juſſum*, ſic et eum, *quem quis juberetur perſequi*, aut generatim etiam quemvis *vexationi expoſitum obnoxiumque* dicere poterat.“ Non ſatis apte membrorum parallelismo, ſi quid judico. Doederlein מֻרְדָּף nec ſenſui, praeſertim ſi puncta vocalia ſequaris, accommodatum, nec parallelismo membrorum, qui in hoc carmine conſtanter regnat, conforme ratus, levi mutatione in מִרְדַּת transformandum conjicit. „Totum quidem comma ita ſtruitur, ut in utroque membro vox voci reſpondeat, מַכֶּה et רֹדֶה, בְּעֶבְרָה et בְּאַף, סָרָה et חָשָׂךְ rel. Jam מַכַּת prioris hemiſtichii haud dubie reſpicit ad מַכֶּה; itaque altero in loco, גּוֹיִם inter et בְּלִי, vox quaerenda eſt, quae ad רֹדֶה eodem modo pertineat, quo מַכַּת ad מַכֶּה. Haec autem non מֻרְדָּף erit, ſed מִרְדַּת a רָדָה *dominari, tyrannum agere*, ſicut מִרְמָה ad רָמָה. Conſultis antiquis verſionibus reperi, quae noſtram ſententiam, quamvis per ſe facilem et probabilem, confirmant in verſione Chaldaica, cujus haec eſt poſterioris hemiſtichii interpretatio: מַפְלַח בְּתֻקּוֹף עַמְמִין מַפְלַח וְלָא מְנַע *ſervire faciens populos ſervitute irremiſſa*. Graeci LXX dubito, an nobis ſuffragentur;

con-

conſuetae tamen lectionis veſtigium nullum apparet in verbis: *παίων ἔθνος πληγὴν θυμοῦ, ᾗ οὐκ ἐφείσατο.*“ Doederlinii conjecturam probat Gesenius, obſervans, ductus literarum ף et ה, in codicibus orientalibus et germanicis ita ſibi ſimiles eſſe, ut vix discerni poſſint.

7. נָחָה שָׁקְטָה כָּל־הָאָרֶץ Sed nunc, ſubverſo tyrannico iſto imperio, *requieſcit, tranquilla eſt, qua patet, terra.* נָחָה et שָׁקְטָה nulla junguntur copula. Si ו interponeretur, e Syro et Latino, *πάθος* langueſceret. אֶרֶץ, *terram*, poni pro incolis, ad quos acta res proxime pertinebat, vix opus monere. פָּצְחוּ רִנָּה Alexandrini recte verterunt *βοᾷ μετ' εὐφροσύνης.* Nam פָּצַח, Arab. فصح, فضح et فضخ, proprie eſt *erumpere*, hinc *eloqui, disſerere* (ut multis probavit Schultens in *Animadverſſ. philologg.* ad h. l.), unde et Jeſaj. LIV, 1. verterunt Graeci *ῥῆξον καὶ βόησον*, quod ipſum excitatum Gal. IV, 27. a Syro vertitur ܐܦܨܚܝ, *erumpe*, nempe *gaudio.* Videtur tamen et apud Syros proprie non de quovis gaudio, ſed quod cum ſtrepitu aliquo et *fragore erumpit*, uſurpari, ut bene obſervat Ludov. de Dieu ad h. l. Nec aliter Terentius *Eunuch.* Act. III. Sc. 5. Vs. 2.

Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium.

Verba פִּצְחוּ רִנָּה ad eosdem illos, terrae incolas, pertinere, uſu imperſonali, quo, non minus ac Latini, perſonam 3. pluralis frequentant Orientales, recte monet Aurivillius. „Eſt,“ inquit, „conſtructio ad ſenſum, quam dicunt Grammatici, nihilque proinde attinet, exquirere, an referri ad פִּצְחוּ poſſit אֶרֶץ, nam cohaeret ſane tanquam nominativus cum נָחָה שָׁקְטָה; aut vim quandam hic afferat diſtinctio per Athnachum. Si vel ponatur maxima, haud tamen oberit affectui, qui ſingulis incumbens loquutionibus, has fecit breviſſimas. Damnat idem Hubigantii conjecturam, qua פִּצְחוּ junxit voci בְּרוֹשִׁים, ut nominativo, per ſe inanem, et ne ratiuncula quidam nixam ulla.“

8. אַרְזֵי

8. בְּרוֹשִׁים et אַרְזֵי לְבָנוֹן esse *cedros* et *pinus Libani* ostendit Celsius *Hierobot.* I. p. 74. seq. et p. 106. seq. Hae gaudent לְךָ, *de te*, seu *propter te*, nunc videlicet nocendi facultate exutum. Ea enim significatione praefixam ל sumi posse, monstrant loca Genes. XI, 13. Ps. LXXI, 10. Levit. XIX, 28., ita vero sumendam hic esse, per se patet. Nam ad ipsum Babylonium vertitur oratio, quin et hunc alloqui tutae jam arbores finguntur, atque dicere: te extincto (מֵאָז שָׁכַבְתָּ, *a momento*, quo, *ex tempore quo decubuisti*) non יַעֲלֶה הַכֹּרֵת עָלֵינוּ *ad nos adscendet* porro, qui succidat. Neque enim audiendus Vitringa, qui עָלֵינוּ vertit *folia* aut *cacumina nostra*, junxitque proxime praecedenti הַכֹּרֵת, frigide nimium et invitis accentibus, praesertim quum frequenter soleat עָלָה per particulam עַל construi. Dathius tamen quoque עַל h. l. substantive usurpatum censet pro *summo* rei; ut *arborum cacumina* seu *vertices* significentur. Obvium ubique in sermone *sedatiori* לֵאמֹר quisque senserit intelligendum. At non expressit vates, ut affectus impetum in loquentibus aemularetur. Est vero, tum conversa oratio ad res et personas absentes, ac si coram adstarent, tum informata species inanimatarum, quasi vita et humanis sensibus fruerentur, hosque etiam verbis exprimerent, in omni et Poesi et elatiori Prosa usitatissima. Cf. 1 Chron. XVI, 31. Ps. LXXVII, 17. XCVI, 11—13. XCIII, 7. 8. Job. XXXVIII, 35. Habac. III, 10., in quibus coeli dicuntur laetari, terra exsultare, fluvii *palmis* complodere, montes certatim in cantum adventante Jova, erumpere, aquae Deum videre et tremere, abyssus vocem edere manusque in sublime extollere, arbores sylvaeque canere, fulgura Deum alloqui, et, praesto esse sese mandanti, asseverare etc. Neque ignotum illud Virgilii *Eclog.* V, 68.

Ipsi laetitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes; ipsae jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta. — —

In nostro, ubi pervadentis omnia gaudii pingitur amplitudo, cedri et pinus Libani universam Syriae et Palaestinae regionem,

nem, quam mons Libani nobilitaverat, ſiſtunt, et quia procerae, eximiae lateque conſpicuae arbores illae, magni principes regesque ſaepe iis ſignificantur, cf. Dan. IV, 10. 11. Jeſ. II, 13. X, 18. 33. 34. XL, 24., et Glassii *Philolog. S.* p. 1107. edit. Dath. Nam Verſum noſtrum proprie capere de arboribus, quas exſcindere amplius, ad ſtruenda inde faſtuoſa palatia, aut paranda bellica munimenta, non poſſet exciſus Babylonius, foret tenuius, quam ut ceteris, de quibus agitur, ſatis conveniret. Hieronymus: „Per *abietes* et *cedros Libani* principes gentium intellige, qui Nabuchodonoſor percutiente ſucciſi ſunt, qui et ipſi in vocem laetitiae perrumpentes dicunt: ex quo ad inferna deductus eſt, nullus alius potuit inveniri, qui magnos potentesque ſuccideret."

9. Sequitur orci, ſive infernae regionis audaciſſima proſopopoeia: excitat ille incolas ſuos, principum manes et defunctorum regum umbras; protinus omnes de ſoliis ſurgunt, et regi Babylonio venienti obviam procedunt; inſultant ei et illudunt, et ex ejus calamitate ſuae ſortis quaerunt ſolatia. Eandem etiam ſcenam cum eodem adjunctorum apparatu egregie inſtruxit Ezechiel, Cap. XXXII, 18—32., qui pro more hanc imaginem et amplificat. שְׁאוֹל eſſe ᾅδην, ſeu *orcum* Hebraeorum, notiſſimum eſt, et aderat jam ſupra V, 14. Varias notiones, quas Hebraei hac voce exprimunt, earumque originem et progreſſum bene expoſuit Zieglerus in *Excurſu primo ad Proverbior. verſion. teuton.*, ad quem lectores brevitatis cauſſa remittimus. Iſtud igitur mortuorum veluti contubernium רָגְזָה, *exturbatur* vehementius, tanquam inopina praeſentia novi et inviſi ſodalis. לִקְרַאת בּוֹאֶךָ *Cauſſa tui introitus* recte vertit Syrus, perperam ſequenti adjunxit hemiſtichio Vitringa. Nempe רָגַז, quod proprie videtur ſignificaſſe *tremere*, adhibere ſolet, ubi violentior affectus irae, metus, admirationis, quin et gaudii Jerem. XXX, 9. exprimendus. Utrumque autem, tum עוֹרֵר, *ſuſcitat*, tum הֵקִים, *ſurgere fecit*, referri oportebit

ad

ad שְׁאוֹל nominativum, consentientibus, quod ad עַתּוּדֵי attinet, antiquis interpretibus praeter unum Alexandrinum. Neque obstabit, quod רָגְזָה praecesserat forma feminina. Nam שְׁאוֹל est generis communis, et Hos. XIV, 14. Iob. XXVI, 6. ut masculinum construitur. De origine vocis רְפָאִים magna dissensio. Si conferamus loca, in quibus hoc nomen occurrit, liquet *primo*, id esse nomen *gentilitium*, Genes. XIV, 5. XV, 20. Jos. XVII, 15. et appellatum ita esse genus hominum, procerum statura corporis, Deut. III, 11.; *deinde*, illo designari *mortuos*, et id quidem locis bene multis, e quibus sufficiat allegasse Jes. XXVI, 14. et Ps. LXXXVIII, 11. Quae duo quum inter se nescirent componere, alii existimarunt, *Rephaitas* sic dici, quod tanquam *spectra* hominibus terrorem incutiant; et quum gens illa in specubus et cavernis subterraneis habitasset, alii *mortuos* hoc nomine appellatos putarunt, quod hi quoque in speluncis conderentur: quae Masii et Aurivillii est sententia. Zieglero, l. c., רְפָאִים videntur fuisse genus hominum violentia et immani corporum longitudine terribilium. Deinde narrationes de iis abiisse in fabulam de gigantibus, Titanum instar, Deo ipsi sese opponentibus, et ab eo in tartareas tenebras dejectis. Vitringa *Rephaitarum* nomen ob monstrosam corporis magnitudinem in *umbras* et *manes mortuorum* translatum esse, existimat, quod communis opinio de *umbris mortuorum* fuit, apparere eas solere forma et statura longe majore, quam sunt vel fuerunt corpora viventium. Sed videntur רְפָאִים hic et aliis locis, ubi de *orco* est sermo, *umbrae mortuorum* nomen nacti esse a רָפָא, idem quod רָפָה, *remissus, debilis fuit*, iidem qui Homero *ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων, animae, simulacra mortuorum*, Virgilio *imagines*, et passim *manes*. עַתּוּדֵי אָרֶץ *Proceres terrae.* עַתּוּדִים proprie notare *hircos*, et dein, sueta Orientis metaphora, *imperantes, duces, principes*, notum; vid. Jerem. XL, 8. Zach. X, 3. כִּסְאוֹת *Solia*, tribuuntur regum umbris, ut pingantur eadem magnificentia, e qua decedere oportebat, ubi eundum in orcum esset.

10. Sequitur grandiloqua compellatio, qua novus advena excipitur ab orci incolis, et prope deridetur. Exprobratur mortuo regi acerba contemtione tum prisca arrogantia immensaque fiducia potentiae, qua mortalis oblitus sortis, supra humana omnia se extulerat, tum versa nunc vice, omnimodo pristini splendoris jactura. עָנָה, unde יַעֲנוּ, proprie *respondet*, tribuitur etiam his, qui loqui incipiunt, qui alterum sermone aggrediuntur, haud aliter ac Graecorum *ἀποκρίνεσθαι*, vid. Deut. XXI, 7. XXVI, 5. Job. III, 2. 6. חָלָה Orientalibus est *trivit*, dein *polivit*, tum et *morbo attritus fuit*, hinc חֻלֵּיתָ ex Pyhal denotabit debilitatem summam, post virium omnium defectum, quas vulnera, morbus et mors denique penitus contriverint. אֵלֵינוּ נִמְשָׁלְתָּ *Nobis similis factus es.* Alias נִמְשַׁל cum עִם construitur, vid. Ps. XXVIII, 1. CXLIII, 7.

11. הוּרַד שְׁאוֹל גְּאוֹנֶךָ *Itane in infernum deturbatus est* (Vs. 15. X, 13.) *fastus tuus?* גָּאוֹן denotat *altitudinem* tam corporis quam animae, unde et *superbiam*, Jes. XIII, 11. Prov. XVI, 18., qualis Babylonii olim regis, in idem nunc cum eo sepulchrum mersa. Juvenal. *Satyr.* X, 172.

Unus Pellaeo Juveni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit.

Pertinet eodem velut declaratio τοῦ גָּאוֹן et amplificatio. הֶמְיַת נְבָלֶיךָ, *strepitus, tumultus ingens, instrumentorum musicorum*, quibus abusus ad insanam pompam, tyrannus saevas itentidem victorias gloriatus fuerat, immodico rapiente gaudio, quod certe, ad augendum fastum, hic intexitur. Cf. infra XXIV, 8. Itaque Alexandrinus non male posuit: ἡ πολλὴ εὐφροσύνη σου. Hieronymus vertit: *concidit cadaver tuum*, unde Hubigantius conjecit, prophetam scripsisse הוּמַת-נִבְלָךְ, sed nullius nixus auctoritate codicis, aut alius antiqui interpretis, invito praeterea linguae Hebraeae genio, qui הוּמְתָה נִבְלָתְךָ poscit, tuenteque lectionem consuetam tum Chaldaeo, tum Syro, quamvis neuter ad litteram verterit. Nec, quod lectioni masorethicae obvertit ille,

ille, musicis instrumentis cum Babylonio in orcum detrusis, quidpiam inconcinni subesse, aliis ita videbitur. Et Ezech. XXXII, 27. de bellicis armis idem figurate dicitur. תַּחְתֶּיךָ יֻצַּע רִמָּה *Subter te stratum fiet* (Hophal, ut Esth. IV, 3.) *vermis* (vid. not. ad Job. VII, 5.), ut fastus deprimatur ferocientis hominis, qui tandem in praedam cedit tam vili animalculo. וּמְכַסֶּיךָ תּוֹלֵעָה *Et tegumenta tua erunt vermiculi.* Pro מְכַסֶּיךָ libri nonnulli, tam impressi, quam manu scripti, מְכַסְּךָ, sine Jod, in singulari habent. Dubito, an recte. Nam תַּחְתֶּיךָ et מְכַסֶּיךָ sibi invicem opponuntur. Foedum jacebit cadaver, e tineis veluti facto strato, tegumenti instar aut stragulae vermibus quoque obruendum. Superbo principi, posteaquam magnificentissimo exsultaverat luxus omnis apparatu, post mortem nihil tribuetur regii honoris, nihil curae, qua servandae a putredine forent exuviae; sed unum superesit istud, quod plebejo cuique et caduco corpori commune est. Scilicet docta est Sanctii observatio, respici fortasse hic a vate curam, qua Assyrii cadavera servare soleant, eaque ungere, condire, atque a foetore et interitu vindicare, ut Herodotus et Strabo testantur; quod huic principi non contigerit. Idem videtur respici infra Vs. 18.

12. Quae hoc Versu sequuntur, Vitringa et Lowthus tribuunt populo Judaico, quasi ab eo dicerentur in Babylonium; sed poterunt non minori jure ad eosdem referri illos, quos loquentes jam antea audivimus. Mirantur hi, gaudent, immo probri instar objiciunt misello delapsam subito celsitudinem. אֵיךְ נָפַלְתָּ מִשָּׁמַיִם *Quomodo cecidisti de coelo!* Quamquam נָפַל haud repugnante linguae Hebraeae genio, intelligi posset eo sensu, quo Graecorum *πίπτειν*, Latinorum *cadere*, frequenter de *occasu siderum* occurrunt, ita ut putaretur cum splendente sidere, postquam in coelo id occiderit, comparari morte abreptus Babylonius; multo tamen erit gravius fortiusque, e coelo prociduum, h. e. e rutilante majestatis fastigio delapsum spectare. Quem-

admodum HORATIUS *Od.* I, 1. *sublimi ferire sidera vertice,* et Epod. XVII, 41. *perambulans astra sidus aureum,* ubi ingentis honoris et existimationis apicem cogitabat; ita contra *ex astris decidentem* Pompejum videre sibi visus est CICERO (*Epist. ad Atticum,* Lib. II, 31.), et *de coelo detractum* ab Antonio collegam, ubi pristina utrumque spoliatum dignitate querebatur Philipp. II, 42. הֵילֵל LXX verterunt ἑωσφόρος, Chaldaeus, *qui splendidus eras inter homines,* Saadias, يَا لَامِعُ, *o splendor!* quasi esset nomen ab הָלַל, *splenduit,* deductum, inserto י, ut הֵיכָל, ut هَيْلَلَةٌ, *jubilum,* ab هَلَّ. Hinc et recentiorum plerique הֵילֵל *luciferum* interpretantur, quibus et nos cum GESENIO accedimus, quum et Arabibus هَلَّ *splendere,* et هِلَالٌ *primum lunae et postremum lunae* denotet. Quum ceteris duobus, quibus הֵילֵל occurrit, locis, Ezech. XXI, 17. Zach. XI, 2., sit Imperativus formae Hiphil verbi יָלַל, *ejulavit;* sunt, qui nec hoc loco aliter capiendum existiment. Ita HIERONYMUS: „Pro eo quod nos interpretati sumus ob facilitatem intelligentiae: *quomodo cecidisti de coelo, lucifer, qui mane oriebaris,* in Hebraico, ut verbum exprimamus ad verbum, legitur: *quomodo cecidisti de coelo, ulula, fili diluculi.* Significatur autem aliis verbis [*fili diluculi*] *lucifer,* et dicitur ei, quod flere debeat et lugere, qui quondam sic fuerit gloriosus, ut fulgori luciferi comparatus sit. Sicut, inquit, lucifer discutiens tenebras, ardens et rutilus illucescit, sic et tuus progressus in populos et publicum claro sideri similis videbatur; sed cecidisti in terram gentium vulneratus, qui per superbiam loquebaris: tantam potentiam consequutus sum, ut coelum mihi restet ac sidera, ut sub pedibus meis superna debeant subjacere.“ Syrus etiam vertit ܐܝܠܠ, *ejula!* בֶּן־שָׁחַר *Fili aurorae* (שַׁחַר i. q. Arabicum سَحَرٌ, *tempus antelucanum,* indeque أَسْحَرَ, *summo*

summo diluculo gallus cecinit, cibus denique, qui a jejunantibus sumitur, *antequam filum album a nigro discernere queant,* (سَحُور) hic lucifer vocatur quod sub matutino crepusculo potissimum sidus illud fulgorem spargat; ex Orientalium loquendi more, quo persaepe solent בֵּן et בַּת substantivis praemittere ad constituenda concreta denominativa et possessiva. Cf. Apoc. XXII, 16. ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὀρθρινός, *stella splendida et matutina:* quam constat esse *Veneris,* quae dicitur, *sidus,* lucidissime fulgens, *phosphori* seu ἑωσφόρου nomine notum, *diem,* poetarum phrasi, *praeveniens,* eumque ducens, *aurorae* signum. Verba נִגְדַּעְתָּ הָאָרֶץ חוֹלֵשׁ עַל הַגּוֹיִם Alexandrini sic vertunt: συνετρίβη εἰς τὴν γῆν ὁ ἀποστέλλων πρὸς πάντα τὰ ἔθνη, *contritus est in terram qui mittebat ad omnes gentes.* Pro נִגְדַּעְתָּ legisse videtur נִגְרַע, et pro חוֹלֵשׁ, transpositis litteris, שֹׁלֵחַ. Hieronymus, *corruisti in terram, qui vulnerabas gentes.* Id rectius, nec tamen sensum perfecte reddit. Sub גָּרַע, quod tum Hebraeis, tum Arabibus notat *succidere,* hic, ubi passive ponitur, *dilabendi* notionem simul includi, docet adjunctum לָאָרֶץ, *in humum usque.* Potest igitur phrasis נִגְדַּעְתָּ לָאָרֶץ, non nisi gemina phrasi commode reddi, valetque *excisus dejectus es in terram;* quod idem est, ac si dixisset: gladio interemtus, projectus es in terram, ut solent confossi ferro. Et quemadmodum τῷ נָפַלְתָּ מִשָּׁמַיִם respondet נִגְדַּעְתָּ לָאָרֶץ, sic בֶּן־שָׁחַר, qui dicitur in priori hemistichio, חוֹלֵשׁ עַל הַגּוֹיִם appellatur in parallelo altero. Sed non consentiunt in horum verborum interpretatione. Plerique verbo חָלַשׁ *debilitandi* notionem tribuunt; quae tam nostro, quam reliquis duobus, ubi id occurrit, locis (Exod. XVII, 13. Job. XIV, 10.), nullo modo est apta. Quid enim est: *debilitans super gentes?* Non sum nescius, quomodo sensum hunc incommodum evitare velint Kimchi et Coccejus, quorum hic עַל־הַגּוֹיִם vertit *praepositus gentibus,* ac si scriptum esset אֲשֶׁר עַל גּוֹיִם, eodem modo quo עַל הַבַּיִת notat *praepositum palatio,* οἰκόνομον, Cap. XXII, 15., et עַל יְהוּדָה

praepositum Judae, Zachar. XII, 2. Sed quae hinc prodit sententia, *debilitans qui gentibus est praefectus*, non satis concinna. Dathius vertit: *qui conficiebas gentium praefectos.* Kimchi putat, עַל hic sumi pro בְּ, ac si scriptum esset, חוֹלֵשׁ בַּגּוֹיִם, vertitque, *debilitans gentes.* Monet, ita sumi עַל pro בְּ in aliis quoque locis, veluti Gen. XXVII, 40. Sed cum rarior ille est usus voculae עַל, tum in ejusmodi casibus notionem habet *instrumenti ut caussae*, quod huic loco non convenit. Hinc scribi debebat ex sensu Kimchii חוֹלֵשׁ אֶת־גּוֹיִם, quae constructio est Exod. XVII, 13., unde et Hubigantius existimavit, עַל pro אֶת deberi scribarum errori. Syrus vertit ܡܫܰܝܛܳܢܳܐ *contemtor* gentium, nam *contemnendi* significationem ܫܛܐ apud Syros habet (Dan. XI, 21. pro נִבְזֶה, *contemtus*, Syrus posuit ܫܝܛܐ). Hinc Michaelis quoque reddit: *der du sonst so stolz auf die Völker herabsahest.* Sed verbo Hebraico *contemnendi* significationem tribuere, vetant loca Exod. XVII, 13. Job. XIV, 10., et obstat particula עַל. Hebraeum חָלַשׁ est haud dubie *stravit, projecit*, e. c. humi, quae notio Arabicae حَلَسَ inest (cf. quos ad Job. XIV, 10. laudavimus), hinc et Talmudicis חלש generatim *projicere*, peculiariter, *jacere sortem*, unde חַלָּשׁ, *sors.* Quod haud dubie ex Judaeis nonnullos movit, ut verba nostra verterent: *jecit sortem super populos. Sternendi* vero, sive *prosternendi* significatio tam huic loco, quam Exod. XVII, 13. et Job. XIV, 10. aptissima est. Nec obstat, quod in Jobo sumatur passive et neutraliter, quod fieri haud difficulter potuit, pro varia applicatione ejusdem notionis ad diversa objecta, sic כָּבֵד est *gravis pondere*, pressit, sensu activo, *gravis numero, dignitate, honore*, neutraliter; נָסַע *evulsit, loco movit*, active; *profectus fuit*, neutraliter. In laudato Exodi loco construitur quidem חָלַשׁ intercedente particula אֶת, in nostro cum עַל. Sed apposite monet Aurivillius, non insolens esse Hebraeis scriptoribus, ut verbum unum idemque particulas adsciscat non unius gene-

generis, quarum ope jungantur illi nomina, prout ex his cujusque ratio jusserit. Post קָרָא legimus, praeter alias, tum אֵת tum עַל; similiter שָׁלַח utrumque post se admittit. Curne ergo arbitremur, τῷ חָלַשׁ etiam non אֵת modo, sed et עַל in constructione subservire? Foret certe temerarium, hoc negare, quum extra tria loca, quae habemus sub oculis, plura in V. T. non adsint, e quibus de verbi constructione possit judicari.

13. Ipsum nunc tyrannum Babylonium fingunt loquentem, et insana potentiae suae jactatione supra modum gloriantem, unde mirifice amplificatur ruinae ejus atrocitas. *Tu tecum cogitabas: in coelum ascendam et super stellas coeli thronum meum collocabo. Coelum* et *sidera* idem important hic figurata loquutione, quod vidimus Vs. 12., nisi quod accedat nunc, quod omnium summum est, numinis ipsius contuitus. Id enim ut exprimeretur, voci כּוֹכְבֵי additum Dei nomen, אֵל. וְאֵשֵׁב בְּהַר־מוֹעֵד בְּיַרְכְּתֵי צָפוֹן *Et residebo in monte conventus in septentrionis lateribus.* Sub הַר־מוֹעֵד interpretes plerique *Zionem* montem, in quo templum exstructum erat, intelligunt, in quo rex Babylonis sedem suam figere velit. Sed montem illum jam dudum non in potestatem solum redegerat, sed et templum everterat et combusserat; quid ergo speret, se in eo sessurum, qui multo plus jam fecerat? Obstat et orationis gradatio: praecesserat, *adscendam in coelum, et supra stellas Dei firmabo solium meum;* jam quam non humile solum, sed praeceps lapsu, *et sedebo in monte Moria?* Accedit, quod sequitur, *in lateribus septentrionis* (יַרְכְּתֵי צָפוֹן), quum templi montem ab austro Hierosolymorum fuisse constet. Quas difficultates bene perspiciens J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. V. p. 191. et in *Supplemm.* p. 1112. aliam hunc locum interpretandi viam ingressus est. Ei sub *monte conventus* et *extremis septentrionis*, post *stellas Dei*, majus quid et sublimius, *Deorum* intelligi videtur *conventus*, qualem ethnici fingebant, in summo aliquo monte, coelum sustinente, nec

vero

vero Atlante aut Olympo, sed sub ipso polo Arctico, stellaque polari. Nempe solent, ut satis notum, in praealtis montibus, maxime borealibus, Olympo Graeci, conventum aliquem et consilium deorum fingere, cui opinioni aut fabulae Aurora fortasse borealis in illis montibus visa occasionem dedit. Ipsum adeo coelum montibus sustineri, et oculis videbatur, et fingebant poetae. Cui ignotus

coelifer Atlas
Axem humero portans stellis ardentibus aptum,

ipse quoque superorum conventu nobilis? sed huic quidem fictioni ipsa terrarum natura in Asia facile occasionem dare potuit. Babyloniis boream versus altissimi montes Armeniae, quos altiores etiam, ut ad septentrionem magis vergeret terra, exspectabantur. Jam quum ad septentrionem, in quo polaris stella semper sublimis, erigi mundus priscis illis hominibus videretur; sub ipso axe major aliquis et Atlante multo sublimior exspectabatur fingebaturque a Babyloniis mons coelifer, verum ac summum Deorum concilium, atque sic et hunc ipsum Jesajae locum accepisse videntur Alexandrini: τὰ ὄρη τὰ ὑψηλὰ τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν, et Syrus: ܒܛܘܪܐ ܪܡܐ ܕܒܬܚܘܡܝ̈ ܓܪܒܝܐ, *in monte alto in limite septentrionis.* Et Germani veteres, referente Tacito, *Germ.* Cap. 45., in ultimo septentrione *sonum emergentis solis audiri, formasque Deorum et radios capitis* (Auroram, quod dubie, borealem) *adspici* opinati sunt. Alia similia ex populorum Asiaticorum opinione vid. in Gesenii Additam. I. ad suum in Jesaj. Commentar. P. II. p. 316. seqq., et libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk. oder Bibl. Geographie* Vol. I. P. I. p. 154. seqq. In hoc ergo summo monte se sub stella polari consessurum, reliquasque ex alto despecturum stellas, Babylonius somniabat. Certe hoc sensu aeque commode *latera Septentrionis* vocare vates sacer potuit, atque Horatius *Od.* L. I. 23. Vs. 19. 20.

» *Quod latus mundi nebulae malusque*
Jupiter urget.

Et

Et Statius *Silv.* II, 212.

Ire polo videar, nitidosque errare per axes.

Ab hac explicatione non multum differt Doederleinii de hoc loco sententia, *montem conventus* poetice dici pro *axe polari*, quoniam in altissimo hoc loco, quasi in centro, totum coelum cum stellis coire et conjungi videtur. Confert locum Jobi Cap. IX, 9., in quo *penetralia austri* חַדְרֵי תֵמָן dicuntur pro partibus coeli australibus, quoniam per majorem anni partem sese abscondunt. Sic h. l. יַרְכְּתֵי צָפוֹן sunt *extrema*, recessus, *septentrionis*, cf. not. ad Vs. 15. Ita et C. B. Michaelis, ut ex ejus notatis manu scriptis refert filius, J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. IV. p. 1113.: „optime יַרְכְּתֵי צָפוֹן pro ultimo septentrione, hic vero pro editissimis terrarum fastigiis, quibus Vs. 15. יַרְכְּתֵי בוֹר opponuntur, venire videntur."

14. אֶעֱלֶה עַל־בָּמֳתֵי עָב *Ascendam super excelsa nubium,* celsis vehar nubidus. אֶדַּמֶּה, Hithpael, *similem me ostendam* Altissimo, eo ducit, ut putetur effrenus Dei contemtor haud minorem jactasse potestatem, quam quae divina celebrabatur vulgo, illi ipsi fictitia licet habita, quamque adeo nulla ex parte metuendam ducebat.

15. Vocula אַךְ hic notat ἀντίθεσιν et rectissime redditur *imo vero, quin,* ut infra Cap. XLIII, 24. *non acquisivisti mihi pro pecunia calamum odoratum, et adipe sacrificiorum tuorum non inebriasti me:* אַךְ quin (h. e. verum e contrario) *laborem mihi facessivisti peccatis tuis.* אֶל־שְׁאוֹל תּוּרַד *In orcum usque detrusus jaces* (cf. Ezech. XXVI, 20.), q. d. tantum abest, ut quae gloriabaris immania ausa potueris perficere, ut una tecum nunc prostrata perierint. יַרְכְּתֵי בוֹר, *Latera putei,* opposita τοῖς יַרְכְּתֵי צָפוֹן (Vs. 13.), hic, ut Ezech. XXXII, 23., indicant *profundissimum*, sive *infimum inferni locum;* scandit enim oratio prophetae: quippe quum dixisset, *dejicieris in infernum,* ac si minus adhuc dixisset, quam res est, aggravat dictum, subjicitque

mox,

mox, *dejiciendum in profundum inferni*, ſive בּוֹר, *putei* (*voraginis*, ſive *abyſſi ſubterranei*, quae capit mortuorum animas), unde nulla exſpectari poterat liberatio. Alexandrini: εἰς τὰ θεμέλια τῆς γῆς, Hieronymus: *in profundum lacus*. Uterque hic bene. Sic ſumitur vox יַרְכְּתֵים ſaepius, veluti in phraſibus, יַרְכְּתֵי הַמְּעָרָה, *penitiſſima ſpeluncae*, 1 Sam. XXIV, 4., יַרְכְּתֵי הַסְּפִינָה *intima navis*, Jon. I, 5., יַרְכְּתֵי הַבַּיִת *intimum domus*, יַרְכְּתֵי אֶרֶץ, *extrema terrae*, et quae hujus generis plura. Intima autem et infima τοῦ ᾅδου ſupponuntur plena eſſe triſtitia, anxietate, deſperatione; ſumma ibi caligo, nulli radii lucis.

16. רֹאֶיךָ אֵלֶיךָ יַשְׁגִּיחוּ *Qui te vident, attente te contemplantur*, ita שָׁגַח et Pſ. XXXIII, 14. LXX: Οἱ ἰδόντες σε θαυμάσουσιν ἐπὶ σοί. Vulgatus: *qui te viderint, ad te inclinabuntur*. אֵלֶיךָ יִתְבּוֹנָנוּ *Te conſiderant*, adſpiciunt, ita eadem verbi בִּין forma Hithpael, cum עַל conſtructa, ſumitur Job. XXXI, 1. Ante verba, quae ſequuntur, ſubaudiendum לֵאמֹר, *dicendo*, vel אֹמְרִים, *dicentes*. הֲזֶה הָאִישׁ מַרְגִּיז הָאָרֶץ *Nunquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram?* Ita הִרְגִּיז ſupra V, 10. XIII, 13. מַרְעִישׁ מַמְלָכוֹת *Qui concuſſit regna*, cf. Ezech. XXXI, 16. Hieronymus: „Et haec vox inſultantium eſt, et mirantium, quomodo vaſtator omnium et ipſe vaſtatus ſit.“

17. Verba אֲסִירָיו לֹא פָתַח בָּיְתָה Hieronymus vertit: *vinctis ſuis non aperiet carcerem*, et in Commentario addit: „Magnitudo crudelitatis et impietatis exprimitur, ut etiam vinctos teneret in carcere, et non ſufficerent miſeris catenae, niſi illos et tenebrarum horror includeret.“ Sed ei interpretationi non ſolum hoc obſtat, quod ſine neceſſitate אֲסִירָיו ſumitur pro לַאֲסִירָיו, verum praecipue illud, quod inſolens eſt, per בַּיִת abſolute *carcerem* intelligi, negligiturque ה locale ei nomini appoſitum. Alexandrini: τοὺς ἐν ἐπαγωγῇ οὐκ ἔλυσε, quod vetus interpres vertit: *qui in abductione erant, non ſolvit*; utique ἐπαγωγὴ hic notat αἰχμαλωσίαν, *captivitatem*, interprete Heſychio.

Syrus:

Syrus: ܘܐܣܝܪ̈ܘܗܝ ܠܐ ܫܪܐ *vinctosque ſuos nequaquam ſolvit.* Chaldaeus: לַאֲסִירוֹהִי לָא פְּתַח תַּרְעָא *vinctis ejus non aperuit januam.* Saadias voces hebraicas retinet fere, niſi quod pro ביתה ponit بيوتهم. Verba ut nunc legimus, bene reddidit Junius: *vinctos ſuos non ſolvebat* reverſuros *domum.* Ludov. de Dieu vertit: *non dimittebat domum,* quam interpretationem confirmat ex lingua Aethiopica, in qua פָּתַח, plane ut apud Hebraeos, ſignificat 1) *aperire, ἀνοίγειν,* Luc. II, 25.; 2) *ſolvere, λύειν,* Matth. XXI, 2.; 3) *dimittere, ἀπολύειν.* Idem quod hic legitur aliis verbis apud Jeremiam L, 33.

18. כָּל־מַלְכֵי גוֹיִם כֻּלָּם שָׁכְבוּ בְּכָבוֹד אִישׁ בְּבֵיתוֹ *Omnes plane gentium reges ſuo quisque domi jacent honorifice.* שָׁכַב hic denotare *jacere in ſepulchro,* quod alias, e. c. Pſ. LXXXVIII, 6. שֹׁכְבֵי קֶבֶר, res ipſa docet. Nec minus clarum, בַּיִת eſſe *ſepulchrum regium, mauſoleum.* Reges et principes veteres in ſepulchra ſumtus ſaepe immenſos impendiſſe, ſatis notum eſt, ut ex Pyramidibus regum Aegyptiorum, turri celſiſſima templi Beli (quae ſepulchrorum uſum praeſtitiſſe, veteres nos docuerunt), ſepulchro Cyri, et aliorum principum mauſoleis, ſatis liquet. Hebraeorum regum eandem fuiſſe curam, patet ex 2 Chron. XXI, 20. XXXV, 24. Nehem. III, 16. Hic autem rex Babylonius dicitur poſt mortem hoc privandus honore, ut cadaver ejus apponeretur majoribus in ſepulchreto regio, quae gravis erat ignominiae nota, vid. 1 Reg. XIII, 22.

19. וְאַתָּה הָשְׁלַכְתָּ מִקִּבְרְךָ *Tu vero projectus es ex ſepulchro tuo,* quod pro ſumma habebatur ignominia, cf. infra XXXIV, 3. Ezech. XXIX, 5. Jerem. XXII, 19. כְּנֵצֶר נִתְעָב *Sicut ſurculus abominandus,* quo Lowthus intelligit *lignum, ex quo aliquis ſuſpenſus fuerat, habitum Judaeis abominabile, igiturque cum cadavere ſepultum,* Maimonidem et Eusebium teſtes citans, qui *Hiſtor. Eccleſ.* I, 17. 18.

tres

tres cruces defossas, ab Helena inventas, memorat, quas inter crux Christi. Verum hic mos non tam antiquus videtur, ut hic locus ex eo explicari possit. Sapit aliquid recentioris et pharisaicae traditionis. Symmachus *ἔκτρωμα*, *abortum*, vertit; unde J. D. Michaelis conjicit, eum כְּנֵפֶל legisse, quod tamen nullus codicum habet. Saadias quoque كَسِقْط, *sicut abortivum*, habet. Uterque nomen נֵצֶר significatione metaphorica cepisse videtur. Alexandrinus: *ὡς νεκρὸς ἐβδελυγμένος*, Aquila: *ὡς ἰχὼρ*, *ut sanies.* Id J. D. Michaeli probatur in *Supplemm.* p. 1671., ubi „*ulcus,*" ait, „*turpe* et *saniem* נֵצֶר a نَضِر, *viruit*, significare potuerit; *efflorescendi* enim verba Hebraeis ad *ulcera* transferuntur Exod. IX, 9. 10. Levit. XIII, 12. Desumta imago a turpi et leproso cadavere, quod sepulchro patrio non excipitur." Hinc vertendum esset, tu *projectus es ex sepulchro tuo ut ulcus abominabile.* Nos retinendam arbitramur consuetam *surculi* significationem. Recte Hieronymus: „*Neser* proprie virgultum appellatur, quod ad radices arborum nascitur, et quasi inutile ab agricolis amputatur." Verba לְבֻשׁ הֲרֻגִים varie explicari possunt, prout vox לְבֻשׁ vel sumitur ut *nomen*, ut significet *vestem*; vel ut *participium*, quando vertitur, *vestitus.* Si pro *veste* sumatur, bifariam exponi potest, nempe ut לְבֻשׁ sit ellipticum pro בִּלְבֻשׁ, *in veste*, vel כִּלְבֻשׁ, *sicut vestis.* Prius hunc dat sensum, cadaver Babylonii *veste*, sanguine foedata, qualis ea esse solet confossorum gladio, projectum jacere extra sepulchrum. Posterius hanc efficit sententiam: tu projectus es extra sepulchrum, ut surculus abominabilis, ut *vestis occisorum.* Hominum enim occisorum vestes sanguine foedas et ferro punctas, omnes habent ut rejectaneas, et tanquam impurum quid horret quisque et abjicit. Inter Hebraeos commendat hanc expositionem Kimchi, et Pagninus pluresque alii eam probant, quia ellipsis litterae כְ, ex superiore voce כְּנֵצֶר repetendae, hic facillima est. Equidem tamen,

tamen, cum Coccejo, Vitringa et Lowtho, לָבֻשׁ sumere mallem ut participium: *indutus occisis*, sive *vestitus occisis*, hoc sensu: cadaver ejus cum reliquorum occisorum cadaveribus projiciendum esse in foveam, ubi circumvallatum ut undique *cinctum* occisis hominibus jaceret foedum, tristi et horribili aspectu. Ita LXX: μετὰ πολλῶν τεθνηκότων. Iidem interpretes et verba, quae sequuntur, מְטֹעֲנֵי חָרֶב recte verterunt ἐκκεκεντημένων, *confossorum gladio*; nam טָעַן hoc solo loco obvium, idem est, quod Arabum طعن, *confodit hasta*, cujus notionis et in lingua Chaldaica superest vestigium, ibi enim notat *pungere, transfigere, perforare*, unde Chaldaeus hoc verbum hic retinuit. Verba יֹרְדֵי אֶל־אַבְנֵי־בוֹר כְּפֶגֶר מוּבָס nos olim cum Houbiselio in *Observatt. philologg. exegett.* p. 110. seqq. ita interpretati sumus: *descendentes ad lapides foveae* sunt *sicut cadaver conculcatum*, i. e. qui descendere solent ad sepulchra e lapidibus caesis exstructa, vel quibus ex more consueto honesta concedenda erat sepultura, principes et proceres Babylonii, illorum cadavera instar cadaveris bruti conculcati sepulchro destituta feris bestiis coelique injuriis exponentur. Quod tamen, vere monente Gesenio, haud convenit cum Versu proximo, ubi regi Babyloniae commune cum illis sepulchrum denegatur. Sunt igitur יֹרְדֵי אֶל־אַבְנֵי־בוֹר haud diversi ab הֲרֻגִים מְטֹעֲנֵי חָרֶב, verba כְּפֶגֶר מוּבָס pertinent ad regem, suntque parallela verbis כְּנֵצֶר נִתְעָב. Hic igitur erit sensus; jacebis opertus occisis ferroque confossis, qui vero jam in eo sunt, ut ad honesta sepulchra descendant, solus ut cadaver conculcatum. Neque enim verbis יֹרְדֵי־ אֶל־אַבְנֵי־בוֹר sepulturae asininae genus describitur, ut Belgae interpretes, a Vitringa laudati, putarunt, qui hunc dant sensum, regem Babylonium non esse inserendum in sepulchrum, sed cadaver ejus tractandum ut cadavera peremtorum, quae non sepeliuntur quidem, sed ne contagione aerem inficiant, in campo obruuntur lapidibus. Quae et Doederleinii est sententia, qui vertit: *et acervo lapidum* *obte-*

obtegeris, et in nota subjecta addit: „alludit ad antiquum morem, quo lapides super cadavera, post proelia praesertim, coacervare consueverant. Qui placide obiere, sepulchra ac mausolea invenerunt." Nec probandus VITRINGA, qui per *lapides foveae* intelligit *fundamenta τοῦ ᾅδου*, sive *lacus infernalis*, quae propheta Vs. 15. יַרְכְּתֵי בוֹר appellaverat, ubi quod prius שְׁאוֹל dixerat, ibidem mox variante phrasi vocat בּוֹר, *puteum*, foveam. „Veteres enim," inquit, „quum locum illum *subterraneum*, quem שְׁאוֹל et ᾅδην vocabant, describerent tanquam magnae capacitatis voraginem, qua mortuorum animae continerentur; dabant illi loco *portas* et *fundamenta*, quae hic dicuntur אַבְנֵי־בוֹר, quod Symmachus bene vertit θεμέλια, et Hieronymus *fundamenta lacus*; quin praeiverunt jam Alexandrini: καταβαινόντων εἰς ᾅδου." Verum non de *inferno*, sed de sepulchro vatem verba facere, cum ea, quae proxime praecedunt, tum, quae sequuntur, luculenter testantur. Per יוֹרְדֵי בוֹר, *descendentes in foveam*, designari in sepulchro conditos, constat ex Ps. XXX, 4., LXXXVIII, 5., infra XXXVIII, 18., Ezech. XXVI, 20. *Lapidibus foveae* autem s. sepulchri haud incommode intellexeris speluncam sepulchralem, vel lapidibus vulgaribus rupibusque undique cinctam, vel e caesis lapidibus constructam, quales commemorantur Gen. XLIX, 31., infra XXII, 26. Joh. XI, 38. כְּפֶגֶר מוּבָס *Ut cadaver conculcatum*, quae est sors cadaverum in bello et in tumultu per stragem occisorum. HIERONYMUS: „Narrant Hebraei hujusmodi fabulam: Evilmerodach, qui, patri suo Nabuchodonosor vivente per septem annos inter bestias, ante regnaverat, postquam ille restitutus in regno est, usque ad mortem patris cum Joachim, rege Judae, in vinculis fuit; quo mortuo, quum rursus in regnum succederet, et non susciperetur a principibus, qui metuebant, ne viveret, qui dicebatur exstinctus, ut fidem patris mortui faceret, aperuit sepulchrum, et cadaver ejus unco et funibus traxit. [Eadem a magistris tradita totidem fere verbis refert JARCHI in Commentario ad h. l.]. Et est sensus: sepultis omnibus,

qui

qui a te interfecti sunt, tu solus insepultus jacebis. Alii vero locum istum sic interpretantur: omnes animae apud inferos aliquam requiem accipient, tu solus in extremas tenebras religaberis. Omnium enim operieris sanguine, et universorum te cruor premet velut obvolutum sanie mortuorum."

20. לֹא־תֵחַד אִתָּם בִּקְבוּרָה *Non conjungeris cum iis*, scil. regibus et principibus, quos supra Vs. 18. commemoraverat, *in sepulchro.* כִּי־אַרְצְךָ שִׁחַתָּ עַמְּךָ הָרָגְתָּ *Nam terram tuam corrupisti*, depopulatus es, *et populum tuum occidisti.* Alexandrini verterunt: Διότι τὴν γῆν μου ἀπώλεσας, καὶ τὸν λαόν μου ἀπέκτεινας, sive ita legerint suo in codice, sive lectionem אַרְצִי tanquam faciliorem et commodiorem in textum induxerint. Praefert hanc lectionem Struensee in translatione vernacula. Sed recte Doederlein monet, nec opus esse hac emendatione, quia reges bellorum amantes plerumque cives non minus, quam hostes exhauriunt ac perdunt, nec contextum ei favere. Hieronymus: „Juxta LXX interpretes, qui dixerunt: *quia terram meam perdidisti, et populum meum occidisti*, quid dicat, nulla dubitatio est. Terram enim Judaeam, et populum ejus, Israel, Nabuchodonosor interfecit et perdidit. Juxta Hebraicum difficilis intellectus est, quomodo terram suam perdiderit et populum suum occiderit; nisi forte hoc sensu accipiendum est, eos, quos tibi Deus in correptionem dederit, tu penitus perdidisti. Vel aliter: antiquum Assyriorum regnum, te multum superbiente et elevante contra Deum cervicem tuam, omnino destructum est. Si enim te egisses humiliter, et scisses mensuram tuam, Assyrius et Babylonius huc usque regnaret. Sive hoc modo: tam crudelis fuisti in externos, ut etiam subjectos tibi populos furibundus opprimeres." לֹא יִקָּרֵא לְעוֹלָם זֶרַע מְרֵעִים *Nec vocabitur in aeternum semen impiorum*, nulla fiat umquam stirpis improborum mentio. Haec verba sumenda sunt tanquam πρόλογος ejus, quod propheta mox addit de exstirpandis

pandis liberis, ad quos ex lege devolvenda erat imperii successio. Sensus itaque est, improbos cariturος successione, quam sibi aeternam, vel in longum promiserant. Verbum יִקָּרֵא hic notat successionem familiae, in qua patris, avi et proavi nomen ad filios et nepotes longa serie transfertur, et quum illi horum vel illorum filii et nepotes appellentur; patris et proavorum nomina itentidem repetuntur et in filiis et nepotibus suis conservantur, ut Genes. XXI, 12.: *in Isaaco* יִקָּרֵא לְךָ זָרַע, *nominabitur tibi semen,* h. e. appellabitur tuum nomen, stabilis tibi erit successio. Cf. Ruth IV, 14. Ps. LXXII, 17. Hieronymus: „Omnes historiae consentiunt, quod, occiso Balthasar, nepote Nabuchodonosor, et succedente Dario in regnum Chaldaeorum, nullus de Nabuchodonosor deinceps stirpe regnavit. Hoc ergo Scriptura praedicit, quod in tantam Babylon veniet vastitatem, ut etiam de semine regio nullus remaneat, sed propter impietatem patris omnis soboles deleatur.“ In versione Alexandrina in fine commatis superioris et initio hujus, quaedam textui adsuta sunt, quae in Hebraeis non inveniuntur: ὃν τρόπον ἐν αἵματι ἱμάτιον πεφυρμένον οὐκ ἔσται καθαρὸν, οὕτως οὐδὲ σὺ ἔσῃ καθαρός· *quemadmodum vestimentum, sanguine conspersum, non erit mundum, ita neque tu mundus erit.* Recte Vitringa observat, non esse dubium, quin sit glossema, textui adscriptum, vel ad verba, ὡς νεκρὸς ἐβδελυγμένος, quomodo interpres graecus transtulit כְּנֵצֶר נִתְעָב, sub initio Vs. 19.; vel ad versionem Aquilae et Theodotionis, ad verba לְבוּשׁ הֲרֻגִים, *vestimentum occisorum*; quod glossema deinde irrepsit in contextum.

21. Dirigitur oratio a choro ad Medos et Persas, vastatores Babelis, perinde ac Cap. XVI, 5. et Jerem. L, 26., ut domum regis Babylonii totam exscindant, et patris filiorumque sortem aequent, excisa omni prole, quae educabatur in spem successionis Imperii. הָכִינוּ לְבָנָיו מַטְבֵּחַ *Parate filiis ejus mactationem*, paretur natis ejus caedes, בַּעֲוֹן אֲבוֹתָם, *propter culpam patrum eorum*, Exod. XX, 5. בַּל־יָקֻמוּ

וְיָרְשׁוּ

וְיָרְשׁוּ אֶרֶץ *Ne ſurgant, et hereditent terram,* ne exſiſtant, et terras occupent. Verba וּמָלְאוּ פְנֵי־תֵבֵל עָרִים varie accipiunt, quum gemina ſit vocis עָרִים ſignificatio, quippe quae tam *urbes*, quam *inimicos*, hoſtes adverſarios, ut 1 Sam. XXVIII, 16. Pſ. CXXXIX, 20. Dan. IV, 16., ſignificat. Qui priorem hic eligunt ſignificationem, diverſimode rurſus inſtituunt. Quidam: *ut impleant orbem habitabilem civitatibus.* Eodem modo Hieronymus: *et implebunt facies orbis civitatum;* ſcripſit ille conſtructione, Latinis non inſolente, *civitatum* pro *civitatibus.* Saadias quoque pro עָרִים قُرَى, *urbes*, poſuit. Sequuti plures alii, veluti Doederlein, qui vertit: abſit, ut evecti ac imperio potiti *novas urbes condant:* „adeo exoſum eſt tyranni nomen," addit in nota ſubjecta, „ut invidia vel liberos premat, nolitque eos thronum occupare, ſi vel maxime ſpem facerent antiqui ſplendoris reſtituendi." Verum recte, mea ſententia, monuit Vitringa, hunc ſenſum parum convenire orationi ſuperiori, in qua Babylonius propoſitus erat ut *vaſtator urbium* et *orbis habitabilis*, Vs. 17., a cujus filiis, qui ejusdem dicuntur ingenii et indolis, quis minus exſpectet? Accedit ratio grammatica, a Coccejo producta, vocem מָלֵא *transitive*, cum duplici nomine ſubjecto, uſurpari in *Piel*, non in *Kal*, quae forma hoc eſt loco, vid. Job. III, 15. Alii itaque, quum viderent, haec verba Babylonio minus convenire, poſteriora verba alii aptarunt ſubjecto, in hunc ſenſum: *ſi illi non conſurgant, replebitur orbis habitabilis urbibus.* Kimchi et Aben-Esra hujus meminerunt interpretationis et Coccejus fere eſt ſequutus: *non conſurgant, ut hereditent terram, et implebunt orbem habitabilem urbes*, ſive, *et implebitur orbis habitabilis urbibus.* Verum totius contextus ſeriei aptius erit, ſi עָרִים accipiamus pro *hoſtibus*, ut ſenſus ſit: cavete, ne ſi filiis peperceritis, illi reſurgant, et de novo ſe mittant in poſſeſſionem terrae, et orbis habitabilis impleatur inimicis, ad ulciſcendam patris injuriam paratis, omnia rurſus turbaturis. Sic Alexandrini:

ἐμπλή-

ἐμπλήσωσι τὴν γῆν πολέμων, nec non Chaldaeus: וְיִתְמְלוּן אַפֵּי תֵבֵל בַּעֲלֵי דְבָבוֹ *et impleatur orbis inimicis.* Concinit Syrus: *ne impleant superficiem terrae bello* (ܩܪ̈ܒܐ). Inter recentiores ita Dathius: *ne novi exsistant orbis habitaculis adversarii.* Et Gesenius: *damit sie nicht mit Feinden den Weltkreis füllen.*

22. Scenam claudit Dei ipsius gravissima oratio, regi Babylonio, posterisque ejus, urbique ipsi, perpetuam excisionem interminantis. וְקַמְתִּי עֲלֵיהֶם Ipse *namque insurgam contra eos,* Amos VII, 9. Ps. XII, 6. וְהִכְרַתִּי לְבָבֶל שֵׁם *Exscindamque Babelis nomen,* cf. 1 Sam. XXIV, 22. Ps. CIX, 13. וּשְׁאָר וְנִין וָנֶכֶד *Et reliquias et nepotes, et posteros.* שְׁאָר nonnulli interpretantur *cognatum,* conferentes Levit. XVIII, 6., ubi שְׁאֵר־בְּשָׂרוֹ haud dubie hanc significationem habet; vid. not. ad eum locum. Verum an vox שְׁאָר nude posita, id denotet, dubium. Recte Vitringa monet, per שֵׁם et שְׁאָר idem significari quod per נִין וָנֶכֶד, *filium et nepotem,* et prophetam hic, ut saepe alias, sui ipsius interpretem agere, altera sententia declarando, quod priore obscurius dixerat. שֵׁם, *nomen,* pertinet ad *liberos mares,* per quos propagari solet *nomen* patris, cf. Ruth IV, 5. Jesaj. LVI, 5. שְׁאָר, *Reliquiae,* sunt *nepotes* et *pronepotes,* qui filiis primae successionis extinctis, *supersunt.* Vocum נִין וָנֶכֶד origo quidem latet; sed interpretum veterum consensus non dubitare nos sinit, significari illis sive *filios et nepotes,* quomodo in hoc et reliquis duobus, ubi hae voces occurrunt, locis (Genes. XXI, 23. Job. XVIII, 19.), Chaldaeus habet; inque Genesi Arabs Erpenianus, et in Jobo Aquila; sive *posteros et stirpem,* quod ubique ponunt Alexandrini, Vulgatus, Syrus et Saadias. Veterum interpretationes recensuit et dijudicavit J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1637. Ei נִין וָנֶכֶד est, *quicunque ulla cognatione aut amicitia vel remotissima noster est, atque ad nos pertinet.* Quum Genes. XXI, 23. pro hebraico נֶכֶד in Samaritano textu sit נגד, permutatis כ et ג, Gesenius illud mallet ex Aethiopico נגד *stirps, genus,*

unde

unde בחר נגד *virga stemmatis*, i. e. genealogia, illustrare. In alia omnia Doederlein ivit, qui voces nostras reddit: *tam foecundum, quam sterilem;* „נין," addit, „de *foetatione*, et *numerosa sobole* usu venit. נכד Arabice est, *parum aquae habuit in puteo.* Inde per metaphoram (vid. infra Cap. LI, 1.) נֵכֶד *is, qui vel nullos, vel paucos habet liberos.*"

23. וְשַׂמְתִּיהָ לְמוֹרַשׁ קִפֹּד *Ponamque eam in possessionem* (ut Ezech. XI, 17. Obad. Vs. 17.) *histricis.* קִפֹּד esse *histricem* seu *erinaceum*, ἐχῖνον, ut Alexandrini habent, multis probavit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. C. XXXVI. T. II. p. 454. seqq. edit. Lips. Conferendum est Syriacum ܩܦܕ *horrere, horripilari,* quod proprium est ericeis. Quum autem duplex sit *echinorum* species, alia *terrestris*, alia *aquatica;* hic intelligenda videtur *aquatica*, quam in insulis sub ostia Euphratis mira magnitudine nasci, Strabo L. XVI. Cap. 1. memorat. Addit enim: וְאַגְמֵי־מָיִם *et stagna aquarum*, scil. reddam eam urbem. Verba וְטֵאטֵאתִיהָ בְּמַטְאֲטֵא הַשְׁמֵד vulgo sic vertunt: *everram eam everriculo internecionis*, sequuti Hebraeorum magistros, qui a טִיט, *lutum, coenum*, verbum טֵאטֵא denominativum dicunt, *a coeno purgare, everrere*, unde nomen מַטְאֲטֵא iis denotat *scopas, everriculum.* Ita Chaldaeus, Syrus et Vulgatus, concinente linguae Talmudicae atque Rabbinico-Chaldaicae usu. Neque sensus est incommodus: significatur enim, nihil omnino futurum esse reliqui, quasi scopae totum everrunt emundantque solum. Sed recentiores, post Huntium ad Lowthi *Prael.* XXVIII. p. 579. not. edit. Gotting., p. 325. edit. Lips., et J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 995., collato Arabico طأطأ, *demisit, profundam effecit fossam,* unde nomen طأطاء, *fossa, terra depressa ac humilis, qua quis tegi ac occultari possit*, vertunt: *alte defodiam*, demittam, *eam in fovea internecionis* Hunc sensum expresserunt LXX: Θήσω αὐτὴν πηλοῦ βάραθρον εἰς ἀπώλειαν,

λειαν, in barathro coeni demergam eam ad internecionem. Egregie certe convenit praecedenti: *faciam eam paludem aquarum.*

Cap. XIII, 1. *In Babylonem oraculum, quod edidit Jeſajas, Amozi filius.*

2. *In aperto monte tollite ſignum! Suſtollite iis vocem, manuumque agitatione ſignificate, ut portas principum ingrediantur.*

3. *Ego meis ad id deſtinatis impero, meosque ad iram meam voco milites, qui de mea ſublimitate exſultant.*

4. *Tumultuoſus auditur in montibus ſonus, qualis eſt ingentis populi, ſonus ſtrepentium regnorum; gentibus coëuntibus Jova agminum Deus recenſet militares copias.*

5. *Veniunt ex remota terra, ab ultimo coelo, Jova ejusque ſaevitiae tela, ad perdendam omnem terram.*

6. *Ejulate! propinquat enim Jovae dies, ut adventans ab Omnipotente vaſtitas.*

7. *Itaque omnium manus remittentur, animique remolleſcent.*

8. *Cruciatibus perturbati et vexationibus correpti parturientium ritu dolebunt, inter ſeſe attoniti, inflammata facie.*

9. *Adventat ecce! Jovae dies atrox, ſaevus, et ira ardens, qui terram in vaſtitatem redigat, et ex ea ejus improbos evertat,*

10. *Adeo ut coeleſtes ſtellae et ſidera non micent ſuo lumine, et in ortu ſuo ſol caliget, neque luna ſua luce ſplendeat.*

11. *Animadvertamque in orbis perverſitatem, in impiorum noxam, et arrogantium faſtum comprimam, ſuperbiamque ferocium deprimam.*

12. *Rariores faciam viros obrizo, hominesque Ophirio auro.*

13. *Quin et coelum ipsum tremefaciam, ipsaque tellus suo convelletur loco, desaeviente Jova, agminum Deo, et in iras exardescente.*

14. *Ac quasi disjectae capreae, aut nullo cogente oves, alii in alias nationes atque terras diversi se fuga recipient.*

15. *Quisquis inventus fuerit, confodietur, quisquis fuerit deprehensus, gladio occumbet.*

16. *Eorum parvuli, spectantibus ipsis elidentur, et domus diripientur, et stuprabuntur uxores.*

17. *Ego in eos exciebo Medos, qui argentum despicientes, aurumque fastidientes,*

18. *Pueros arcubus elident, non uteri foetus miserebuntur, nec parcent eorum oculi filiis.*

19. *Fiet Babylon, regnorum ornamentum, Chaldaicaeque sublimitatis decus, qualis divina Sodomae Gomorrhaeque ruina est,*

20. *Numquam habitabitur, nullo incoletur aevo, non ibi tendet Arabs, non ibi stabulabuntur pastores.*

21. *Sed cubabunt ibi agrestes feles, et eorum domos replebunt bubones; ibi habitabunt struthiones et satyri saltabunt.*

22. *Ululabunt in ejus arcibus thoës, et lupi in amoenis eorum palatiis. Propediem autem veniet ejus tempus, neque protrahetur ejus dies.*

Cap. XIV, 1. *Miserebitur enim Jova Jacobaeorum, delectosque rursus Israelitas quiete collocabit in ipsorum solo, adjunctisque peregrinis, et cum Jacobi domo consociatis.*

2. *Suscipient eos populi et in suum locum adducent; occupabuntque illos in hereditatem Israelis posteri in Jovae terra ut servos et ancillas, eos habentes captivos, quorum fuerant captivi, et suis imperantes exactoribus.*

 3. *Ita-*

3. *Itaque cum tibi Jova requiem a tuo labore et formidine dederit, et a tam dura, quam tuleris, servitute,*

4. *Sustolles in Babylonium regem hujusmodi carmen: Quomodo cessavit exactor, cessavit splendida* (al. lect. *turbatrix*)!

5. *Fregit Jova virgam impiorum, baculum dominantium,*

6. *Qui populos caedebat atrociter, irremisso ictu, irate gentibus imperans, inclementer infestatis,*

7. *Placide quiescit omnis terra, erumpit in laetam vociferationem.*

8. *Etiam pini cedrique Libani super te gaudent; ex quo occubuisti nullus ad nos sector ascendit.*

9. *Infernus orcus ad tuum cohorrescens adventum manes tibi conciet, omnes terrarum principes, omnes tibi gentium reges ex suis sedibus excitans,*

10. *Qui te omnes sic alloquuntur: Tune etiam debilitatus sicut nos, nostri similis factus es?*

11. *Depressa est ad inferos tua superbia, tuorum nabliorum strepitus. Substernuntur tibi lumbrici, operiuntque te vermes.*

12. Quomodo *delapsus es de coelo, lucifer, aurorae fili, deturbatus ad terram, qui gentes opprimebas?*

13. *Tu sic animo tuo dicebas: ego coelos scandam; supra divinas stellas meum extollam solium, et in monte solemnitatum sedebo in extremis septentrionalibus regionibus.*

14. *Excelsa scandam nubila Supremo similis.*

15. *Imo vero ad orcum deturbaberis, in infimum inferni locum.*

16. *Qui te videbunt attente te contemplantes dicent: hiccine est ille vir, qui terras perterrens, qui regna tremefaciens,*

17. *Orbem redegit in solitudinem, ejus urbes evertit, captosque domum non relaxavit?*

18. *Omnes plane gentium reges ſuae quisque domi jacent honoriſice.*

19. *At tu extra ſepulchrum tuum abjectus es, tanquam inviſus ſtolo, opertus occiſis, gladio confoſſis, in lapideum barathrum deſcenſuris, tanquam protritum cadaver.*

20. *Non conjungeris eis ſepultura, qui terram tuam depopulatus populum tuum occideris. Nulla ſiet unquam ſtirpis improborum mentio:*

21. *Paratur ejus natis caedes ob parentum culpam, ne exſiſtant, terramque occupent, repleantque orbem hoſtibus.*

22. *Equidem in eos conſurgam, inquit Jova, agminum Deus, Babylonisque nomen, et reliquias, et nepotes, et poſteros exſcindam, inquit Jova,*

23. *Eamque in erinaceorum habitationem et aquarum ſtagna redigam, exſcidialibusque ſcopis converram, inquit Jova, agminum Deus.*

II.

Cap. XIV, Vss. 24—27.

A R G U M E N T U M.

Quatuor hos Versus non esse cum praecedentibus conjungendos, sed carmen peculiare constituere, jam Clericus vidit, atque Vitringa eos *peculiarem laciniam* vocat. Ex carmine longiore Assyrii stragem decantante haec commata desumta esse, cuique legenti patet. Quo consilio autem ab eo, qui vaticinia hoc volumine comprehensa collegit atque disposuit, haec particula hoc loco sit collocata, cognoscitur ex his Hieronymi verbis: „Revertitur ad praesentia, hoc est, ad Sennacherib, regem Assyriorum, qui Samariam Judaeamque vastavit, et, excepta Jerusalem, delevit per circuitum omnia, et longe post futuris vicina consociat, ut imminens auferatur metus, quia dicere poterant audientes: nos praesentem perpetimur obsidionem, iste multis post seculis ventura promittit. Est igitur ordo prophetiae: quamquam post annos plurimos Babylon destruenda sit, et omne penitus stirpis Assyriorum et Chaldaeae seminarium disperdendum; tamen ut non timeatis vicinam captivitatem, jurat Dominus, quod sua aestimatio non fallatur, et quod mente conceperit, irritum non fiat. Hoc autem humano loquitur affectu, quod scilicet non fallatur, qui falli non potest. *Conteram*, inquit [Vs. 25.], *Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcabo eum.* Una enim nocte centum octoginta quinque millia exercitus Assyriorum angelo vastante deleta sunt [2 Reg. XIX.].“

Cap.

Cap. XIV, 24. נִשְׁבַּע יְהוָה *Juravit Jova*, LXII, 8. Amos IV, 2. אִם־לֹא Vid. supra ad V, 9. כַּאֲשֶׁר דִּמִּיתִי *Quemadmodum cogitavi*, statui mecum. De verbo דָּמָה vid. ad X, 7. כֵּן הָיָתָה *Ita fiet.* וְכַאֲשֶׁר יָעַצְתִּי *Et juxta illud quod decrevi*, Vs. 27. XIX, 12. 17. Jerem. XLIX, 20. הִיא תָקוּם *Illud stabit*, VII, 7.

25. לִשְׁבֹּר אַשּׁוּר *De frangendo*, s. *ut frangam Assur*, de prosternendis et destruendis copiis Assyriacis, metaphora a brachio desumta, cf. Ezech. XXX, 21. 24. בְּאַרְצִי *In terra mea*, Canaane. Respicit ad cladem exercitus Sennacheribi, vid Hieronymi supra in Argumento allata verba. וְעַל־הָרַי אֲבוּסֶנּוּ *Et super montes meos*, i. e. super montosam Canaanaeae partem, in qua sita Hierosolyma, *conculcem eos*, instar luti platearum, Zachar. X, 5. Cf. Ps. LX, 14. CVIII, 14. Sententia hujus praedictionis est eadem, quam vates noster plenius explicarat X, 5. 16—19. 26., et retractat paucis XXXI, 5. 9. וְסָר מֵעֲלֵיהֶם עֻלּוֹ *Et recedet ab eis*, Judaeis, *jugum ejus*, regis Assyrii, ab eo illis impositum. Cf. X, 27. Hieronymus: „Et auferetur ab his, qui obsidebantur in Jerusalem, jugum ejus, et grave imperium, quod omnibus imminebat, et pondus, quo premebatur, in ipsum potius retrudetur. Fugiente enim Assyriorum rege in terram suam liber cum populi reliquiis egressus est Ezechias."

26. הַזֹּאת הָעֵצָה הַיְּעוּצָה עַל־כָּל־הָאָרֶץ *Hoc est consilium deliberatum*, decretum, a Deo *super omnem terram*, quae scenam sustineat judiciorum divinorum, de quibus hic mentio est. Magna enim imperia quum occupare soleant magnam orbis terrarum partem, nomine כָּל־הָאָרֶץ recte veniunt, perinde ac ditio Romani imperii πᾶσα ἡ οἰκουμένη dicebatur. Regnorum Assyrii et Babylonici subversio in florentissimam partem orbis illo tempore habitati cultique magnam inducebat mutationem. וְזֹאת הַיָּד הַנְּטוּיָה עַל־כָּל־הַגּוֹיִם *Et haec manus extensa est super* s. *contra omnes gentes* Jovae et populo ab eo custodito inimicas, quae omnes etiam tandem corruent. Vid. de Philisthaeis, Vs. 29., de Moabitis, XV, 1. seqq., de Syris, XVII, 1. seqq. Hieronymus:

NYMUS: „Hoc loco quidam arbitrantur generalem esse contra omnem orbem prophetiam, et quod vastitas Babylonis, et Assyriae civitatis typus sit consummationis mundi. Quibus nequaquam contradicimus, dum sciamus, hic *omnem terram* Assyriorum proprie significari, et *universas gentes* socias regis Assyrii demonstratas. Quicquid autem a Domino decretum est, nullius virtute prohibetur.“

27. כִּי יְהוָה צְבָאוֹת יָעָץ *Nam Jova, agminum* coelestium Dominus, cujus potentia nullis circumscripta est angustiis, *decrevit*, Vs. 24., XXIII, 9. וּמִי יָפֵר *Et quis irritum faciet?* VIII, 10. וְיָדוֹ נְטוּיָה *Et manus ejus extensa* est ad percutiendum, V, 25. IX, 11. XXXI, 3. וּמִי יְשִׁיבֶנָּה *Ecquis igitur recedere faciet*, reprimet, avertet, *eam?* XLIII, 13.

CAP. XIV, 24. *Juravit Jova, agminum Deus, in haec verba: quemadmodum statui, ita fiet, et sicut decrevi, ita eveniet,*

25. *Ut Assyrium in terra mea perfringam, et in montibus meis obteram, facessatque ab eis illius jugum, et onus ab eorum demdatur humeris.*

26. *Hoc est consultum de omni terra decretum; haec manus est in omnes porrecta gentes.*

27. *Nam quod Jova, agminum Deus, decrevit, quis rescindet? ejusque porrectam manum quis retrahat?*

III.

III.

Cap. XIV, Vss. 28—32.

ARGUMENTUM.

Philisthaei Ahasi tempore jugum a Usia impositum decusserant, 2 Chron. XXVIII, 8. Hinc quum prospero gavisi fuissent rerum suarum statu, eumque feliciter confirmassent, ex obitu Ahasi, *regis, qui fortasse successu temporis potuisset se recolligere, spem ceperunt statu*s rerum suarum magis adhuc confirmandi. Sed vates iis praenunciat mala gravissima, quibus futuri sint affligendi et castigandi. Dehortatur igitur eos a vana laetitia et gloriatione, quippe quae brevi commutaretur cum planctu et lamentis, ad quae illos provocat. Judaeis vero promittit majorem in posterum tranquillitatem et securitatem; atque Deum Hierosolymis adversus hostes praesidium et conservationem praestiturum esse, pollicetur. *Consilium* vatis itaque maxime erat hoc, ut pios et inopes Judaeos, Philisthaeorum terris proximos, qui gravia ab iis vulnera acceperant, consolaretur. Quum enim illi quoque forsan metuerent, ne mutato regimine, deteriora adhuc perpeterentur, vel saltem aegre viderent, Philisthaeos, ab Usia depressos, prospero rerum suarum statu laetari; vates animos eorum erigebat hac declamatione, quae ipsa est bimembris; *priore* membro Philisthaeos dehortatur a vana laetitia et gloriatione, argumento ducto a calamitate instante, cujus consequens docet fore laetum Judaeis (Vs. 29. 30.); *posteriore* provocat Philisthaeos ad planctum, similem ob rationem, et explicat novam calamitatem

tatem priorem illam conſummaturam, cum ipſe popularium ſuorum (Vs. 31. 32.).

Cap. XIV, 28. בִּשְׁנַת־מוֹת הַמֶּלֶךְ אָחָז *Anno quo mortuus eſt rex Ahaſus,* eadem formula, quae ſupra VI, 1. Cf. 2 Paral. XXVIII, 27. הָיָה הַמַּשָּׂא הַזֶּה *Factum eſt hoc effatum;* de voce מַשָּׂא vid. ad XIII, 1. Hieronymus: „Quatuor reges Judaeae titulo Prophetae [I, 1.] legimus eſſe praepoſitos, Oziam, Joatham, Achaz, et Ezechiam, ſingulos ſibi ordine et ſobole ſuccedentes, quorum Oziam mortuum ſupra legimus, referente Iſaja [VI, 1.]: *Anno quo mortuus eſt rex Ozias vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum et elevatum.* Ex quo intelligimus, et viſionem ſedentis Domini, et ea quae praecipiuntur Prophetae, usque ad eum locum, ubi ſcriptum eſt [VI, 13.]: *Sicut terebinthus et ſicut quercus quae expandit ramos ſuos; ſemen ſanctum erit, germen ejus,* ſub Joatham rege prophetatum. Tertius ſuccedit Achaz, filius Jotham, filii Oziae, regis Juda, ſub quo aſcendit Raſin, rex Syriae, et Phacee, filius Romeliae, rex Iſrael, in Jeruſalem, ad proeliandum contra eam, et reliqua, quae Scriptura commemorat [VII, 1. ſeqq.]. Igitur ſub Achaz usque ad praeſentem locum, quem nunc exponere nitimur, omnia, quae in medio poſita ſunt, vaticinata cognoſcimus; quo mortuo quartus, id eſt, ultimus, ſuccedit Ezechias, ſub quo omnis usque ad finem texitur liber." Cf. not. ad I, 1. p. 8. ſeq.

29. אַל־תִּשְׂמְחִי *Ne laeteris,* ut Mich. VII, 8. פְּלֶשֶׁת, *Philiſthaea,* tractus Cananaeae maritimus auſtralis, Zephaniae II, 5. חֶבֶל הַיָּם, *funiculus maris,* Ezechieli XXV, 16. חוֹף הַיָּם, *litorale maris,* dictus. Praeter alias urbes in eo ſitas, quinque potiſſimum nobiliores commemorantur, Gaza (extima Auſtrum verſus, proxima deſerto), Ascalon, Asdod ſ. Azot, Gath et Accaron (extima ſeptentrionem verſus, Joſ. XIII, 3., 1 Sam. V, 8. 9. 10.), quae a totidem principibus,

סַרְנִים

סְרָנִים dictis (Jos. XIII, 3.), regebantur. Inter Judaeos et Philisthaeos, quorum proximi erant in australi Cananaeae plaga (quemadmodum Phoenicum in aquilonari), odium fuisse acerrimum, quod caussam praebuit bellis inter eos longo temporis tractu gestis, vario eventu ac successu, e libris historicis V. T. patet. Cf. not. ad Ezech. XXV, 15. et *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 363. seqq. Magnas illis clades intulerat Uzias, qui in ipsa eorum ditione terrisque oppida aliqua condidit, ut Judaeam adversus eorum incursiones muniret, 2 Chron. XXVI, 6. 7. Eodem statu res hujus populi habuisse se videntur sub Jothamo; verum quum Ahasus, filius ejus, bello cum Syriae et Ephraimitidis regibus infeliciter gesto, robur sui exercitus amisisset, et status regni esset valde collapsus, Philisthaei non neglexerunt hanc captare occasionem Judaeae rursus invadendae, et proximarum sibi urbium atque agrorum occupandorum, vid. 2 Chron. XXVIII, 18. Is autem ille ipse rex est, post cujus excessum hoc editum est oraculum. כֻּלֵּךְ *Totum tui*, s. *universum tui*, i. e. tu tota, Vs. 31., IX, 8. XXII, 1. כִּי נִשְׁבַּר שֵׁבֶט מַכֵּךְ *Quod fracta est virga percutiens te*, sive, ut cum LXX (ὁ ζυγὸς τοῦ παίοντος ὑμᾶς) Hieronymus vertit: *virga percussoris tui.* שֵׁבֶט, *Virga*, vel personam aliquam regiam, a qua Philisthaei graves acceperant clades, indicare potest, ut X, 5. 24., vel regiam auctoritatem, sive domum, quae Philisthaeos hactenus sibi habuerat obnoxios, eosque saepius afflixerat, ut supra Vs. 5. Qui singulum aliquem regem significari existimant, plerique Ahasum intelligunt. Sane si quis prophetiam cum respectu ad tempus, quo est edita, i. e. obitu Ahasi, simplice oculo inspiciat, nihil videtur facilius et commodius, quam per *virgam*, quae Philisthaeos percusserat, hoc tempore fractam, illum ipsum regem intelligere, qui cum Philisthaeis bellum gesserat, et forsan eos etiam subinde affecerat clade, cujus mortem existimabant Judaeorum hostes rebus suis profuturam. Ita Hieronymus: „Naturale est quod dicimus: mortuo rege adversarum gentium semper laetantur inimici, ex rebus

novis

novis bella civilia et seditiones, ac regnandi imperitiam praestolantes. Mortuo igitur Achaz peccatore, qui ambulaverat in viis regum Israel, et cognatione eis fuerat copulatus, intelligimus Philisthaeos e vicino fuisse laetatos, et insultasse Israeli, quod, maturo regi perdito, Ezechiae juveni subjacerent. Ne, inquit, laeteris, o Philisthaea, ne insultes populo meo, quod percussoris tui Achaz virga confracta sit; quod baculus, qui ferire solitus erat, videatur morte contritus." Verum huic sententiae obstat hoc unum, quod 2 Chron. XXVIII, 18. narratur, Philisthaeos, regnante Ahaso, non accepisse clades a Judaeis, sed his inflixisse. Invasisse enim urbes campestres et australia Judae, et cepisse Beth-Schemesch, Ajalon, Gederoth, Sechon, cum villis ei subjectis, Thimnam, ejusque agros, et Gimzon-villasque ejus, et in iis habitasse. Possunt tamen haec inter se ita conciliari, ut Ahasus quidem sub finem vitae cladem a Philisthaeis acceperit maximam; sed, quum bellum varia gestum esset fortuna, ut fit, superiore tempore illis inflixerit vulnera. Vel, ut sumamus, Ahasum ante mortem vires recollegisse, et meditatum esse ultionem de Philisthaeis sumendam. Magis certe id probabile, quam cum Kimchio, Abarbenele, Grotio, Bocharto, aliis, *virga fracta* Usiam intelligere, ut hic sit sensus: ne laetemini, Philisthaei, qui olim exsultavistis in morte Usiae, qui vos graviter percusserat (2 Chron. XXVI, 6. 7.), ac si dehinc nihil vobis a regibus Judaeis metuendum restet. Neque enim apparet, cur caussam gaudii vates tam alte repetat, et ostentet remotiorem, jam supra triginta annos praegressam? Sed tutius est, per *virgam percutientem Philisthaeos* intelligere domum regiam Davidicam, vel regnum Judaicum, quae sub Ahaso *fracta*, i. e. valde debilitata erat bellis pluribus infeliciter gestis. Ita Chaldaeus: *Ne laetemini Philisthaei universi vos, quia contritum est dominium, cui serviebatis.* Et disertius Jarchi: „*Ne laetator, Philisthaea*, quae caput extuleras sub improbo Ahaso, cujus improbitas causa erat, ut ille in manus tuas traderetur, ne, inquam, laetator, quod debili-

tatum

tatum fit regnum Davidicum, qui consueverant vos (Philisthaeos) percutere, quemadmodum legimus de Davide et Usia, 2 Chron. XXVI, 6." Quum *virgam percutientem frangere* supra IX, 3. X, 5, 24. 26. XIV, 5. denotet: *jugum excutere*, se alicujus potestati subtrahere, eodem modo Gesenius et hic capiendum censet, eoque referendum, quod Philisthaei Ahaso regnante, circa idem tempus, quo regis Assyrii auxilium imploravit, impressione in Judaeam australem facta pluribus ejus regionis urbibus potiti sunt, 2 Chron. XXVIII, 18. Regem Assyriorum, Tiglathpilesarem, Sennacheribi antecessorem per virgam Philisthaeos percutientem intelligit Koppe, sine argumento historico. כִּי־מִשֹּׁרֶשׁ נָחָשׁ יֵצֵא צֶפַע *Nam e radice serpentis* (loquutio figurata, qualis supra XI, 1.), i. e. e stirpe regia ea, ex qua fuerunt plures, qui vos serpentum instar pupugerant, *exibit basiliscus*, eum enim nomine צֶפַע, ut supra XI, 8. צִפְעוֹנִי, denotari, ostendit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. III. C. IX. T. III. p. 182. edit. Lips. Basilisco vero, quem Philisthaei infensum sint experturi, a vate nostro Hiskiam significari volunt interpretes, Usiae pronepotem, quem primis imperii sui annis legimus Philisthaeos proelio vicisse 2 Reg. XVIII, 8. Ita Hieronymus: „Ne laeteris — quod coluber interfectus. Pro hoc enim nocentior nascetur Ezechias, regulus, quem Graeci vocant basiliscum, qui te suo aspectu interficiat, et spiritu oris occidat. Quomodo enim nulla avis potest reguli adspectum illaesa transire, sed, quamvis procul fuerit, ejus ore sorbetur, ita et a conspectu regis Ezechiae totus peribis." Neque tamen id evenit. Genuinum vatis sensum non dubitamus expressum a Chaldaeo: *quia ex posteris Isai prodibit Messias, cujus opera inter vos erunt sicut serpentes volantes*, quibus verbis expressit hebraica haec: וּפִרְיוֹ שָׂרָף מְעוֹפֵף, *et fructus ejus* (radicis serpentis) erit *prester* seu *hydrus volans*, vid. Bochartum l. c. C. XIII. p. 211. seqq., ubi docet, *hydrum* et *chersydrum* parum differre. Qui enim hydrus hyeme fuerat in lacunis, postquam aqua defecit aestu, in sicco degere cogitur, atque ita fit *chersydrus*, i. e. hydrus

hydrus *in sicco* (*ἐν χέρσῳ*) degens. Tum vero, infestante siti in calidis regionibus, virus habet multo acrius et nocentius, ut morsu suo exurat (cf. not. ad VI, 2.). Imo vel halitu pestilenti necat, ut post Bochartum ostendit J. Ludolfus in *Commentar. Histor. Aethiopic.* p. 176. מְעוֹפֵף *Volans*, XXX, 6., quae vespertilionum instar membranaceas habet alas. Cf. Bochart. l. c. p. 214. Hieronymus: „Pulchre servavit metaphoram: quia enim serpentem et regulum nominarat, ore ejus et spiritu dicit volucres devorari" Videlicet verba וּפִרְיוֹ שָׂרָף מְעוֹפֵף Hieronymus ita reddidit: *et semen ejus absorbens volucrem*, quod ex vetere haud dubie versione Latina retinuit. Sed in Commentario haec habet: „Pro eo quod nos transtulimus *absorbens volucrem* [quod hebraice esset שׁוֹאֵף אֶת-עוֹף], et in Hebraico scriptum est *Saraph Mopheth* [legendum *Mopheph*], interpretari potest *serpens volans*, ut sit sensus: de radice colubri nascetur regulus, et fructus illius, *id est*, *reguli*, *serpens volans*, ut draconem volantem intelligas."

30. Philisthaeis percussis secura et pacata erit Judaea in illis maxime partibus, quae, per longum tempus, incursionibus et direptionibus hostium expositae fuerant. וְרָעוּ בְּכוֹרֵי דַלִּים *Tunc pascentur primogeniti tenuium*, miserorum, i. e., Jarchio explicante, „Israelitarum proceres, qui nunc tenues sunt coram vobis (Philisthaeis). בְּכוֹרִים enim h. l. *principes* significat, ut Ps. LXXXIX, 28." Sed quum eximii in suo genere aliquando dicantur *primogeniti*, ut Job. XVIII, 13., ubi בְּכוֹר מָוֶת *primogenitus mortis*, est mors violenta, terribilis, inter species mortis prima et maxime timenda, בְּכוֹרֵי דַלִּים alii interpretantur *pauperrimos*. J. D. Michaelis vero, cui haec metaphora displicet, legere mallet בְּכָרַי sive בְּכוֹרַי, quod esset a כַּר aut כר, Arab. كور, *regio*, *pascualis* maxime, vid. Jes. XXX, 23. Ps. XXXVII, 20. Hinc verba וְרָעוּ בְּכוֹרֵי דַלִּים vertit: *pascentur in regionibus vel pascuis meis pauperes*. Id Koppio quoque placet. Nobis tamen

tamen haec conjectura supervacanea videtur. Audax quidem est metaphora, *primogeniti pauperum*, pro *pauperrimis;* sed audacior adhuc, quae Versu praecedente legitur: *radix serpentis.* וְאֶבְיוֹנִים לָבֶטַח יִרְבָּצוּ *Et egeni secure recubabunt*, servat metaphoram a pecudum gregibus desumtam. וְהֵמַתִּי בָרָעָב שָׁרְשֵׁךְ *Enecabo fame radicem tuam.* Voce שֹׁרֶשׁ significatur proprie *radix* plantae, quae cum interit, tota planta moriatur necesse est. Ergo cum dicit Deus, facturum se, ut fame *radix* Philisthaeorum prorsus intereat, perinde est, ac si dixisset, se penitus eam gentem exstirpaturum. ABEN-ESRA *radice* patres, DOEDERLEIN vero intelligit *florem exercitus, phalangem*, ut Jud. V, 14. וּשְׁאֵרִיתֵךְ יַהֲרֹג *Et reliquum tui occidet.* שְׁאֵרִית respondet τῷ שֹׁרֶשׁ, quod, praecisis ramis, reliquum est de arbore. Post יַהֲרֹג intelligi debet *hostis*, de quo Versu seq.; quem Deus contra Philisthaeos mittebat.

31. Videt vates ab aquilone densum fumum, coelum obscurantem, indicium numerosi exercitus, ex illis partibus sese moventis Palaestinam versus; sermonem vertit ad unam civitatum Philisthaeorum, maxime insignem, eamque excitat ad planctum ob novam calamitatem. הֵילִילִי שַׁעַר *Ulula porta!* „Portam," inquit HIERONYMUS, „vocat pro his, qui in porta sunt." נָמוֹג non potest conjungi cum פְּלֶשֶׁת, ob generis diversitatem (scribendum enim prophetae fuisset נְמוֹגָה); sed cum כֻּלֵּךְ et vertendum: *dissolutum est*, o Palaestina, *totum tuum. Colliquescendi* metaphora duplici sensu apud Hebraeos usurpatur, vel ut notet *dissolutionem* reipublicae, aut singularium hominum, qui intereunt, et sic occurrit Ps. LXVIII, 3. LXXV, 4. Amos IX, 5.; vel ut significet summam consternationem, maximumque pavorem, qui metaphorae usus est usitatior: et licet uterque hic locum habere possit, si rem ipsam consideres, videtur tamen ex mente prophetae posterior maxime spectandus esse, quia, si malum ipsum hic describeret, Philisthaeis obventurum, praemisisset his verbis voculam כִּי. Eadem *pavoris* significatione

ficatione נָמוֹג occurrit Jos. II, 9., ubi verba Rachabae ad exploratores Canaanaeae: *novi, Deum dedisse vobis hanc terram, et cecidisse terrorem vestrum super nos,* וְכִי נָמֹגוּ, *et liquefactos esse omnes incolas terrae hujus vestri caussa*; item Jerem. XLIX, 23. in vaticinio adversus Damascum: *quia rumorem malum audiverunt,* נָמֹגוּ, *liquefacti sunt.* Ergo propheta in hac scena sibi repraesentat totius Palaestinae miseram conditionem, eo tempore futuram, quo ad eam nuncius perventurus esset de adventu exercitus hostilis, cui incolae sciebant se non esse pares, nec posse resistere: omnia plena fore pavore, consternatione, ejulatu, planctu. Usus fuerat propheta simili phrasi de Babyloniis Cap. XIII, 7. כִּי מִצָּפוֹן עָשָׁן בָּא *Nam ex aquilone venit fumus.* Intelligendus exercitus hostilis ex aquilone irrumpens, et adventus sui signa e longinquo, sparso pulvere, ostentans. Sicuti Virgilius *Aeneid.* L. XI. Vs. 906. seqq.

Sic ambo ad muros rapidi; totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt.
Ac simul Aeneas fumantes pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit.

In verborum וְאֵין בּוֹדֵד בְּמוֹעָדָיו interpretatione discrepant. Versio Alexandrina hic manca est: *καὶ οὐκ ἔστι τοῦ εἶναι* — quae lacuna explenda est ex Arabe in Polyglottis: وليس من يثبت في مراسيه, *nec est, qui perstet in vestigiis suis.* Similiter conjecerat Lambert. Bos (in Prolegomm. ad LXX et Animadverss.) pro: *τοῦ εἶναι,* scribendum esse: *τοῦ μεῖναι.* Is sensus Koppio placet, qui vertit: *ne unus quidem* (quasi אֵין בֹּדֵד, *nullus solitarius,* positum sit pro אֵין אֶחָד) Philisthaeorum, *in loco suo manet,* prae angore et pavore. Eadem est Aben-Esrae interpretatio: *nemo Philisthaeorum audebit* (*cum hostiles milites irrumpent*) *in palatiis permanere: sicut cum fumus invadit domum, omnes inde exeunt.* Hi igitur interpretes מוֹעֵד videntur intellexisse de *domibus*; sine ratione. Syrus: ܘܡܢܐ.

ܘܠܝܬ ܕܡܬܓܡܚ ܒܥܐܕܘܗܝ, *nec est singularis quispiam in festis suis*; sine sensu. Chaldaeus: וְלֵית דְּמְאַחַר בִּזְמַנּוֹהִי *nec est, qui moram faciat in temporibus suis*; quem sequutus Vatablus: *in statutis temporibus*, quibus convenire oportebat exercitum. Forerius: „*et ne unus quidem in castris* scilicet *remanebit*, vel, *et ne unus quidem in tabernaculis suis* scilicet *manet*, adsunt accincti omnes." Verum מוֹעֵד *castra* vel *tabernaculum* denotare, sine ullo argumento sumitur. Doederlein vertit: *cujus* (belli) *impetum nemo repellere valebit*; et in nota addit: „dedit hanc interpretationem Guil. Abr. Teller in *Nott. Critt. et Exegett.* in Genes. XLIX. p. 98., ubi docet: affixum יו pertinet ad עָשָׁן, מוֹעֵד est *impetus* scil. fumi a יָעַד irruit; tandem בּדד (Arab. vers. Ps. LXVIII, 2.) est *dissipare*. Bellum innuit, ab Assyriis inferendum, quos nulla vis repellere possit." Arabibus quidem وعد in conjugatione *quinta* denotat *irruit, impetum fecit*; sed nusquam apud Hebraeos יָעַד hac significatione occurrit. Simplicissimum videtur, per מוֹעָדִים, *coetus*, agmina militum intelligere. Ita Dathius: „*non erit separatus in coetibus ejus*, i. e. omnes conferto agmine incedent. Causam indicant haec verba, unde fumus ille ascendat. Hostes, inquit propheta, non singuli veniunt, sed densis agminibus, quae pulverem tantopere excitant, ut aerem obscurent. Affixum igitur in מוֹעָדָיו non referendum est ad עָשָׁן, sed ad hostes, non nominatos quidem, sed ex contextu sermone facile intelligendos." Michaelis in *Supplemm.* p. 1528. מוֹעֵד explicat ex Arabum مَعَدَ, *festinavit, celeriter, rapideque aliquid fecit*, unde مَعْد, *velox camelus*; ut sint מוֹעָדִים *festinantes, agmen rapidum, exercitus in hostem raptus*, verbaque אֵין בּוֹדֵד בְּמוֹעָדָיו vertenda: *nemo remanet in rapide ducto exercitu*, proprie, in *rapidis ejus*. „Linguae quidem, inquit, Hebraicae peritus haud opposuerit scriptionem per Vau,, quod quidem non necesse est radicale esse, namque et participium Kal saepe

plene קוֹשֵׁל scribitur. Quod si quem tamen imperitiorem hic scrupulus urit, sex codices sciat Kennicottianos sine Vau habere במעדיו." אֵין בּוֹדֵד *Nemo solitarius* vagabitur, tanquam delassatus videlicet, ut cum cetero exercitu non rapide in hostes incurrere posset. בּוֹדֵד est conferendum cum Arabico بدّ, *separavit, dissipavit*, et in VIII. *separatim, et quisque a sua parte accessit et aggressus est* rem vel hominem.

32. וּמַה־יַּעֲנֶה מַלְאֲכֵי־גוֹי *Et quid respondebit* unusquisque *legatorum gentis* cujusvis, i. e. recte interpretante Chaldaeo, וּמָה יְבַסְּרוּן אִזְגַּדֵּי עַמְמַיָּא, *et quid nunciabunt nuncii populorum?* Quando, inquit, reversi fuerint domum nuncii gentium exterarum in Judaeam missi, quid putatis novi inde suis referent? *Quod* nimirum *Jova fundaverit* Zionem, et quae sequuntur. Epilogus est, quo brevi explicat vates regni Judae felicitatem devictis ab ejus rege, Messia, Philisthaeis. LXX verba hebraea ita verterunt: *καὶ τί ἀποκριθήσονται βασιλεῖς ἐθνῶν*; ac si legissent: וּמַה־יַעֲנוּ מַלְכֵי־גוֹיִם. *Reges* habent quoque Aquila et Theodotion; Symmachus vero exhibet lectionem masorethicam, *nuncios*. Syrus: ܘܡܢܐ ܢܥܢܐ ܠܡܠܐܟܐ ܕܥܡܡܐ, *et quid respondebimus nuncio gentium?* quo interprete auctore Henslerus pro יַעֲנֶה legere mallet נַעֲנֶה, ut vertendum sit: *et quid* nos, Judaei, *respondemus legatis gentium*? Hieronymus: *quid respondebit nuntiis gentis*. Recentiorum plerique hebraea sic reddunt: *et quid respondebitur* (יַעֲנֶה impersonaliter, subaudito עֹנֶה) *legatis gentis*, scil. Philisthaeae? מַלְאֲכֵי vel pro לְמַלְאֲכֵי scriptum putant, ut 2 Sam. XV, 31. וְדָוִד הִגִּיד, *et Davidi nunciatum est*, pro לְדָוִד; vel verbum עָנוֹת cum *accusativo personae* junctum sumunt, ut alias, e. c. Mich. VI, 5. עָנָה אֹתוֹ, *respondit ei*, Cant. V, 6. עָנָנִי, *respondit mihi*. Legatis autem, qui hoc responsum accepturi essent a Judaeis, quidam intelligunt nuncios seu legatos eorundem illorum Assyriorum, qui Philisthaeos

sub-

subegerint, et nunc Judaeos quoque ad deditionem impulerint, qui vero hoc acceperint responsum, Jovam Zioni praesidio esse. Alii hoc responsum a Judaeis datum fuisse volunt legatis, qui Hiskiae gratularentur reportatam de Philisthaeis victoriam. Principem enim pium agnovisse, victoriae hujus laudem non sibi deberi, sed Deo, Zionem defendenti. Verum hisce conjecturis non opus nostra adscita interpretatione. כִּי יְהוָה יִסַּד צִיּוֹן *Quod Jova Sionem fundaverit*, i. e. stabiliverit et confirmaverit, quae enim sunt bene fundata, firma sunt. וּבָהּ יֶחֱסוּ עֲנִיֵּי עַמּוֹ *Et in eam*, arcem Sioniam, *refugient* protectionem quaerentes, *inopes*, afflicti, *populi sui*. De verbo חָסָה vid. not. ad Ps. II, 12. Significat, tutissimum fore praesidium et inexpugnabilem arcem Sionis, quo omnes auxilio destituti sese sint recepturi.

Cap. XIV, 28. *Quo anno mortuus est rex Achasus, editum est hoc effatum.*

29. *Ne ideo gaude, cuncta Philisthaea, quod fractus est baculus, qui te caedebat; nam ex colubri stirpe orietur vipera, cujus foetus erit hydrus volucris.*

30. *Pascenturque tenuium primogeniti, et pauperes tuto cubabunt; sed tuam stirpem fame perimam, et tuae necabuntur reliquiae.*

31. *Ejula porta! quiritare urbs! Dissolveris cuncta Palaestina; adventat enim ex aquilone fumus; non erit separatus in ejus agminibus.*

32. *Quid vero respondebunt gentium nuncii? A Jova fundatam esse Zionem, et in eo inopes ejus populi tutos esse.*

IV.

Cap. XV. XVI.

ARGUMENTUM.

Gentis Moabiticae, cui hoc vaticinio interitus denunciatur, origo Genef. XIX, 31. ex veteri fama refertur ad Lothi, nepotis Abrahami ex Harane, filiam natu majorem, quae quum prolis cupida ex incefto cum patre concubitu filium peperiffet, ei nomen מוֹאָב impofuerit, quafi מֵאָב, *ex patre genitus*, five מוֹבָא אָב, *ingreffus*, *coitus*, *patris*. Ejus familiae prima fedes in folo fuit natali, in confiniis Zoaris (Genef. XIX, 30.), fitae ad oram auftralem lacus Afphaltitis. Dehinc aucta gens numero viribusque latius ditionis terminos protendit, et, expulfis veteribus incolis (אֵימִים dictis, Deut. II, 10.), quicquid eft regionis ad latus orientale Jordanis, intra fluvios Zered, Arnon, et Jabbok occupavit. Pars hujus regionis feptentrionalis hodie بلقا *Belka*, auftralis كرك *Carak* vocatur; vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 129. et Vol. III. p. 53. feqq. Sed magna hujus imperii parte paulo ante adventum Ifraelitarum ex Aegypto, Moabitas exuerunt, fub Sichone rege, Amoraei, trajecto Jordane totam illam provinciam, quae Arnonem et Jabocum interjacet, in fuam redigentes poteftatem; vid. Num. XXI, 26. Sic Arnon factus Moabitarum terminus, memoratus Num. XXI, 13. Jud. XI, 18. locisque pluribus aliis, et a Josepho *Antiqq.* IV. 6. §. 1., cui dicitur ὁρίζων τήν τε Μωαβῖτιν καὶ Ἀμωρῖτιν. Intra hos limites inve-

invenerunt iſtos Iſraelitae in Canaanem ingreſſuri, relinquendos tamen intactos, juxta expreſſum Dei mandatum, Deut. II, 9. At regionem Amoraeorum, Moabitis ablatam, quum tranſitum armata manu negarent, poſt reportatam inſignem victoriam Hebraei ſibi vindicarunt integram (Num. XXI, 35.), et Rubenitis atque Gaditis, ceu poſſeſſionem hereditariam aſſignarunt, Num. XXXII. Nomen tamen Moabitidis, ab antiquis poſſeſſoribus, regioni, incolentibus jam Iſraelitis, aliquamdiu inhaeſit. Ita mons Nebo dicitur eſſe בְּאֶרֶץ מוֹאָב, *in terra Moabitarum*, qui tamen ſitus ad ſeptentrionem Arnonis, ex adverſo Jerichuntis, Deut. XXXII, 49. XXXIV, 1. Huc et referenda עַרְבוֹת מוֹאָב, *campeſtria Moabitarum*, in quibus caſtra metati Iſraelitae, Jordani proximi, Num. XXXIII, 48 — 50. Inſequenti tamen aevo ipſam hanc regionem trans-Arnonenſem, olim ab Amoraeis, dein ab Iſraelitis occupatam, Moabitae denuo receperunt, et, in antiquas ſedes poſtliminio reſtituti, ipſius Jeſajae aetate, tanquam propriam provinciam tenuerunt et inhabitarunt. Quod clariſſime apparet ex nominibus urbium Moabitarum, quibus vates noſtro oraculo interitum et excidium praedicit, ſitarum licet in tribubus Rubenitarum et Gaditarum. Sic Chesbon, metropolis olim Amoraeorum (Num. XXI, 26.), a Joſua Rubenitis aſſignata (Joſ. XIII, 17.), a Jeſaja Moabitis vindicatur, XV, 4. XVI, 8., in qua et Jeremias poſitum fuiſſe ait תְּהִלַּת מוֹאָב *laudem Moabitarum*, Jerem. XLVIII, 2. Similiter hi vates Moabitis tribuunt Dibonem urbem, Jeſaj. XV, 2. et Jerem. XLVIII, 22., quae tamen à Moſe Gaditis conceſſa, Num. XXXII, 34. Taceo Medabam, Elealem, Jachzam, Sibmam, Jaezerem, de quibus omnibus idem facile poſſet demonſtrari. Hinc et Josephus *Antiqq.* XIII, 15. in hiſtoria Alexandri Jannaei urbes Ἐσσεβὼν, Μήδαβα, Λεμβᾶ, Ὀρόνας, Γελίθωνα, Ζᾶρα, Πέλλαν, vocat Μωαβίτιδας, quae omnes ultra Arnonem; et ex parte ultra Jabbocum, ſitae. Quo autem factum ſit tempore et occaſione, ut Moabitae totam illam provinciam recuperarint, Hiſtoria tacente non ſatis liquet. Valde tamen probabile, id demum

con-

contigiſſe Rubenitis, Gaditis et dimidia tribu Manaſſis in exilium abductis, a Phule et Tiglath-Phulaſare, Aſſyriae regibus, aetate Pekae, Iſraelitarum regis, 2 Reg. XV, 29. Tum enim Moabitae regionem ſibi proximam, *incolisque* nudatam, recipere, imo et, trajecto Jabboco, partem *Baſanitidis*, quae Manaſſitarum fuerat, occupare facillime poterant. Quod ad hiſtoriam et fata Moabitarum, ad vatis noſtri tempora usque, attinet, quae in monumentis V. T. reperiuntur, haec fere ſunt. Rempublicam peculiarem illos ſatis mature conſtituiſſe, praefectis ſibi regibus, inde patet, quod jam Moſis aetate regem eorum, Balacum, filium Zipporis, memoratum legimus Num. XXII, 4. Judicum tempore Eglon, rex Moabitarum, tributarios fecit Iſraelitas, etiam cis-Jordanenſes, ab Ehude tandem reſtitutos in libertatem, Jud. III, 12. ſeqq. Poſtea utraque gens videtur mutuis commerciis, quin et conjugiis (Ruth. I, 4.), ſe permiſiſſe, ad Saulem usque creatum *regem, qui veteres injurias*, ac forte etiam recentes, vindicaturus, *Moabitas* pariter ac reliquos, in vicinia, hoſtes Iſraelitici nominis, graviſſime afflixit, 1 Sam. XIV, 47. Multo autem feliciori vi adgreſſus David, 2 Sam. VIII, 2. Pſ. LX, 10. ſervire tributarios coegit, gentemque adeo univerſam Judaici finibus imperii concluſit. Ac permanſit huic obnoxia, poſt diſceſſionem etiam decem tribuum, a quo tempore Ephraimitas, haud libenter quidem, dominos paſſa eſt. Nam mortuo Achabo excutere impoſitum jugum occepit, 2 Reg. I, 1., pendique ſolitum tributum recuſare. Rebellantes Achabi filius, Joramus, inito foedere cum Judaeorum et Idumaeorum regibus, quamvis gravi bello vexaverit, ſub jugum tamen reducere non potuit, 2 Reg. III, 6—27. Nam paulo poſt adverſus Judaeos, ob latas Joramo ſuppetias expeditionem ſuſceperunt, a quibus tamen magna affecti ſunt clade, 2 Chron. XX, 22—30. Poſt ea tempora usque ad editum Jeſajae vaticinium nihil in V. T. libris hiſtoricis legitur de hac gente memoratu dignum. Fuiſſe autem Moabitas ſuperſtitioni et idololatriae omni tempore addictos, tum idola ab

iis

iis culta, Baal-Pheor (Num. XXIII, 28.) et Chemosch (1 Reg. XI, 7. Jerem. XLVIII, 7. 13.), testantur, tum lenocinia, quibus ad parem impietatem Israelitas persaepe illexerunt, Num. XXII—XXV.

Huic igitur genti, ab antiquissimis inde temporibus Hebraeis inimicae, excidium denunciaturus vates, sistit urbes Moabitarum florentes et munitas impetu subitaneo ab hoste potente et valido captas atque expugnatas. Audiuntur lamenta, planctus, ejulatus, quibus κατὰ προσωποποιΐαν etiam suos vates miscet (Cap. XV, 1—5.). Tum vividissimis coloribus oculis subjicit facultatum direptionem, caedem obviorum, aliorum fugam, vastatos fertilissimos agros et uberis proventus vineas, quarum fructus laeti carpere solebant, et quae mala alia populum, ab hoste crudeli victum, urgere et premere solent (Cap. XV, 5—XVI, 11.). Addit desperationem, quum ab idolo Camosch, quod studiose coluerant, frustra se opem in rebus afflictis expetere et exspectare cernerent (Vs. 12.). Subinde explicat caussas harum calamitatum, a Jova immissarum, superbiam et inclementiam erga profugos Israelitas, qui se ad Moabitas tempore necessitatis receperant, et nimiam in prosperitate sua et firmitate status fiduciam.

Quod huic vaticinio subjicitur (XVI, 13.): *haec Jova Moabitis jam pridem minatus est; jam vero Jova loquitur in hunc modum: post tres annos evilescet gloria Moabi,* et quae sequuntur, inde plures interpretes collegerunt, jam pridem adversus Moabitida minas, quae duobus hisce Capitibus leguntur, exhibitas fuisse, sive ab eodem, sive a propheta alio, repetitas autem a Jesaja, instante, post tres annos, earundem complemento. Contra J. B. Koppe in adjectis Lowthiano Commentario Germanice translato observationibus totum hoc vaticinium nostro vati penitus abjudicat, unique Jeremiae tribuendum censet, ita quidem, ut serius etiam hoc perscripsisse is putetur, quam alterum multo uberius, quod Jeremiae XLVIII. habetur, esseque adeo

a col-

a collectore, nescio quo Jesajanorum vaticiniorum, his perperam intrusum. Sed vero nihil impediet, quin Jesajae accepta referantur, quae apud eum contra Moabitas nunc exstant, in his licet repetita crederentur, aut, qua summam rei, contineri, quae alius forte propheta de gente illa loquutus pridem fuerat. Videntur jam nostri vatis aevo plura exstitisse vaticinia, quae gentibus Hebraeis adversariis poenas minitarentur et interitum, apparituro magno illo rege e familia Davidica oriundo, quo auspice insequuturam esse temporum felicitatem magnam homines sperabant. Hujusmodi antiquiora oracula feriores prophetae pro suo quisque ingenio imitari atque exornare solebant. Exemplum luculentum in hoc ipso de Moabitis vaticinio habemus, quod Jeremias Cap. XLVIII, 29. seqq. ita est imitatus, ut integras nostri sententias retinuerit *). In Moabitas detonat quoque Amosus, Nostro aequalis, II, 1—3, et post ejus aetatem praeter Jeremiam Zephanias, II, 9., et *Ezechiel* XXV, 8—11. Ceterum quae Jesajas Moabitis minatur mala, ea ipsum exspectasse inductum iri illis ab Assyriis credibile est, qui tunc temporis in occidentali Asia praevaluerunt, et jam vicinam Samariam et Syriam in suam potestatem redegerunt. Jeremiae tamen aetate Moabitarum rempublicam adhuc substitisse, patet ex ipso illo, quod laudavimus, vatis oraculo.

Peculiari Dissertatione carmen nostrum illustravit C. Aurivillius; *trigesima* est in ejus Dissertationum sylloge, a J. D. Michaele edita, p. 677. seqq. Nos ex ea, quae ad consilium nostrum pertinere nobis videntur, in usum nostrum convertemus.

---

1. מַשָּׂא מוֹאָב *Effatum de Moabo.* Chaldaeus: מַטַּל כָּס דְּלוּט לְאַשְׁקָאָה יַת־מוֹאָב *onus calicis dirarum Moabitis* pro-

*) Utriusque vaticinii Versus eos qui invicem consentiunt in tabella juxta se positos exhibuit Gesenius in *Commentar. in Jesaj.* p. 511. seqq.

propinandi. De מַשָּׂא vid. not. ad XIII, 1. כִּי בְּלֵיל (אֲשֶׁר) שֻׁדַּד (בּוֹ) עָר מוֹאָב נִדְמָה *Sane qua nocte vastata est Ar Moabitarum,* eadem *excisus est* populus. Particula כִּי h. l. aliis videtur redundare, aliis, veluti Coccejo, *protasin* indicare, cui respondet *apodosis,* Versu sequenti, in hunc sensum: *quia nocte excisa est Ar Moab — ascendit* (scil. Moab) *Baitham et Dibonem* etc. Koppio haec particula arguere videtur, praecessisse quidquam ab initio quod interciderit; ea unice de caussa, perlevi sane, quod כִּי sumendum ubique ut caussale putaverit. Sed potest commode asseverative accipi, *sane, omnino, profecto,* ut Jos. II, 24. *Dixerunt:* כִּי־נָתַן יְהוָה *certe dedit Jova in manum nostram totam hanc terram.* Vid. et Num. XXII, 33. Ruth. I, 10. 1 Sam. X, 19. Videtur abbreviata jurisjurandi formula pro חַי יְהוָה כִּי *vivit Jova quod* rel., vid. 1 Sam. XIV, 39. XX, 3. 12. XXVI, 16. In בְּלֵיל num forma sit status constructi, an absoluta, dubitatur. Utraque locum habere poterit, nam et Jesaj. XXI, 11. reperitur לֵיל, cum vocali Zere absolute positum, uti חֵיל similiter, Jesaj. XXXVI, 2. Job. XX, 18., et יֵין, Cant. VII, 10. Neque audiendi, si qui aut כָּלִיל, *totum quidpiam,* aut, quod Koppio placet, כְּבַלֵּיל, *ὥσπερ, νυκτὸς,* i. e. *repente, subito,* legendum conjiciant, utpote quorum neutrum probabili ullius fide testis se tuetur. Ceterum בְּלֵיל, *noctu,* dupliciter potest accipi; vel *κατὰ τὸ γράμμα,* urbes, quae statim nominantur, *nocturno impetu* vere expugnatas esse, quod saepe contingit, et quidem ex communi fere more castrensi, ut oppugnatores tutius subeant muros: vel, ut significet phrasis, has urbes et Moabitidem totam subitaneo et repentino hostium incursu captas et expugnatas esse cum Moabitae omnium rerum securi, veluti tempore nocturno, plane quiescerent, et exitium sibi impendens non praesentirent. Sic passim haec phrasis usurpatur apud Jobum, ubi de repentina et inexspectata destructione impiorum sermo est; ut XXVII, 20., noctu *veluti furto* illum auferet *turbo;* cf. XXXIV, 25. *propterea quod opera illorum novit, subvertit eos* noctu, *et plane conteruntur.*

runtur. Vox שָׁדַּד quum sit *terminationis masculinae,* non respondere potest nominibus עָר et קִיר, quae urbium sunt nomina, quibus ex usu linguae convenit femineum genus, perinde ac apud Nahum, III, 7. שָׁדְּדָה נִינְוֵה, *vastata est Ninive.* LUDOV. DE DIEU, cui adstipulatur SCHULTENSIUS in *Institt. Hebraicc.* p. 300., שֻׁדַּד accipit pro *Infinitivo* formae Pyal, quem positum putat pro nomine, cum praecedente לֵיל construendo, hoc sensu, *in nocte vastari,* i. e. qua *vastata est,* unde hoc comma vertit: *utique in nocte, qua vastata est Ar Moab, excisa est; utique in nocte, qua vastata est Kir Moab, excisa est.* Sed praeterquam quod languidum nimis hoc videtur; illud etiam nos impedit, quominus LUDOV. DE DIEU de voce שֻׁדַּד sententiam probemus, quod in vaticinio parallelo Jerem. XLVIII. bis (Vs. 15. 20.) ponatur שֻׁדַּד מוֹאָב, et ita quidem ut vertendum necesse sit, *vastatus est Moab,* quod haud dubie intelligendum est de *hominibus, viris, Moabiticis.* Quare et hic, in verbis שֻׁדַּד עָר מוֹאָב, constructio, quam dicunt Grammatici, ad sensum sumenda erit, ut poeta שֻׁדַּד ideo usurpaverit, quod id intellectum voluerit de hominibus, h. e. de *urbis* et *terrae* incolis, sive de *Moabo,* qui, dum excisae vastataeque sunt hae urbes, vastatus fuisse censebatur: sic infra XXIII, 1. de *Tyro* urbe pariter usurpatur שֻׁדַּד, loquendi genere eodem. Hinc non est opus, ut cum J. D. Michaele legamus שֹׁדֵד (*cum noctu vastat* hostis Ar Moab), quod nulla auctoritate nititur (nam quod Kennicottiani nonnulli codices habent, שורד, praeteritum Pyal haud dubie prodit); vel generis enallagen hic statuamus. AURIVILLIUS שֻׁדַּד impersonaliter sumit, totumque comma sic reddit: *siccine noctu vastatum est,* siccine exitium nox una intulit, *Ar Moab excisa jacet; siccine noctu vastatum est, Kir Moab excisa jacet:* quod an aliis placuerit, nescio. KOCHERUS Versum nostrum sic interpretatur: „Sane qua noctu *incursata* est Ar Moabi, periit (Moab); sane qua nocte *incursata* est Kir Moabi, periit, *war es aus mit ihm.*" Sic puto jubere accentus; dein לֵיל statuis esse constructi cum phrasi integra, loco genitivi, ut alibi; porro

שֻׁדַּד

שָׁדַד per *incursare* commode reddi, quam notionem verbi priorem altera et vulgatiore *vastandi* esse. Sic شدّ Arabibus inter alia: *constrinxit*, ligavit, inde *durius*, *valideque cepit*, *incurrit in proelio*, impetum faciens in hostem, et infra XXXIII, 1. וְאַתָּה לֹא שָׁדוּד, *qui non incursatus fuisti* hostili impetu, cf. Schultensium ad Prov. XIX, 26." Urbis עַר מוֹאָב nomen extat jam Num. XXI, 15. 28. Deut. II, 9., ubi not. vid. Erat in Moabitide urbs princeps, ut ex illis locis patet; hinc רַבָּה, *Rabba*, magna, dicta Jos. XIII, 25. Ἀρεόπολιν vocabant Graeci, teste Eusebio, quique ex eo hausit, Stephano, de urbibus, in Ῥαββάτμωβα. Erat sita juxta ripam australem Arnonis, nunc in vicum conversa exiguum, quem adhuc *Mab*, *Mob* et *Arrabat* Arabes appellant, cf. Cellarii *Geograph. Antiq.* T. II. p. 674. Relandi *Palaest.* p. 577. Schultensii *Indic. Geogr. ad vit. Saladin.* voce *Caracha*; Abulfedae *Tabul. Syriae* ed. Koeler. p. 90. et libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 56. seqq. Alterius urbis nomen, קִיר מוֹאָב non aeque certum, judice Koppio, qui hanc urbem arbitratur eandem esse cum Ar Moabitarum metropoli, ratus in Historia non memorari urbem quampiam, *Kir* dictam. Sed mox occurrit Cap. XVI, 7. 11. קִיר חֶרֶשׂ et קִיר חֲרֶשֶׂת, Moabitis tributa quoque 2 Reg. III, 25. et Jerem. XLVIII, 31. 36.; eritque adeo haec, ab altera diversa, Χαράκμωβα vocata Stephano, كرك, *Krak* seu *Krach*, qui nunc eam tenent, Arabibus, haud longe ab *Ar* dissita; vid. Schultensium, Abulfedam ll. cc. et libr. nostr. citat. Vol. III. p. 58. seqq. Antiqui nonnulli interpretes *Ar* et *Kir* utrumque verterunt instar appellativorum, *urbem* et *murum*; nec negandum, voces istas Hebraicis ita usurpatas fuisse. In nostro autem loco esse nomina propria, tum historia ostendit, tum vaticinii ipsius habitus. נִדְמָה *Periit, nullus est, actum de eo*, ut Zephan. I, 11., cf. etiam de hoc verbo dicta ad Jes. VI, 5. J. D. Michaelis legere mallet נִדְּמָה, *sileamus*, alto somno sopiti, a דָּמַם, vertitque, *so lasst uns dann stille schweigen*: quod

an

an ſatis conveniat ſive Moabitis, ingenti ſub terrore tumultuantibus, uti mox audiemus, ſive victori hoſti, ſive Judaeis, populisve aliis, ubi cladem iſtam reſciverant, valde dubitaverim. Teſtes quidem pro ſuo נִדְמָה Syrum et Chaldaeum Michaelis citat, quorum ille habet ܐܬܕܡܪܘ et ܐܬܕܘܪ *attoniti ſtupuerunt*, hic רְדִימִין, *alto jacebant ſopore merſi*; nec non Latinum, qui *conticuit* ponit; verum ideo lectionem vulgarem non deſerendam putaverim; accedit, quod noſtrum נִדְמָה eodem, quo hic, ſignificatu etiam occurrat Jerem. XLVII, 5. Hoſ. X, 15. Zeph. I, 11.

2. עָלָה הַבַּיִת וְדִיבוֹן הַבָּמוֹת לְבֶכִי *Aſcendit Baitha et Dibon excelſa ad fletum.* הַבַּיִת Hieronymus pro nomine appellativo habuit et hebraea ſic vertit: *aſcendit domus et Dibon, domus* ſcilicet, uti explicat, *regia*. Nomen appellativum הַבַּיִת eſt quoque Kimchio, qui hoc hemiſtichium, probante Gesenio, ſic interpretatur: *aſcendit* ſcil. Moab, aſcendunt Moabitae *ad domum*, i. e. templum, *et Dibon*, „nomen arcis, ubi pariter erat templum idoli, ad quae cum venerint hoſtes, plangentes ſeſe convertunt.“ Verum בַּיִת etſi non dubium ſit dici de templis idolorum, vid. 1 Sam. V, 2. 1 Reg. XVI, 32. 2 Reg. V, 18., tamen nonniſi adjecto idoli nomine eo ſignificatu uſurpatur. Sed abſolute et κατ' ἐξοχήν, ut hic praemiſſo ה Articuli, הַבַּיִת de ſolo Jovae templo dicitur. Sed quum דִּיבוֹן, quocum jungitur, ſit nomen proprium loci, et in hemiſtichio altero duorum locorum nomina poſita ſint, tale et הַבַּיִת eſſe credibile eſt. Quia Syrus et Chaldaeus omiſerunt ו, quo junguntur הַבַּיִת et דִּיבוֹן, particulam illam e textu quoque Hebraeo expungendum, et *Beth-Dibon* conjunctim ſumtis vocibus verum fuiſſe nomen urbis, cenſuerunt Lowthus et Koppius. Nec inſolens Hebraeis, nomina urbium componere e voce בֵּית alia quadam adjecta. Sed tum abſit neceſſe eſt, a voce ſtatus conſtructi, ה Demonſtrativum; ut taceam, nec in codice Hebraeo nec in Hiſtoricis exteris urbem aliquam, cui *Beth-Dibon* nomen ſit, memorari. Vitringa הַבַּיִת non jungit quidem

quidem cum דִּיבוֹן, verum existimat tamen, הַבַּיִת eandem esse cum *Beth-Meon*, Jerem. XLVIII, 24., quae et *Beth-Baal-Meon* Jos. XIII, 17., et *Baal-Meon* Ezech. XXV, 9., dicitur, urbem. Sed hoc sine ratione sumitur. Doederlein urbem non *Baith* sed *Habbaith* appellatam censet, ejusque vestigia reperisse sibi visus est apud Josephum *Antt. Judd.* L. XIV, Cap. I, 4. T. I. p. 685. edit. Haverc., ubi ille plura, hic commemorata loca recenset, et inter cetera nominat: Θωραβάθα, מוֹר הַבַּיִת, sive si *Epiphanii* codices conferantur, Ἀραβάθα, עַר הַבַּיִת, utraque voce temporis successu coalescente. Mihi quidem, quum in loco parallelo, Jerem. XLVIII, 22. inter cetera, quae hic occurrunt, urbium nomina, memoretur quoque בֵּית דִּבְלָתַיִם, verisimile est, hanc eandem cum nostro הַבַּיִת urbem esse, haud obstante ה demonstrativo in voce absolute posita, quum persimili modo, in nominibus locorum, Arabes suum ال praefigere soleant. Vicinam eam *Diboni* fuisse, apparet quoque ex Num. XXXIII, 46. דִּיבוֹן, urbs ad Arnonem sita, jam ante Mosem Moabitarum, ex ejus tempore Israelitarum transjordanensium, Num. XXXII, 3. 34. Jos. XIII, 9. 17., sed eam iterum Moabitis cessisse patet ex hoc loco. Reliquias hujus urbis nostra aetate visitarunt Seetzen et Legh; vid. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 268. הַבָּמוֹת si sumatur pro nomine proprio urbis, est fortasse eadem quae *Bamoth-Baal*, ad austrum *Hesbonis* sita, Jos. XIII, 17. Tunc statuendum erit ἀσύνδετον, et verba vertenda, *ascendit Baitham, et Dibonem, et Bamotham*, scil. מוֹאָב, quod repetendum est ex commate antecedente. Sed quum הַבָּמוֹת careat copula, et He Demonstrativum habeat ab initio, rectius haud dubie sumitur proprio significatu *editioris loci collisve*, cujusmodi loca aris et idolis sacrare solebat vetus superstitio. Hinc הַבַּיִת et דִּיבוֹן nominative erunt accipienda, ut non intelligantur urbes, ad quas *Moab* ascensurus sit ut fleat, sed quae ipsaemet ascensurae sint ad excelsa, ut fleant. Hoc sensu et Doederlein vertit: *Abaithitae et Dibonitae ad sacella ascendunt, ut ibi plorent.* Illarum urbium incolae

colae ad famam subitaneae calamitatis conscendunt *colles*, ut in fanis ibi exstructis, lacrymas coram *idolis profundant*, eorumque, oblatis hilasticis, opem implorent, quod noster expresse dicit infra Cap. XVI, 12. עַל־נְבוֹ וְעַל מֵידְבָא מוֹאָב יְיֵלִיל *super Nebone et super Medaba ululat Moab.* יָלַל, unde in Hiphil יְיֵלִיל, est ad sonum imitatione formatum verbum hincque in linguis aliis pluribus similiter reperiendum; Arab. ولول, Graecis ὀλολύζειν, Latinis *ejulare.*, *ululare*, Germ. *heulen*. Saevis mistus plangoribus Moabitarum personuit ejulatus. *Nebo* oppidum fuit trans Arnonem, in primis finibus hujus tractus, apud montem ejusdem nominis, cui inde nomen (non urbi a monte, ut Bonfrerius autumat; nam proprium montium illorum nomen עֲבָרִים fuit, vid. Deut. XXXII, 48. 49.), in quo montano, quod ad ortum attigit campestria Moabi, Moses diem obiit. Habuit ab ortu *Aroër*, ab occasu *Baal-Meon*, uti liquet ex 1 Chron. V, 8. Vestigia hujus loci fortasse supersunt in كفر نبوا, de quo *Ibn Abd el Chacki*, in Lexico suo Geographico, cujus verba attulimus ad Num. XXXII, 3. Hieronymus: „Super Nebo, et super Medaba, nobiles civitates, ululabit universa provincia. In Nabo enim erat Chamos idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor.“ Vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 41. *Medebam* sitam fuisse ad septentrionem et occasum *Aroeris*, liquet ex Jos. XIII, 9. 16. *Aroer* autem ad Arnonem erat extremus terminus sortis australis Rubenitarum, cf. infra ad Cap. XVII, 2. Cf. de utraque urbe libr. nostr. citat. Vol. II. P. I. p. 267. 270. בְּכָל־רָאשָׁיו קָרְחָה כָּל־זָקָן גְּרוּעָה *In omnibus capitibus calvities, omnis barba rasa.* Pro רָאשָׁיו legunt ראשׁ tres codd. Kennicottiani, duo Rossiani, et fortasse jam Alexandrini; extat quoque ita apud Jerem. XLVIII, 37. Unus codex Rossianus בְּכָל רָאשֵׁם exhibet, et Chaldaeus. Pauci alii cum bibliis et prophetis Soncinensibus defective ראשו. In hac variantium lectionum diversitate vix definiri poterit, quae sit genuina; nec multum interest, nam sensus semper

idem

idem manet, intelliguntur *capita tonsa Moabitarum lugentium.* Eadem lectionis diversitas est in גְּרוּעָה, pro quo codices multi, plurimique libri impressi גְּדוּעָה, cum Resch, legunt. Verum quum גָּרַע et גָּדַע utrumque denotet *abscindere, succidere,* Arabica et Syriaca dialecto consentientibus, discrepantia illa nullius est momenti. Ceterum *capitis tonsionem* et *barbae abscissionem* gravem pingere luctum, notum est. Cf. supra III, 24., infra XXII, 12. Jerem. XLI, 5. Mich. I, 16. Saepe quoque Homerus memorat, in funere praesertim Patrocli, *Iliad.* XXIII, 46. 47.

Κείρασθαί τε κόμην· ἐπεὶ οὔ μ' ἔτι δεύτερον ὧδε
Ἵξετ' ἄχος κραδίην, ὄφρα ζωοῖσι μετείω.

Totonderoque comam; haud enim posthac iterum sic invadet dolor cor, quamdiu vivis interero.

Et *Odyss.* IV, 197. 198.

Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

Hic nimirum et honos solus est miseris mortalibus, tondereque sibi comam, profundereque lachrymas a genis. Unde et Alexander, ubi, mortuo Hephaestione, ingenti victus dolore, non sibi modo comam capitis absciderat, sed et militibus jusserat abscindi, Ὁμηρικὸν πάθος δρῶν Aeliano dicitur *Var. Histor.* Lib. VIII, 8.

3. Ad famam urbium primariarum jam expugnatarum, et adventantis hostis ad ceteras jam capiendas, alii se conferunt in *fora,* alii tecta aedium conscendunt, ut certius quid de motu hostis, aut spei metusque caussis rescifcerent, aut etiam de salute publica in extremis deliberarent, et seniorum consilia sciscitarentur. בְּחוּצֹתָיו חָגְרוּ שָׂק *In plateis se succingunt sacco.* Loca quaelibet extra aedes חוּץ et חוּצָה appellabant Hebraei. חָגַר שָׂק *misera injecta veste* acriorem prodere dolorem, pertritum Hebraeis scriptoribus. שַׂק, a שָׂקַק, Arab. شقّ, *fidit, laceravit,* quo significatu Syri etiam usurpant, Aurivillio denotat *vestem scissam,* quam

quam non Hebraeis modo, sed et populis aliis gravioris luctus vulgare fuit indicium. חָגַר proprie *ad mediam corporis partem quidpiam adstringere*, hinc חָגַר בְּמָתְנַיִם 1 Reg. XX, 32. Ezech. XXIII, 15. *circa lumbos accingere*, dein sensu latiori, *induere*. עַל־גַּגֹּתֶיהָ וּבִרְחֹבֹתֶיהָ כֻּלֹּה יְיֵלִיל *In tectis et foris cuncti ejulant.* גַּגּוֹת, *tecta aedium*, fuisse olim in Oriente, et esse etiam hodie, plana variisque obeundis vitae partibus idonea, notissimum est. Infra XXII, 1. Hierosolymitani quoque tecta conscendunt ad famam exercitus adventantis Sanheribi. רְחוֹבוֹת a רָחַב, *latus fuit, in latitudinem extensus*, dicuntur latius patentia loca, plateae, fora, compita, quae majorem capiunt concursantium numerum. Huic autem voci, aeque ac praecedenti גַּגּוֹת adjunctum pronomen feminini generis, כֻּלֹּה respicit fortasse nomen aliquod, a propheta non expressum, et cogitatione ab eo spectatum, haud dubie עִיר, *urbem*, cujusmodi ellipticae constructionis exempla alia etiam occurrunt. Iisdem vere verbis, sed diversa eorum junctura, questus periturae gentis enarrat Jeremias, XLVIII, 38. עַל כָּל־גַּגּוֹת מוֹאָב וּבִרְחֹבֹתֶיהָ כֻּלֹּה מִסְפֵּד, *super omnia tecta Moabi, et in plateis urbium ejus, totus ipse in luctum conversus est.* יֹרֵד בַּבֶּכִי non denotat *descendere* ex tectis *cum fletu*, sine solatio redire, ut vulgo interpretati sunt, proprietatis linguarum Orientalium ignari; sed, *lachrymis totum diffluere, in fletum se immergere totum, se lachrymis proluere, in Thränen zerfließen*, patrio nos sermone diceremus. Docuit id et extra omnem dubitationem posuit A. Schultensius in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. VI. §. XXXV. p. m. 97. Solennis Arabum loquutio وردت العين البكا, הָעַיִן יָרְדָה הַבֶּכִי, *oculus descendit fletum*, pro eo quod plenius effertur: *multo flumine lachrymarum ora genasque humectare; lachrymarum veluti rivis atque imbribus totum immadescere.* Hinc Anonymus in Hamasa: وَكُنْتُ أَذُودُ ٱلْعَيْنَ أَنْ تَرِدَ ٱلْبُكَا, *abegi oculum, ne fletum descenderet.* Cf. Jerem. IX, 17. XIII, 17. XIV, 17.

4. וַתִּזְעַק

4. וַתִּזְעַק חֶשְׁבּוֹן וְאֶלְעָלֵה *Clamorem edit Hesbon et Eleale.* זָעַק, Arab. زعق et ذعق proprie dicitur de iis, qui diro prehensi terrore ac periculo vociferari solent intentius, ut alii ad opem ferendam concitentur. Quod incolis accidit, tribuitur ipsis urbibus, metonymia in aliis quoque linguis sueta. *Hesbon* autem fuerat olim Sihonis, Amoraeorum regis, Num. XXI, 25., ubi not. cf., quo devicto, Rubenitis cessit, Jos. XIII, 17., hisque postea, ut ex h. l. patet, a Moabitis erepta. Eminuisse hanc urbem inter Moabiticas civitates, Jeremias docet, qui XLVIII, 2. תְּהִלַּת מוֹאָב *gloriam Moabi* eam appellat, positam in montibus, qui e regione erant Jerichuntis XX. a Jordane milliaribus distantem, si habenda fides Eusebio, qui *Elealem*, obviam quoque Num. XXXII, 37., ad quem locum not. cf., grandem dicit villam, in primo milliari ab Hesbone. De utraque urbe vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 266. et p. 265. עַד־יַהַץ נִשְׁמַע קוֹלָם *Usque ad Jahaz auditur vox eorum.* Tanta est vociferatio eorum, nempe incolarum, qui designantur pronomine masculino, ut audiatur Jahazam usque. Variata paullo dictione idem legitur Jerem. XLVIII, 34. עַד־יַהַץ נָתְנוּ קוֹלָם, *Jahazam usque edebant clamorem suum.* Duplex videtur fuisse יַהַץ, una Arnoni propior, in limite ditionis Amoreae, quo progressus cum exercitu Sihon, ab Israelitis magna affectus clade, occubuit, Num. XXI, 23. seq. Deut. II, 32.; altera, teste Hieronymo, in termino Moabiticae regionis, mari mortuo imminens, quae si hic cogitetur, sensus erit, ad extremos usque fines Moabitidos pervagatas fuisse quiritantium voces. Vid. libr. nostr. citat. Vol. II. P. I. p. 270. עַל־כֵּן חֲלֻצֵי מוֹאָב יָרִיעוּ *Quia expediti milites Moabi vociferantur.* עַל־כֵּן plures referunt ad communem planctum et ejulatum, in hanc sententiam: communis hic omnium incolarum ejulatus, planctus, desperatio, efficiet, ut ipsi quoque milites animum remittant, et, quum deberent barritum facere, et hosti alacriter occurrere, extollant vocem planctus et ejulatus, victi dolore et desperatione. Verum

quum עַל־כֵּן cohaereat cum extremis Verſus verbis, נַפְשׁוֹ יָרְעָה לּוֹ, *aegre cuique eſt,* rectius vertitur *propterea quod,* quomodo et ſumendum Vs. 7., ut deſignet, cauſſam inter alias hanc quoque eſſe communis luctus, quod milites Moabi ipſi quoque ululent, motu et deſperatione victi. חֲלֻצִים, *expediti, alacres* (coll. Syr. ܡܚܡܨܢܘܬܐ *alacritas* et ܡܚܡܨܐܝܬ *accincte, alacriter*) ſcil. ad bellum, ſunt *milites*, ad militiam vel pugnam, depoſitis impedimentis, rite inſtructi, quam eſſe genuinam vocis ſignificationem, ſatis conſtat, cf. 2 Chron. XXVIII, 14. Alexandrini verterunt ὀσφὺς τῆς Μωαβίτιδος, Syrus, ܚܨܝ̈ܗܘܢ *inguina ejus.* Ii haud dubie extulerunt חַלְצֵי, quod placet Lowtho et Koppio, qui *intenſiſſimos clamores* hac phraſi ſignificari exiſtimant. Sed ut taceam, Alexandrinis et Syro opponi poſſe Aquilam, qui ἐξώμος vertit, i. e. *cui nuda brachia ſunt et exſerta* (nam ἐξώμις apud Suidam T. I. p. 778. edit. Kuſter. eſt *tunica, non tegens brachia*), quod apud antiquos decere virum et maxime militem putabatur, cf. Virgilium *Aeneid.* IX, 616., ubi in opprobrio eſt, *et tunicae manicae et habent redimicula vittae;* porro Symmachum, Chaldaeum, Hieronymum, qui omnes חֲלֻצֵי legerunt; obſtat maxime verbum הֵרִיעוּ, a רוּעַ, *vociferari, barritum edere, jubilare, clamare prae conſternatione,* ſumitur enim in bonam et malam partem. Accedit, quod in noſtro qui dicuntur חֲלֻצֵי מוֹאָב, apud Jeremiam XLVIII, 41. appellantur גִּבּוֹרֵי מוֹאָב, *viri fortes Moabi.* נַפְשׁוֹ יָרְעָה לּוֹ *Anima ejus,* i. e. cujusque ipſorum, *concidit.* יָרַע, enim Arabicum ورع, denotat *gravi timore agitari,* et in origine fortaſſe, quam יְרִיעָה, *aulaeum,* quaſi *leviori cuilibet cedens impulſui,* prodiderit, *huc illuc jactari vibrarique,* uti ſolent, quorum animus inſtanti metu concutitur. Syrus, Chaldaeus et Vulgatus verbum noſtrum ad רוּעַ retulerunt; conſentiunt enim in *clamandi* et *vociferandi* ſignificatione, nec contextu, nec linguae analogia faventibus. Alexandrini: ἡ ψυχὴ αὐτῆς γνώσεται, quod, quum ſenſum prope nullum admittat, manifeſto debetur errori,

errori, quo Daleth loco τοῦ Resch (יָרְעָה) interpres legit. Observa ceterum paronomasiam in יָרִיעוּ et יָרְעָה.

5. Conversio haec rerum in Moabitide adeo est funesta, ut prophetae ipsi miserationem et condolentis sensa pectoris eliciat. לִבִּי לְמוֹאָב יִזְעָק *Cor meum propter Moabum clamat.* Plenius id a Jeremia XLVIII, 36. expressum: לִבִּי לְמוֹאָב כַּחֲלִלִים יֶהֱמֶה, *cor meum Moabi caussa, instar tibiae, ingemiscit;* cf. infra XVII, 11. XXI, 3. 4. Jerem. XXIII, 9. Pro לִבִּי Alexandrini haud dubie legerunt לִבּוֹ, vertunt enim ἡ καρδία τῆς Μωαβίτιδος βοᾷ. Sic quoque Chaldaeus. Quod Lowth, Michaelis, Doederlein, Struensee sequuti sunt. Sed propter locum parallelum, Jerem. XLVIII, 36., in quo haec mutatio non potest admitti, jam Dathius vidit, in hoc quoque loco receptam lectionem esse praeferendam. Verba בְּרִיחֶהָ עַד־צֹעַר עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה interpretibus multum negotii facesserunt. בְּרִיחֶהָ Hieronymus *vectes* vertit, qua significatione haec vox saepe occurrit, veluti Exod. XXVI, 26. Ps. CVII, 16. Hieronymum sequuti quidam recentiores, *vectes* interpretantur vel *fortes milites*, qui sicut vectes tutari solebant portas urbium, et subaudiunt *fugiunt*, vel *clausuras*, *munitiones* (ut Amos I, 5. וְשָׁבַרְתִּי בְּרִיחַ דַּמֶּשֶׂק *confregi Damasci vectes*, i. e. portae vectes), i. e. munitiones limitaneas, quibus, tanquam vectibus, aditus et exitus regionum praecluduntur. Sic Jonius, qui verba inde a Versus initio ita reddit: *animus meus Moabum inclamabat, clausuras ejus Tsoharem usque*, quae ita explicat: tam magna voce contendo, ut mea vox ipsos Moabitarum terminos et lacum Asphaltitem praetervolans, Judaeam quoque personet, quae terminatur Tsohare. Alexandrini pro בְּרִיחֶהָ ponunt ἐν αὐτῇ, quasi legissent בָּהּ. Syrus ܒܪܘܚܗ habet (*cor meum super Moabe ululat in spiritu suo*); legit fortasse ברוחה. J. D. Michaelis *Biblioth. Orient.* T. XIV. App. p. 5. 6. בְּרִיחֹה effert, ut ריחה sit nomen urbis *Jerichuntis*, quam Arabes vocant ريحى, conjicit autem, hanc urbem tempore illo Moabitici fuisse juris, ita ut quatuor nominari

putentur urbes in finibus Moabitarum, verſus Auſtrum, Septentrionem, Occidentem et Orientem remotiſſimae, totaque adeo Moabitis dicatur vaſtis clamoribus inhorruiſſe. Verum multo aptius haud dubie verbum בָּרַח hic ſumitur notione *fugiendi*, quam et Chaldaeus hic tenet ac Saadias, quorum ille habet: לְמֶעֱרַק *ad fugiendum* usque ad Zoar; hic منهزمة *in fugam converſa*. Eam ſignificationem omnes, quos vidi, recentiores ſequuti ſunt. Pro בְּרִיחֶהָ legendum eſt plene בְּרִיחֶיהָ, quod exhibent codd. Kennicottiani *quadraginta duo*, et Dathius quoque atque Aurivillius probant. בְּרִיחֶיהָ autem poſitum eſt pro בְּרִיחָיו, quoniam nomina gentium alias ut maſculina conſtruuntur, ex generis enallage, quae multis hujusmodi enallagis in lingua hebraea et cognatis frequenter obviis defendi poteſt. Deſignantur voce בְּרִיחֶיהָ profugi, qui ex interiore Moabitide lacum Aſphaltitem verſus fugerent, quaſi illinc in Judaea perfugium quaeſituri, ut in ejus ſolitudinibus laterent. צֹעַר urbem ſitam fuiſſe juxta maris mortui litus maxime auſtrale, apparet ex Geneſ. XIII, 10. XIX, 22. 23. 30. Deut. XXXIV, 3. At עֶגְלַת-שְׁלִשִׁיָּה, ſi locus excipiatur parallelus Jerem. XLVIII, 34., nusquam alias reperitur. Perquam igitur incertum, utrum ſint nomina propria urbium, an appellativa. Prius contenderunt Michaelis et Doederlein, qui comprobat Lightfooti ſententiam (*Chorograph. Joanni praemiſſ.* C. III. §. VIII.), עֶגְלַת-שְׁלִשִׁיָּה eſſe nomen loci, qui dicatur *Eglah tertia*, reſpectu duorum aliorum locorum cognati ſoni, vel *Eglah Duciſſa*, aut *Nobilis*, a שָׁלִישׁ, *dux*, *tribunus*. Et quum apud Ptolemaeum urbis cujusdam Νέκλα, haud longe a *Zoare* disſitae, mentio fiat; Lightfootus noſtram עֶגְלַת-שְׁלִשִׁיָּה et Ptolemaei Νέκλα unum idemque oppidum eſſe cenſet. Refert quoque huc Josephi (*Antiqq.* L. XIV. c. 2.) Ἄγαλλα, quae numeratur inter alias, apud noſtrum memoratas urbes, Ἄγαλλα, Ἀθώνη, Ζωάρα, Ὀρώναι. Verum Ἄγαλλα videtur fuiſſe אֶגְלַיִם, quod infra Vs. 8. occurrit. Addit tamen Doederlein, noſtrum עֶגְלַת forſan

eſſe

esse Abulfedae (*Tab. Syr.* p. 13. et 92.) عجلون, *Aglun*, quod hodie est nomen urbis cum arce, ad latus orientale montis Gaur. In versione tamen posuit: *ad Eglon tricomium* (pertingunt voces querulae Moabitarum), sequutus conjecturam viri cujusdam eruditi in *Actt. Eruditt. Lipsi. Supplemm.* T. VI. p. 336., subaudiendam hic esse vocem קִרְיָה, et intelligi locum, tribus vicis constantem, qualem Graeci *tricomium*, sive *Tripolin* appellare solerent. Id tamen ad analogiam nominis רָמָתַיִם Gesenius alio modo exprimendum fuisse judicat. Ipse עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה vertendum existimat *Eglath tertiae* scil. vicis (coll. שְׁלִישִׁיָּה pro שְׁלִישִׁית Ezech. XXI, 19. al. 14.), i. e. Eglah tertia, ut significetur tertia quaedam Eglah urbs, praeter duas alias hujus nominis urbes, forsan eadem, quae apud Abulfedam, ut vidimus, *Aglūn* vocatur, extra Moabitidis fines septentrionales sita. Pro nomine proprio urbis cujusdam verba nostra habuerunt quoque Dathius et Henslerus, quibus et nos accedere haud dubitamus. Omisit vero noster particulam copulativam ו ante עֶגְלַת, ideo, puto, ut ipsa verborum structura fugientium festinationem exprimeret. Sed veteres omnes verba עֶגְלַת־שְׁלִשִׁיָּה pro appellativis habuerunt, et quidem pro cognomine urbis *Zoar*; vertunt enim: *usque ad Zoarem, vitulam triennem.* Placuit id e recentioribus Hezelio quoque, qui Zoarem appellari putat *vitulam triennem*, quod post *ter* repetitam destructionem *ter* iterum restituta esset. Sed ex quibusnam monumentis historicis id constat? et, si vere oppidum illud *ter* restitutum esset, quaenam caussa cogitari potest, cur vates hoc ipsum de hac ipsa urbe memoraret hoc carmine, quo, quasi ut fugientium festinationem eo vividius exprimeret, in nulla nominatarum urbium moratur? Idem valet de Vatabli sententia, Zoari *vitulae triennis* nomen tributum esse, quod comparari posset vitulae trienni, formosae, forti et in robore suo. Sed omnes fere e recentioribus, qui עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה pro nominibus appellativis habent, ea conjungunt cum priore commatis membro, et ita

ita quidem, ut verba nostra referant vel ad *Moabum*, vel ad *clamores* (לִבִּי יִזְעָק). Qui עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה sumunt pro epitheto, *Moabiticae genti* a propheta tributo, habent certe, quo huic sententiae speciem quandam addere possint. Solent enim poetae Hebraei nomina nonnumquam effingere, quibus significant, personis aut gentibus quae acciderent, aut in posterum imminerent. Ac tametsi nostris moribus humile putetur, nec ferendum, si vitulae aut vaccae appellatione gens quaedam notaretur, veteribus tamen, qui in re pastoritia, nil per se indecorum, aut probis auribus non tolerabile spectabant, videbatur aliter. Israeliticus populus, in Deum rebellis, cum פָּרָה סֹרֵרָה, *vacca refractaria* comparatur, Hos. IV, 16., et X, 11. Ephraim עֶגְלָה מְלֻמָּדָה *vitula assueta* triturationi. Aegyptum עֶגְלָה יְפֵה־פִיָּה *vitulam pulchram* nuncupat Jeremias Cap. XLVI, 20., et L, 11. Babylonios imagine עֶגְלָה דָשָׁא *vitulae in gramine subsultantis*, sistit. Haud alienum igitur, si, praeeunte Alexandrino, putemus, Moabiticam gentem, aut regionem a Jesaja vocatam *vitulam trimam*, h. e. multo vigore et alacritate huc usque insignem, גברתניה *robustam*, ut Jarchi explicat; ut eo tristiorem ostenderet fore casum, quo nupera exuti securitate et opulentia Moabitae, suis e finibus procul abigerentur. Id placuit Gesenio. Probaverim et ego hanc sententiam, nisi עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה nimis remotum esset a מוֹאָב; quod ipsum obstare videtur Aurivillii interpretationi, quae haec est: „Hebraeo שָׁלַשׁ respondere poterit سلس *mente destitui, insanire* (quam significationem confirmat ex *Camuso*). Si posito hoc significatu, concipiatur adjectivalis forma שְׁלִשִׁי, et in feminino שְׁלִשִׁיָּה, vel, uti habent nonnulli codices, שְׁלִישִׁיָּה, quod analogice sumi poterit pro substantivo, עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה erit *vitula dementiae*, h. e. pro more Hebraeae constructionis, demens, sui non compos, omnis inops consilii. Sique porro בריחה legatur, uti ferunt litterae, forma sive participii sive adjectivali, בְּרִיחָה, *aufugiens*, perfacilis et liquida haec vocum constructio exsistet: *ad Zoaram usque*, locum disjunctissimum, *fuga sese proripit fugiens*, velut oestro

oestro percita, *vitula*, h. e. Moabitarum gens, amens nunc, et prae terrore vix sui conscia; quod extremae imaginem perturbationis, qualis jam Moabitarum, adprime repraesentabit." Sed vocem שְׁלִישִׁיָּה tam saepe in V. T. *tertiae* significatu obviam hoc solo loco alia significatione usurpari, cujus nulla in codice hebraeo vestigium exstat, parum est verisimile. Sunt haud pauci, qui cum Bocharto *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLI. T. I. p. 445. edit. Lips. עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה referant ad יִזְעָק, vertantque: *cor meum clamat*, i. e. ego clamo propter *fugitivos ejus ad Zoarem*, tanquam *vitula trima*. Ita vertendum esse colligit e loco parallelo Jerem. XLVIII, 34. *Edent vocem suam a Zoare usque ad Horonajim sicut vitula triennis.* „Et cum natura bovis," addit, „recte convenit," qui ab Homero vocatur *ἐρίμυκος*, id est, *μεγαλόφωνος*, *magnae* et *contentae vocis*. Et propheta feminae magis, quam maris meminit, quia in solo hoc genere femina est vocalior, teste Aristotele *Hist. Animal.* L. IV. sub finem. Feminam tamen in bubulo genere non quamvis vates profert, sed *triennem*, qua aetate vox plenior, quia tum robur firmius." Paullo aliter Vitringa: „*cor meum clamat propter Moabum. Fugitivi ejus usque ad Zoarem vagantur, vitula trima*, i. e. boatum edentes ejulando et plangendo ut *vitula trima*." De quibus penes lectorem esto judicium. כִּי מַעֲלֵה הַלּוּחִית בִּבְכִי יַעֲלֶה־בּוֹ *Ad adscensum Luchith* quod attinet, *cum fletu eum adscendet*. כִּי redundat, ut saepe. Alexandrini fortasse legerunt בָּךְ יַעֲלוּ, habent enim: *πρός σε ἀναβήσονται*· nam quod apud Procopium tanquam Alexandrinorum interpretatio adducitur; *ὅτι ἀναβάσει τῆς Λουεὶθ ἐν κλαυθμῷ ἀναβήσεται ἐν αὐτῷ*, videtur juxta textum hodiernum immutatum esse. J. D. Michaelis pro בוֹ legere mallet בְּכִי, quod extat in parallelo loco Jerem. XLVIII, 5., et verba sic conjungit: בִּבְכִי יַעֲלֶה־בֶּכִי, *Weinen erhebt sich über Weinen*. Sed nulla est causa, cur lectionem receptam deferamus. לוּחִית quis fuerit locus, vel fortasse urbs, non liquet. Fit enim ejus hic tantummodo mentio, et in parallelo Jerem. XLVIII, 5. Satis tamen vel hinc colligas,

ligas, fuisse tractum vel clivum editiorem in extremis Moabitidis, quo in convallibus ibatur in Arabiam et Zoaram. Id convenit traditioni Eusebii et Hieronymi, quorum ille: *Λουεὶθ, μεταξὺ Ἀρεοπόλεως καὶ Ζοαρῶν, κώμη νῦν καλουμένη Λουεἰθ.* Hieronymus: *Et est usque hodie vicus inter Areopolim et Zoarum, nomine Luitha.* כִּי דֶּרֶךְ חֹרֹנַיִם זַעֲקַת־שֶׁבֶר יְעֹעֵרוּ *Quia via Choronaimorum clamore fracturae quiritantur.* Sed vocula כִּי hic pariter redundat, ut in sententia praecedente, et negligitur a Jeremia in parallela sententia, XLVIII, 34. זַעֲקַת שֶׁבֶר, *clamor fracturae,* quo significatur *clamor,* qualis excitari solet tempore magni infortunii. Vix opus notare, nomen שֶׁבֶר, quod in re, quae *confringitur et excutitur,* propriam sedem habet, poni de *clade* quavis *exitiabili.* Per *σύντριμμα* vertunt Graeci, obvium etiam Rom. III, 16. De יְעֹעֵרוּ autem, quod nusquam alias extat, et dubiam insuper formam habet, difficilius dictu, *quid proprie significet.* *Haud improbabilis sententia* eorum, qui ad עור, *excitare,* referunt, ducentibus etiam illuc Syro, veteri Latino, et Aquila, posterius hemistichium hunc in modum transferente: *ὅτι ἀναβάσει τῆς Λουεὶθ ἐν κλαυθμῷ ἀναβήσεται ἐν αὐτῷ, ὅτι Ὡρωναὶμ κραυγὴν συντριμμοῦ ἐξαναγεροῦσιν,* eritque tum geminata prima radicalis, loco tertiae. Jarchi *vociferabuntur* interpretatur, et verbum עער Aramaicum esse ait, quod exstet in Chaldaica translatione Jesaj. XVI, 10. et Jerem. XLVIII, 33.: יְעוֹעֲרוּן בְּקָלְהוֹן *vociferantur voce sua.* Neutro tamen loco in libris nostris editis legitur. Possit esse pro יְרוֹעֲעוּ, juxta illud infra XVI, 10. לֹא יְרֹעָע *non habebitur vociferatio.* Minus idoneum, ut sive רִיעַ, quod Vs. 4. aderat, cogitetur, sive Rabbinorum עַרְעֵר, *contendere et litigare,* quod editiori illud et quiritanti voce nonnumquam solet fieri, sive ut allusum putetur ad nomina urbium in Moabitide, עָר et עֲרֹעֵר. Gesenio יְעֹעֵרוּ est pro יְעֹרְעֵרוּ *excitabunt,* scil. clamorem, ejecta litera ר priori, pro more Aramaico, ut ܓܓܠܐ pro ܓܠܓܠܐ *rata,* ܫܫܠܐ pro ܫܠܫܠܐ *catena.* Sufficiat, si vel dubia

dubia manserit forma vocis Grammatica, rem tamen ipsam, quam propheta voluit, haud esse obscuram; eandem videlicet, quam expressit Jeremias, Cap. saepius citato, Vs. 5., verbis paullulum mutatis: צָרֵי צַעֲקַת־שֶׁבֶר שָׁמֵעוּ, *magna sub miseria extorti clamores audientur.* In qua Moabitidos parte sita fuerit olim urbs חֹרֹנַיִם, monstrari hodie non potest; neque enim praeter nostrum et Jeremiam, scriptores Hebraei alii, aut antiqui ceteri, de illa quidquam tradiderunt. An sit eadem, e qua חֹרֹנִי dictus *Sanballat*, Nehem. II, 10. 19. incertum, nec, si sciretur, magnopere juvaret. Josephus quidem *Antiqq.* L. XIII. c. 15. inter urbes Moabiticas Ὀρώνας quoque nominat, situm vero non definit. Quoniam Jerem. XLVIII, 5. מוֹרַד חֹרֹנַיִם, *descensus Horonaim,* post מַעֲלֵה הַלּוּחִית, *ascensum Lubitae* proxime ponitur, et Vs. 34. Zoari adjungitur Horonaim, credi haec poterit modico intervallo a Zoare abfuisse, et tendentibus in Zoarem praebuisse transitum.

6. Explicat poeta rationes luctus incolarum Moabitidis. Arva et prata hucusque laeta fontibusque irrigua exarescunt et inculta jacent, fontibus ab hostibus obturatis et suppressis. Hezelio vero et Aurivillio hic Versus continere potius videtur caussam fugae et relinquendae priscae regionis; poni autem illam in aquarum defectu, ut nihil amplius superesset graminis in agris pratisque, et in fontium obturatione et suppressione, per hostem facta, vid. 2 Reg. III, 25., ubi Hebraei impressione in Moabitidem facta arbores frugiferas cecidisse, agros lapidibus opplevisse et fontes obturasse narrantur. כִּי Versus initio, uti alterum, quod secundum hemistichium inchoat, pendet a verbis לִבִּי לְמוֹאָב יִזְעָק *cor meum propter Moabum clamat,* Vs. 5. כִּי־מֵי נִמְרִים מְשַׁמּוֹת יִהְיוּ *Nam aquae Nimrim desolationes merae erunt. Aquis Nimrim* videtur lacus aut fons cum inde orto rivo significari ad locum נִמְרָה, *Nimra,* dictum, Num. XXXII, 3. et בֵּית נִמְרָה, Num. XXXII, 36. Jos. XIII, 27., urbem in tribu Gaditarum, haud procul a Jordane. Ejus urbis

urbis ruinae, quae nomen نمرين *Nimrein* retinuere, exstant Szalto ad austrum, ubi torrens Schoaib in Jordanem influit. Vid. Burckhardt *Itin. Syr.* p. 609., et libr. nostr. *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 273. et Vol. III. p. 55. Pro nomine proprio נִמְרִים habuerunt interpretes veteres omnes. Quae veterum consensio nisi obstaret, non repudianda esset Aurivillii sententia, נִמְרִים esse nomen appellativum. Etenim Arabibus نمر et نمير denotat *aquam liquidam, salubrem, copiosam,* unde מֵי נִמְרִים forent *aquae,* ubi demum cumque in Moabitide huc usque inveniebantur, *liquidae* et *uberes,* quae sane, ubi exsiccatae fuissent, non potuissent sterilitatem non inferre, quae mox describitur. Liceret tum quoque per aquas non fontes modo intelligere, quos arena opplere solitos olim hostes fuisse, e Gen. XXVI, 18. et 2 Reg. III, 25. observat Michaelis, sed et valles humidas, arborumque fertiles campos vel immissa flamma, vel admota securi, ab hostibus vastatos. Substantivum מְשַׁמּוֹת, *vastitates,* praedicati seu adjectivi loco positum, ex idiotismo Hebraei sermonis diritatem rei fortius exprimit, uti et praefixum ל in לִמְשַׁמּוֹת. Jerem. XLVIII, 34. יָבֵשׁ חָצִיר *Exarescit gramen. Adultum gramen,* quod illico possit demeti, atque adeo comburi, est חָצִיר, Arabibus خضير, iisdem litteris. At דֶּשֶׁא, *herbula,* e gremio terrae nuper egressa, quam دَرِيس appellant Arabes, et יֶרֶק, quidquid *viride et succosum* sive herbis fuerit, sive et arboribus, uti docet Exod. X, 15. Arabicaeque consensus dialectus, in qua ورق, Hebraeo יֶרֶק respondens, de *frondibus arborum* ponitur. Notatu denique non indignum, breves questus, et veluti singultus cumulari, nulla interposita copula, quod affectum prae dolore festinantis in sermone aemulatur, tum per gradus quasi adscendere orationem, ut calamitas expingatur, qualem noster etiam Cap. XLII, 15. spectandam dedit.

Ex-

Exaruerat, quod jam aderat, gramen; quod e terra pullularet, nullum est; qua demum cunque in parte, pristini viroris ne minimum quidem cernitur.

7. Itaque inevitabili urgebat fugae necessitas. Quae licet turbatissima fuerit, incumbente hoste inopino simul et nequidquam repellendo, student tamen fugientes servare quidquid possent, oculisque reperirent forte obvium. עַל־כֵּן יִתְרָה עָשָׂה וּפְקֻדָּתָם עַל נַחַל הָעֲרָבִים יִשָּׂאוּם *Idcirco reliquum quod fecerat, et quod ipsis curae est, supra torrentem Arabum deportant.* Particula עַל־כֵּן caussam indicat, cur sua secum, quoad licebat, properarent auferre, hanc nempe, quod e veteri patria nunc esset discedendum. Forma feminina יִתְרָה non occurrit nisi hic in Nostro, et parallelo Cap. Jerem. Vs. 36. Hebraeorum nonnullis est quod *redundat, superfluens.* Ita Jarchi: על אשר יתרה עשה תבוא עליו הפורענות הזה *quoniam nimium fecit* Moabus, i. e. modum excessit in malis, quibus Hebraeos, suos consanguineos, affecerunt, *superveniet ei haec poena.* Id sequutus videtur vetus Latinus, qui posuit: *secundum magnitudinem operis,* fortasse et Alexandrinus, qui interrogative ponit: μὴ καὶ οὕτως μέλλει σωθῆναι; *num quid et sic salvanda est?* Aliis יִתְרָה idem est quod גָּאוֹן, *fastus,* coll. infra XVI, 6., ut sensus sit: quod fastuose et insolenter sese extulit. Sed multo aptius יִתְרָה ea significatione sumitur, qua forma masculina יֶתֶר persaepe in Hebraeo codice occurrit, *quidquid in re aliqua fuerit residuum.* In vocibus יִתְרָה עָשָׂה est ellipsis *relativi* אֲשֶׁר, ut sit pro יִתְרָה אֲשֶׁר עָשָׂה, *residuum quod fecerit,* quae ellipsis est frequentissima. Post עָשָׂה nominativum aliquem debere intelligi, quisque videt. Aurivillius *hostem* intelligit, ut sit: *reliquum* quod *fecerat* hostis, quidquid is, dum late praedabatur, intactum reliquerat. Verum etsi Latine dicitur *reliquum facere* pro *relinquere;* dubito tamen, Hebraeos ita loquutos esse. Maluimus itaque עָשָׂה *acquirendi, comparandi* significatu sumere, quae et Genes. XII, 5. XXX, 30. Deut. VIII, 17. 18. obtinet;

aut

ut sensus sit: *reliquum ejus* quod *acquisiverat Moabus* aliorsum est transportandum. Recte Chaldaeus: שְׁאָר נִכְסֵיהוֹן *reliquum opum eorum.* Saadias: الباقي الذي نبت *reliquum* ejus *quod germinavit,* quod protulit tellus; similiter עָשָׂה aderat supra V, 2. 10. Apud Jeremiam XLVIII, 36. legitur עַל־כֵּן יִתְרַת עָשָׂה אָבָדוּ, ex quo suspicatur Lowthus, a nostro pariter positum esse, quod deinde errore transscribentium exciderit, אָבָדוּ aut אָבָדָה, siquidem in Syro sit ܥܒܪ, *transiit,* in Chaldaeo יִתְבָּזוּן, *spoliabuntur,* et, suppleta Jeremiana voce illa, parallelismus utriusque hemistichii fiat plenior. Sed recte monet Aurivillius, in Syro haud dubie legendum esse ܥܒܕ, *fecit;* Chaldaeum vero, quod per totum fere Versum litteram textus Hebraei deseruerit, parum valere, ubi de veritate Hebraeae scriptionis agatur quaestio. Accedit, quod in Jeremia structura totius commatis valde discrepet, et nec in Alexandrino nec Latino, cognatisque MSS. Hebraeis codicibus, indicium ullum illius sive אָבָדוּ sive אָבָדָה reperiatur. In hemistichio posteriore dubium, *hostesne* an *Moabitae* abstulisse dicantur secum ea, quae propheta proxime antea dixerat. *Hostes* voluerunt Alexandrinus, Hieronymus, Jarchi, Vitringa, Lowthus, et fortasse Syrus quoque et Chaldaeus; quae interpretatio a rei supra narratae pertristi violentia non prorsus aliena erit. Verum quum totum fere carmen in describenda Moabitarum fuga versetur; equidem cum Aurivillio, Doederlinio, Hezelio, aliis, Moabitis tribui existimaverim, quod nunc vates dicit. Asportant opes suas securitatis caussa. Hoc igitur posito, פְּקֻדָּתָם proprie erit *curatum ejus,* i. e. res sollicite ab ipsis custoditae, opes quae sibi curae cordique erant. A פָּקַד, *inspicere, tueri,* unde פְּקוּדָה, *munus,* quo alicujus curae et perpetuo velut conspectui quidpiam subjicitur et committitur, et פִּקּוּדִים, perfrequenter Davidi in Psalmis, *divina praecepta,* mentis certe ab oculis numquam dimittenda, nec non פִּקָּדוֹן, *depositum,* continue vigilibus tamquam oculis servandum, ne laedatur aut pereat. Aurivillius quod hic legitur,

legitur, פְּקֻדָּה, *rem quamlibet fugientibus sub oculos cadentem* significare existimavit. Quod quaesitum est et minus concinnum. Illas autem suas opes *super*, vel *ultra* נַחַל עֲרָבִים dispulsi Moabitae ardebant pertrahere. Quoniam נַחַל et *vallis* et *torrens*, per vallem defluens, Hebraeis dicitur, non satis certum, uter significatus hic praeferendus. Poterit, opinor, uterque non male conjungi. Difficilius autem, locum ejusque situm definire. Recedit longius Alexandrinus, qui vertit: ἐπάξω γὰρ ἐπὶ τὴν Φάραγγα Ἄραβας; e Syro, quia voces Hebraeas retinuit, parum lucis oritur; obscurum est Chaldaei: *terminus eorum juxta mare occidentale tolletur ab eis.* Nec sibi constat Hieronymus. Ubi dixerat: „pro *salicibus* in Hebraeo legimus *Arabim*, quod potest et *Arabes* intelligi et legi *Orebim*, id est villa in finibus eorum sita, cujus a plerisque accolae, in monte Horeb, Heliae praebuisse alimenta dicuntur, quod nomen propter ambiguitatem transfertur et in corvos, atque occidentem locaque campestria;[k] dein subjicit: „torrentem salicum, Babyloniae accipe flumina, Ps. CXXXVII, 2.;" et denique: „sive vallem Arabum, per quam pergitur ad Assyrios." Primum placuit J. D. Michaeli, transtulit enim *Rabenbach*, qui 1 Reg. XVII, 3. 5. vocatur נַחַל כְּרִית; alteram Lowtho, qui habet: *to the walley of Willows* in notis explicans: *that is to Babylon.* Aurivillius significari putat torrentem *Sared*, זֶרֶד, Num. XXI, 12. Deut. II, 13. per Arabiam transfluentem in mare mortuum; quippe qui jure merito dici potuerit *torrens Arabum*, et quem trajici necesse fuerit his, qui e Moabitide tenderent ad Zoarae urbem, quorsum fugientes properasse Vs. 5. dicuntur. Verisimilius quod Gesenius conjicit, נַחַל עֲרָבִים esse eum torrentem, qui in termino australi Moabitidis in mare mortuum fluit, a Seezenio *Wadi el-Höffa*, a Leghio *Nahar el-Hoffan*, نهر الحصان i. e. equorum fluvius, sed a Burckhardto *Itin. Syr.* p. 674. vers. teuton. وادي الاحسا *Wadi el-Ahsa* vocatus, a castello hujus nominis. Decurrit per concavam vallem, quae regio-

regionem *Kerek*, quae veteris Moabitidis pars australis erat, a *Dschebal*, veterum *Gebalene*, disterminat.

8. Dum incertae et periculosae fugae sese dant Moabitae, veriti usquam subsistere, donec ultra fines oppressae ab hostibus regionis pervenissent, fletus ac ploratus latissime circumferunt. כִּי הִקִּיפָה הַזְּעָקָה אֶת־גְּבוּל מוֹאָב *Nam circumdat clamor limites Moabi;* nulla pars erit in tota ditione Moabitica, quae non luctu et clamore personet. Si הִקִּיפָה derivetur a נָקַף, significabit *circumdat*; si vero cum Aurivillio referas ad נָכַף, vi multo fortiori *contundit* erit. *Metas* regionum Hebraeos vocasse גְּבוּל, a primitivo גָּבַל, Arab. جبل, quod *montem* significat, consuetum, maximeque fidum veteribus populis terminum, nemo jam ignorat. Forsan et Graecis ὄρος, *mons*, et ὅρος, *terminus*, in origine affines fuere. אֶגְלַיִם eadem haud dubie erat urbs, quam Eusebius in *Onomastico* vocat Ἀγαλλείμ, illius aetate κώμη, *vicus*, ab Areopoli octo milliaria austrum versus, hinc non valde remota a Moabitarum australi termino. Ἄγαλλα quoque dictam censet Relandus, utpote quam aeque ac Zoaram Josephus *Antiqq.* L. XIV. c. 1. inter duodecim urbes Arabicas, ab Alexandro Magno expugnatas, memorat. Ad בְּאֵר אֵילִים quod attinet, conjecit Junius ad vers. Latin, אֵילֵי מוֹאָב, qui dicuntur Exod. XV, 15., esse posse שָׂרִים וּנְדִיבֵי הָעָם, a quibus effossus בְּאֵר, *puteus*, celebratus Num. XXI, 18., huncque adeo a Jesaja nunc indicari. Junii sententia et Gesenio verisimilis est, quum situs extra limites Moabiticos in deserto conveniat, et verba Cantici Num. XXI, 18. paraphrasin poeticam nominis בְּאֵר אֵלִים exhibeant. Repetendam esse in versione particulam עַד ante אֵלִים, res postulat, et linguarum hodiernarum indoles, tametsi, consuetudine permittente Hebraei sermonis, haud opus erat, ut in textu poneretur. In יְלָלָתָהּ ultimum ה habet *Mappik* in editionibus vulgaribus, ut sit generis feminei Pronomen suffixum, quod et veteres omnes exprimunt. Referendum erit vel ad gentem Moabiticam, vel ad praecedens

dens זַעֲקָה. Sed monet Aurivillius, multo fore efficacius, si ה, Mappik illo destitutum, habeatur pro intensivo paragogico, figaturque accentus in penultima, ut יְשׁוּעָתָה, Ps. III, 3., עַוְלָתָה, Ps. CXXV, 3., עֵפָתָה, Job. X, 22. In Complutensi certe ה in posteriore יִלְלָתָה, et in pluribus codicibus (vid. De-Rossii *Scholl. eritt.* ad loc.) in utroque יִלְלָתָה Mappik abest. Ita convenit cum parallelo זַעֲקָה. Geminavit vates hanc vocem, ideo haud dubie, ut, repetita tristissimae significationis voce, sonum ipsum ubique percellentis stridoris, auribus aeque legentium ac animis sentiendum praeberet. *Harmonicam imitatricem* vocant poeticae Artis Doctores, suntque in Hebraea poesi minime insolentes earundem vocum ejusmodi repetitiones, quoties major affectus jusserit Genes. XLIX, 22. בֵּן פֹּרָת bis ponitur, similiter Exod. XV, 6. יְמִינְךָ יְהוָה; in Nostro Vs. 1. כִּי בְּלֵיל שֻׁדַּד, tum Cap. mox sequenti Vs. 7. יְיֵלִיל, et LIII, 7. וְלֹא־יִפְתַּח פִּיו, imo in Deborae hymno Jud. V, 12. עוּרִי quater legitur. Non erat igitur, cur Koppius prius יִלְלָתָה tanquam ab elegantia stili poetici abhorrens, voluerit expungi. Graecus, ait, interpres non nisi semel posuit. At habet is ipse prius; et posterius, quod in vulgo edito desideratur. Habuit in textu hebraeo Syrus, qui ܝܠܠܬܗ unum post alterum transscripsit. Habuit Chaldaeus, qui post מְיַלְלִין subjunxit מְצַוְחִין. Habuit vetus Latinus, tametsi loco posteriori vertit: *clamor ejus.* Posterius supplendum censuit Origines in Hexaplari editione Alexandrini textus, sive quod in Graeca quadam versione alia, sive in ipso etiam Hebraeo fonte, repererat. Et in Complutensi editione legitur: *συνῆψε γὰρ ἡ βοὴ τὸ ὅριον τῆς Μωαβίτιδος, τῆς Ἀγαλλεὶμ καὶ ὀλολυγμὸς αὐτῆς, ἕως τοῦ Φρέατος τοῦ Ἐλεὶμ ὀλολυγμὸς αὐτῆς,* utrobique expresso יִלְלָתָה illo, quod in Hebraeo bis positum.

9. Caedes adeo feralis, ut occisorum sanguine vicinus exundet fluvius. כִּי מֵי דִימוֹן מָלְאוּ דָם *Nam aquae Dimon repletae sanguine.* Per דִימוֹן eandem significari urbem, quae Vs. 2. dicta *Dibon,* non est dubium, quum utroque nomine

appel-

appellari ſolitam ſuo jam aevo teſtetur Hieronymus, ſitque in linguis Orientalibus frequens, ut *b* et *m*, in nominibus potiſſimum propriis alternent. Videtur autem propheta urbem, quam ſupra *Dibon* dixit, hic *Dimon* vocare, ut alludatur ad דָּם, *ſanguinem*, cujusmodi ſimilitudines in ſono vocum captare amant Orientales. Non erat igitur, cur Cellarius *Geograph. Antiqq.* T. II. p. 676. dubitaret, an differente unica in littera, nomine potuerit urbs eadem deſignari. *Aquis Dibonis* videtur Arnon fluvius deſignari, a cujus ripa ſeptentrionali urbs illa haud procul ſita erat; vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 269. In codicibus nonnullis Alexandrinae verſionis Ῥεμμὼν dicitur, uti et in Syro *Ribun*, niſi error ſcribae ſubſit, qui *r* pro *d* poſuerit. Verba אָשִׁית עַל־דִּימוֹן נוֹסָפוֹת plerique cum Vatablo interpretantur: *addam ſuper Dimon*, i. e. Dimoni, *additiones*, i. e. novos rivos canalesque recentes in ipſum Dimon; q. d. augebo Dimon ſanguine interfectorum. Aliis vero praeplacet Grotii interpretatio: „ſenſus eſt, novas dabo cauſſas, cur ita merito vocetur is fluvius;“ nempe quod דִּימוֹן alludat ad דָּם, ut jam monitum eſt. Alii נוֹסָפוֹת non de *aquarum incremento* intelligunt, ſed de malorum ac calamitatum acceſſionibus, quae praeter illam, quam paſſurae ſint, caedem, in Moabitas redundaturae ſint. Chaldaeus: *conſtituam ſuper Dimon* בְּנִישַׁת מַשְׁרְיָן *congregationem exercituum.* לִפְלֵיטַת מוֹאָב אַרְיֵה וְלִשְׁאֵרִית אֲדָמָה *Elapſis Moabitarum leonem*, leones, ſcil. conſtituam (אָשִׁית), immittam, *atque reſiduo terrae. Leonibus* h. l. vix dubium eſt ſignificari hoſtes truculentos et ſaevos, ut Job. IV, 10. Pſ. XXII, 22. Nah. II, 12. 13. Hieronymus: „Quod ait: *ponam ſuper Dimon additamenta*, et quaeſtionem facere videbatur, quid eſſet, ſequenti verſiculo demonſtravit dicens: *his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terrae*; ut etiam qui fuga lapſi ſunt, a beſtiis conſumantur [Cf. Levit. XXVI, 22. Jerem. V, 6. XV, 3. 2 Reg. XVII, 25.]. Quamquam et per metaphoram leonem, regem hoſtium, poſſumus intelligere, ut potentiam ejus, quaſi rugitum, nemo evaſerit.“ Ita Chal-

Chaldaeus, qui pro אַרְיֵה poſuit מֶלֶךְ בְּמַשִׁרְיָתֵיהּ, *regem cum exercitu ſuo,* quem *Nebucadnezarem* cenſet Vitringa, אַרְיֵה quoque appellatum Jerem. IV, 7., indeque ſimul collegit, Prophetam ad cladem, a Babyloniis demum inferendam, quamque potiſſimum denunciet Jeremias Cap. XLVIII. reſpexiſſe. Aurivillius אַרְיֵה, *leonem,* Moabum appellari cenſet, tum ob priſcam illius potentiam, tum adverſus Iſraelitas vim efferam, tum et immanem, cujus accuſatur Cap. ſeq. Vs. 6. ſuperbiam. Ad Moabum vero אַרְיֵה referens tanquam praedicatum, hemiſtichium poſterius conjungit cum priori, hunc in modum: *plenae jam ſunt aquae Dimonis ſanguine; juxtaque Dimonem ut auctiores fluant, faciam* his, aut per hos, *qui evaſerint inter potentes nuper et audaces Moabitas, quique ex Adama traxerunt originem,* i. e. ne fuga quidem ſe eripere poterunt, ſi qui primum hoſtium impetum feſellerint; ſed ſub fuga ipſa occidentur, fuſoque ſanguine נוֹסָפוֹת, *augmenta,* dabunt praetereunti fluvio. Quae quidem interpretatio artificioſior videtur. Nec admittenda Doederleinii explicatio: *eumque* (rivum Dimonis) *irriguum faciam fugitivis Moabitis et reliquiis Adamae,* nempe ſanguine eorum. אַרְיֵה toties indubia *leonis* ſignificatione obvium, hoc ſolo loco poſitum putat pro אַרְוֶה *humectabo, irrigabo.* Nomine אֲדָמָה ſunt qui urbem intelligant, cui nomen olim *Adama,* ex Graecorum interpretum pronunciatione, unam e quatuor miſſo de coelo igne everſis. Quae ſententia probatur Kochero maxime ideo, quod ה demonſtrativo vox careat, Zephaniasque vates II, 9. eidem populo conſimili ſententia malum intentaverit. Sed nomen urbis illius conſtanter ſcribitur אַדְמָה, non אֲדָמָה, ut h. l. eſt, vid. Geneſ. X, 19. XIV, 2. 8. Hoſ. XI, 8. Nec ſatis concinne Moabitica terra *reliquum Adamae* urbis vocata fuerit. Syri interpretis verba in Bibliis Polyglottis ita ſonant: ܘܐܪܢܐ ܥܠ ܐܝܠܝܢ ܕܦܠܛܘ ܡܢ ܡܘܐܒ *et cogitabo ſuper iis, qui evaſerint ex Moabo;* quaſi pro אַרְיֵה legiſſet וְאֶהְגֶּה. Sed haud dubium, pro ܘܐܪܢܐ legendum eſſe

ܘܐܪܝܐ *et leonem.* Ceterum verba וְלִשְׁאֵרִית אֲדָמָה ad initium Capitis ſequentis refert Syriacus interpres, probante et ſequente Schellingio, ut mox videbimus.

Cap. XVI, 1. Alloquitur propheta gentem Moabiticam: שִׁלְחוּ כַר מוֹשֵׁל־אֶרֶץ מִסֶּלַע מִדְבָּרָה אֶל־הַר בַּת־צִיּוֹן *Mittite agnum* ſ. *agnos dominatoris terrae,* in tributum, ex pacto vetere, *a Petra deſertum verſus ad montem filiae Zionis.* Quibus verbis clarum eſt prophetam commendare Moabitis, ut ſibi gratiam concilient et protectionem regis Judaici, debitam exhibendo obedientiam, ſolvendoque tributum agnorum, a Davide olim impoſitum, quod exigendi jus ſucceſſoribus Davidis legitime competebat. Davidem enim ſibi obnoxios feciſſe Moabitas, eosque tributum illi pependiſſe, legimus 2 Sam. VIII, 2. Deinde etiam Meſcham, Moabitarum regem, regibus Iſraeliticis, usque ad Achabum, tributum agnorum et arietum pependiſſe, narratur 2 Reg. III, 4. Eum terrae tractum, quem Moabitae olim tenuere, etiamnum pecudibus, praeſertim ovariis et caprinis abundare, teſtantur qui noſtra aetate illas regiones inviſere; vid. libr. noſtr. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 129. et Vol. III. p. 53. Chaldaeus: יְהוֹן מַסְּקֵי מִסִּין לִמְשִׁיחָא דְיִשְׂרָאֵל *deferent tributa uncto,* regi, *Iſraelis.* Pro כַּר, auctore Syro interprete (ܐܫܕܪܘ ܒܪܗ ܡܫܠܛܢܐ ܕܐܪܥܐ), recentiorum complures legendum volunt בַּר, *filius,* quod et codex Kennicotti 403. et fortaſſe quoque 158. exhibet. Ex De-Roſſianis, praetermiſſis nonnullis dubiis, *quatuor* aperte hanc lectionem ſervant. Qua adſcita lectione, noſtra verba ita vertunt: *mittite filium dominatoris terrae,* i. e. regis Moabitici, *ad montem filiae Zion,* ut ſplendida legatione, per ipſum regis filium, gens Moabitica a Judaeis auxilium et hoſpitium petere moneatur. J. F. Schelling in *Animadverſſ. philologg. ad difficiliora Jeſajae loca* p. 25. verba ultima Capitis XV. וְלִשְׁאֵרִית אֲדָמָה ad hunc Verſum, cum Syro interprete,

terprete, trahens, et pro שְׁלַח legens שִׁלְחוּ, noſtrum locum ſic interpretatur: *quod vero ad reliquos in terra attinet,* quos leonum immanitas reliquos fecit (XV, 9.), ſive, *et ſi qui* (etiam tum) *ſuperſtites fuerint in terra, ablegabit eos* ceu *agnos*, captivos, *dominator terrae*, i. e. qui tunc terram Moabiticam in ſuam poteſtatem redegerit, rex Judaeorum, *ad montem Sionis.* Nos quidem a vulgo recepta legendi et interpretandi ratione haud diſcedendum arbitramur. Non indigna tamen, quae commemoretur, Hoheiselii eſt ſententia in *Obſervatt. philologico-exegett.* p. 125. Is noſtrum locum ſic vertit: *Mittite agnum, o dominatores terrae, e Sela usque ad deſertum ad montem filiae Zionis.* Nomen כַּר non collective, ſed, uti ſonat, in ſingulari, de agno unico ſumendum cenſet. Vatem reſpicere exiſtimat ad morem veterum, qui bellum ſuſcepturi agnum ad hoſtes ablegabant, futuri proelii nuncium. De ritu hoc Diogenianus *Proverb. Centur.* II. no. 69. p. 197. [in Michaelis Apostolii *Proverbiis* Centur. IV. no. 45. p. 47.]: *Ἄρνα προβάλλει· ἐπὶ τῶν πολεμεῖν αἱρουμένων· οἱ γὰρ πόλεμον αἵρειν βουλόμενοι, κήρυκα ἔπεμπτον ἄρνα ἐπιφερόμενον, ὃν ἐφίη ἔνδον, ἐνδεικνυμένος μηλόβοτον αὐτῶν τὴν οὐσίαν ἔσεσθαι καὶ τὴν πόλιν.* ***Agnum projicit;*** *dicitur de iis, qui bellum capeſſunt. Qui enim bellum ſuſcepturi eſſent, caduceatorem cum agno ablegabant, quem dimittebat intus, ſignificans, ipſorum* (hoſtium) *bona ac urbem devaſtatum iri, adeo ut oves ibi paſcantur.* Hujus conſuetudinis mentionem quoque injicit Heſychius, ad phraſin *ἄρνα προβάλλειν* haec adnotans: Νόμος ἦν Ἀθήνησι, *μὴ πρότερον συμβάλλειν, πρὶν ἢ τὸν ἄρνα προσμένων τίς λάβῃ τῶν πολεμίων. Lex erat apud Athenienſes, ne prius confligeretur, ſed exſpectaretur, usque dum aliquis ex hoſtibus agnum arriperet* (ad immittendum). *Mittere* igitur *agnum ad montem filiae Zionis*, ex Hoheiſelii ſententia eſt, denunciare bellum Judaeis. „Integra vero," inquit, „haec loquutio: *mittite agnum, o dominatores terrae*, videtur eſſe ironica, prouti jam animadvertit Lutherus. Idem τὸ מוֹשֵׁל-אֶרֶץ rectiſſime

 vertit:

vertit: *ihr Landesherren.* Hi vero *dominatores terrae* non sunt terrae Judaicae, sed Moabiticae domini. Ejurati hi fuerunt Judaeorum hostes, nullamque vexandi populum Judaicum occasionem praetermiserunt. Cf. 2 Reg. XIII, 20. Jes. XXV, 10. Zeph. II, 8. Jam vero, quum ipsi Moabitae ab Assyriis graviter affligendi essent, ludibrio eos habet propheta, *mittite*, ait, *agnum*, *o dominatores terrae* Moabiticae *ad Zionem*, i. e. denunciate, quaeso, uti soliti estis, novum bellum nobis. Imo tantum abest, ut agnum futuri belli nuncium ad Zionem missuri sitis, ut potius tempus instet, quo vos instar avis vagae nido emissae, sedibus vestris expellamini, Vs. 2. „Ceterum per סֶלַע, *petram*, hic vix dubium intelligi urbem *Petram*, in omni historia notissimam, quae Arabiae Petraeae nomen dedit, Moabitidi proximam. Fuerat olim Edomitarum, quibus hanc urbem Amazias, rex Judaeorum, eripuit, 2 Reg. XIV, 7. 2 Chron. XXV, 11. 12. 14. *Postea Moabitas illa urbe potitos esse*, patet ex hoc loco. *Urbis olim florentissimae et pulcherrimae* reliquias nuper invisit et descripsit Burckhardt, vid. libr. nostr. supra laudat. Vol. III. p. 76. seqq. Cf. Relandi *Palaest.* p. 926. seqq. Commemoratur in hac ipsa vaticiniorum sylloge et infra XLII, 11. Rationem, cur vates agnos tributarios ab hac urbe potius mittendos dicat, quam ab aliqua alia, Vitringa non sine veri similitudine repetendam putat inde, quod Moabitae aeque ac Arabes soliti essent magnos pecudum greges in desertum illi urbi vicinum agere, et eos ibidem pascere, ut Veteres testantur, et Petram hanc tanquam promtuarium quoddam commune, in quod se qualicunque casu recipiebant, et ubi sua reponebant. Dum porro Noster agnos mittendos ait a Petra מִדְבָּרָה, *desertum versus*, ut hac via perveniant ad montem Sionis, vix dubitari potest, significari desertum Hierichuntinum, Hierosolymam ex Moabitide proficiscentibus transeundum, cujus mentio fit Jos. V, 10. XV, 61. 2 Sam. XV, 28. XVII, 16. 2 Reg. XXV, 4. 5.

2. Ra-

2. Rationem addit praestandi officii, ad quod Moabitas adhortatus est Versu superiore: וְהָיָה כְעוֹף־נוֹדֵד קֵן מְשֻׁלָּח תִּהְיֶינָה בְּנוֹת מוֹאָב מַעְבָּרוֹת לְאַרְנוֹן, *futurum enim est, ut instar avis vagae, nidique disjecti, se habiturae sint filiae Moabi, ad vada Arnonis,* quibus verbis significatur, quotquot imminens Moabitidi exitium evasuri sint, quantopere Judaeorum indigeant favore et amicitia, quandoquidem ab hostili oppressione apud illos solos pateat effugium; esse itaque nunc tempus demereri Judaeos, et meminisse officii, quod iis debeatur, tam diu neglecti, ut expellendi sedibus suis Moabitae benevole et amice ab illis recipiantur. כְעוֹף־נוֹדֵד *Sicut avis vagans,* Vs. 3. X, 14. Proverb. XXVII, 8. Nah. III, 17.; nido expulsa, unde additur קֵן מְשֻׁלָּח, quod nonnulli pro מְשֻׁלָּח מִקֵּן, *dimissa e nido* dictum volunt, fere ut Hieronymus, qui *pulli de nido avolantes* vertit. Sed sensus est commodus, si verba sumantur, uti sonant: *nidus dimissus,* i. e. disjectus, dissipatus, destructus, ex quo pulsae aves huc illuc volitant, incertae, quo se vertere debeant; quemadmodum infra XXVII, 10. נָוֶה מְשֻׁלָּח וְנֶעֱזָב est *mansio dissipata ac deserta,* cujus incolae vi abacti et dispulsi sunt. Per בְּנוֹת מוֹאָב, *filias Moabi,* monent Hebraei intelligendos esse כְּפָרִים, *pagos,* urbibus subjectos, qui *urbium* בְּנוֹת, *filiae,* dici solent, ut Num. XXI, 25. בְּנוֹת חֶשְׁבּוֹן, *filiae Hesbonis,* pagi urbi subjecti. Sic et Ps. XLVIII, 12. בְּנוֹת יְהוּדָה sunt Judaeae oppida. Hieronymus: „*Et omnes filiae,* id est, villae et urbes provinciae Moab." Saadias: أهل رساتيق مآب *populus pagorum Moabi.* מַעְבָּרוֹת לְאַרְנוֹן Ad *transitus,* i. e. vada (ut Jerem. LI, 32. idem nomen de *vadis Euphratis* dicitur), quae sunt *Arnoni,* ad vada Arnonis fluvii, qui est terminus ditionis Moabiticaa, vid. Num. XXI, 13. Hodie fluvius ille vocatur وادي موجب *Vadi Mudscheb,* vid. *die bibl. Alterthumskunde,* Vol. II. P. I. p. 208. seqq.

3. Interpretum plures, quibus et nos olim accessimus, hoc Versu et duobus, qui proxime sequuntur, vatem alloqui

Moa-

Moabitas existimant, idque eis consilii impertire, si velint impendens hoc infortunium effugere, aut saltem mitigare, ut profugos ex Judaeis, qui hostili irruptione suis ex sedibus excedere coacti inter Moabitas refugium forte et latibulum quaerant, humaniter excipiant. Est enim, observante C. F. Schnurrer in *Observatt. ad Jesaj.* (Progr. Tubing. a. 1807.) p. 7., communis et constans ratio prophetarum haec, ut quam gentibus prope a Judaica sedem habentibus denunciant eversionem, affirment poenam esse a Deo decretam et justam ob inhumanitatem et ferociam erga Judaeos ab hostibus devictos depressos. Vid. Obad. Vs. 10. 11. Ezech. XXV, 8. Zeph. II, 8. Commendat illam sententiam, quod Vs. 4. verba מוֹאָב הֱוִי־לָמוֹ poscentibus accentibus sic vertenda sunt: *o Moabe! sis latibulum*, scil. expulsis meis, נִדָּחַי, qui proxime praecedunt. Obstat tamen illi interpretandi rationi, quod ea adscita nec primum hujus Versus 3. membrum commodum sensum praebet, nec Versuum 4. 5. nexus satis perspicuus est. Recte vidit J. D. Michaelis, consentientibus Lowtho, H. E. G. Paulo, Eichhornio et Gesenio, tribus hisce Versibus contineri verba principis Moabitici, Hierosolymam cum tributo solvendo missi (Vs. 1.), petentis, ut Moabitas terra sua excedere coactos, et refugium quaerentes humaniter excipiant Judaei. Initio Versus est לֵאמֹר, *dicendo*, subaudiendum, ut saepe alias. Verba הָבִיאוּ עֵצָה, *adducite*, admovete *consilium*, fere sic capiunt: prudenter rationem instituite; facite quod consultum est. Chaldaeus: אִתְמְלִיכוּ מְלַךְ, *consultate consilium*. Sed malim cum Gesenio subaudito לָנוּ sic explicare: adeste nobis consilio vestro, quod complectitur omne quo aliis opem et auxilium ferimus eosque juvamus. עֲשׂוּ פְלִילָה *Facite judicium*, i. e. justum, aequum. Expendite, inquit, et vobiscum reputate, quid in ipsa aequitate et humanitatis lege fundatum sit. Pro imperativis pluralibus, הָבִיאוּ et עֲשׂוּ, ad marginem singularia feminina, הָבִיאִי et עֲשִׂי legi praecipiuntur; nulla tamen hinc in sensu discrepantia. Lectio marginalis ad Zionem (Vs. 1.) sive Hierosolymam, sed quae

in

in textu est, ad ejus incolas redit. שִׁיתִי כַלַּיִל צִלֵּךְ בְּתוֹךְ צָהֳרָיִם *Pone tanquam noctem umbram tuam in medio meridiei,* i. e. praebe tutum refugium Moabitis furente calamitatis aestu. *Meridies,* צָהֳרָיִם, uti gravem et ardentem quasi vim exprimit hostilis oppressionis, ita תּוֹךְ צָהֳרָיִם, *medium meridiei,* ardore solis vehementissime pungens, ἐμφατικώτατον est, et intensissimum ac intolerabilem publicae afflictionis aestum repraesentat. Unde facile colligitur, צֵל, *umbram,* omne id complecti, quo quis a tanta calamitate immunis praestatur, simulque suavi quiete et omnis generis solatio erigitur et recreatur. Simili imagine infra XXV, 4. dicitur, *Deum suis esse* צֵל מֵחֹרֶב, *umbram ab aestu.* Et supra IV, 6. promittitur piis *tugurium pro danda interdiu umbra ab aestu.* Poeta Arabicus in Anthologia *Hamasa* dicta, e qua excerpta dedit A. SCHULTENS ad calcem *Grammaticae Arabicae Erpenianae* a se editae 1748. 4. p. 425.

شَامِسٌ فِي ٱلْقُرِّ حَتَّى إِذَا مَا
ذَكَتِ ٱلشِّعْرَى فَبَرْدٌ وَظِلٌّ

Solis more fovens eram *dum frigus, at ardente Sirio tum vero frigus ipse et umbra.* Quod imaginis involucro proposuerat vates, statim absque metaphora exprimit: סַתְּרִי נִדָּחִים, *occulta propulsos,* exsules, extorres Judaeorum, XXVII, 13. נֹדֵד אַל־תְּגַלִּי *Vagantem* e sede sua expulsum, profugos *ne reveles,* noli prodere, quo sensu idem verbum Jerem. XLIX, 10. Prov. XI, 13. usurpatum.

4. יָגוּרוּ בָךְ *Commorentur in te* hospitaturi, XI, 6. XXXIII, 14., cf. Ruth I, 1. נִדָּחַי *Propulsi mei,* profugi, Vs. 3. Qui hoc Versu vatis verba de profugis Judaeis loquentis contineri existimant, Pronomen additum vel ad prophetam, vel ad Deum, cujus ille verba profert, referunt. Priori sensu *exules prophetae* erunt qui ex ejus populo, posteriori, *exules Dei,* fortius profugi illi commendantur,

dum

dum dicitur, ipſum Deum ipſis favere, curamque eorum gerere ſingularem. Verum ſenſus multo concinnior erit, ſi ut principis Moabitici Judaeam miſſi verba haec capiamus, qui de ſuis popularibus patria expulſis loquitur. Quae ſequuntur, מוֹאָב הֱוִי־סֵתֶר לָמוֹ מִפְּנֵי שׁוֹדֵד, accentu distinctivo *Sakeph-katon* nomini נִדָּחַי impoſito ab iis quae praecedunt diremta, ita ſunt vertenda: *o Moab, eſto eis latibulum ab hoſte vaſtante,* XXXIII, 1. Sed Graecus Alexandrinus reddidit *οἱ Φυγάδες* Μωὰβ, Chaldaeus מְטַלְטְלֵי מַלְכוּת מוֹאָב *deportati regni Moab,* Syrus: ܡܒܕܪ̈ܝܢ ܕܡܘܐܒ *diſperſi Moabi.* Quos cunctos נִדָּחֵי מוֹאָב legiſſe apparet, ſenſu ad rem perquam apto. Neque tamen, vere monente Geſenio, neceſſe eſt, ut ad eum ſenſum obtinendum puncta vocalia recepta mutemus; ſufficit accentum distinctivum ad מוֹאָב transferre, ut ſit ita vertendum: *commorentur in te expulſi mei* ſcil. *Moabi,* Pronomine primae perſonae redundante, ut ſaepius tertiae perſonae Pronomen *πλεονάζει,* ut Exod. II, 6. וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד *et videbat eum, puerum,* Job. XXIX, 3. בְּהִלּוֹ נֵרוֹ *dum lucebat ea, lucerna ejus;* vid. et infra XVII, 6. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 734. Addit ad perſuadendum ut profugos Moabitas Judaei apud ſe recipiant, haud dici illos apud eos commoraturos eſſe, neque enim perennem futuram eſſe Moabitidis cladem, ſed fore ut reſtauretur: כִּי־אָפֵס *nam deſinet,* Pſ. LXXVII, 9. Praeteritum propheticum, ut ſupra V, 13. IX, 2. הַמֵּץ *Oppreſſio,* ſive *oppreſſor;* verbum מוּץ eſt *exprimere,* cf. Prov. XXX, 33. notat igitur proprie *emunctorem.* Chaldaeus recte מְעִיקָא, *hoſtis,* vertit. כָּלָה שֹׁד *Finem habebit vaſtatio,* XXII, 4. תַּמּוּ *Conſumentur,* abſumentur, ut Deut. II, 16. Pſ. IX, 7. רֹמֵס *Conculcatores,* hoſtes violenti et feroces. מִן־הָאָרֶץ *E terra* Judaica, eam enim intelligendam eſſe ſuadet Verſus proximus.

5. Illud humanitatis officium ſi Judaei Moabitis praeſtiterint, bene ipſis cedet. וְהוּכַן בַּחֶסֶד כִּסֵּא. *Firmabitur, ſtabilietur, per clementiam thronus* ſcil. *regis Iſraelis,* uti explicat Chaldaeus. Cf. 1 Reg. II, 45. וְכִסֵּא יִהְיֶה נָכוֹן לִפְנֵי יְהוָה:

יְהוָה עַד־עוֹלָם *Davidis thronus ſtabilitus erit coram Jova perpetuo.* De בְּחֶסֶד dubium eſt, ſitne de *gratia et benignitate divina*, per quam conſtituendus ſit thronus intelligendum, cui ſententiae favent loca 2 Sam. VII, 15. Jeſ. LV, 3. Pſ. LXXXIX, 34.; an vero de gratia, clementia, beneficentia regis, qui huic throno ſit inſeſſurum? Atque hanc quidem ſententiam commendat locus huic plane ſimilis Prov. XX, 25. חֶסֶד וֶאֱמֶת, *clementia et fides conſervant regem, et clementia fulcitur thronus* ejus. Accedit, quod חֶסֶד hic abſolute uſurpatum referri commode non poteſt niſi ad perſonam, de qua agitur. Si de gratia et clementia Dei eſſet ſermo, vates haud dubie ſcripſiſſet בְּחֶסֶד יְהוָה ſive בְּחֶסֶד אֱלֹהִים. Et quemadmodum *fides* et *juſtitia*, quae noſtro Verſu *clementiae* junguntur, ad regem pertinent, ita ad eundem חֶסֶד erit referendum. Ad noſtrum locum illuſtrandum facit Pſ. LXXXIX, 15., ubi virtutes Dei regis eaedem recenſentur: *Juſtitia et judicium eſt ſtatumen throni tui,* חֶסֶד וֶאֱמֶת, *clementia et veritas ante faciem tuam procedunt.* Cf. Jerem. IX, 24. Similiter Seneca *Epiſt.* XC. deſcribens regem ſapientem aurei ſeculi: *Horum* (regum) *prudentiae ne quid deeſſet, ſuis providebat; fortitudo arcebat pericula, beneficentia* (חֶסֶד) *augebat ornabatque ſubjectos.* וְיָשַׁב עָלָיו בֶּאֱמֶת *Et ſedebit ſuper eo* throno *in veritate, ſ. fide.* Significat integritatem animi, et ſtudium veri, quod manifeſtum faciet tam in conſtante cultu purae atque intaminatae religionis, quam in dictis factisque omnibus, ac promiſſorum factorum fide. Eo ſenſu אֱמֶת tribuitur Hiskiae 2 Reg. XX, 3. 2 Chron. XXXI, 20. בְּאֹהֶל דָּוִד *In tentorio Davidis*; i. e. arce Davidica, exſtructa in occidua parte eaque altiſſima montis Zionis, ubi erat palatium, a Davide ſibi et ſucceſſoribus paratum, de quo ipſe Pſ. CXXXII, 3. אִם־אָבֹא בְּאֹהֶל בֵּיתִי, *ſi ingrediar tentorium domus meae.* Nec aliter ſumitur apud Amoſum IX, 11., ubi loquitur de *inſtauratione* סֻכַּת דָּוִיד הַנֹּפֶלֶת, *tentorii Davidis collapſi.* Significat ſtabilitatem regni Davidici, cujus propria ſedes erat palatium Zioneum. Alia illius regis

virtus

virtus additur: *justitia*, et in jure non dicundo tantum, sed et exsequendo promtitudo. שׁפט *Judex* sedebit in throno; jus dicet pro tribunali, quod est pars officii regii, juxta illud 1 Sam. VIII, 5. *Jam igitur praefice nobis* מֶלֶךְ לְשָׁפְטֵנוּ *regem ad nos judicandos*. Et sic vere tulit mos antiquus gentium. Plus est, quod additur: דּוֹרֵשׁ מִשְׁפָּט *quaerens*, s. *persequens judicium*, quo significatur, regem in jure dicundo obviis, qui se ipsi offerunt, non acquiescere, neque si id agat, existimare, se officio rite esse persunctum, sed accuratissime indagare, an qui sint in regno afflicti et egeni, ut jus iis procuret, eosque ab oppressione vindicet. Requiritur praeterea promtitudo in exsequendis sententiis, quam propheta expressit phrasi מְהִר צֶדֶק, *festinus justitiae*, non lentus vel tardus magis in jure exsequendo, quam dicundo.

6. Denegant Judaei Moabitis quod apud eos quaerunt refugium, quod eorum erga se insolentiam et acerbum odium, quod experti norint. שָׁמַעְנוּ *Audivimus*, nos Judaei. Sive, uti vult Schnurrerus (loco ad Vs. 3. laudat. p. 9.), praemittenda est cogitatione formula: יִהְיוּ אֹמְרִים, multi *erunt qui dicent*, seu, *multorum audientur hae voces: audivimus* rel., quo observato שָׁמַעְנוּ idem est ac יִשָּׁמַע. Nos tamen simplicius arbitramur, chorum populi Judaici induci, sub quo latet vaticinans propheta, quasi dicat: non est, cur eorum votis annuamus, novimus enim גְּאוֹן־מוֹאָב, *fastum Moabi*, גֵּא מְאֹד qui *elatus* est, s. *elati valde*, גֵּא pro גֵּאֶה, II, 12., quod ipsum et in parallelo Jeremiae loco XLVIII, 29. exstat. גַּאֲוָתוֹ וּגְאוֹנוֹ וְעֶבְרָתוֹ *Arrogantiam*, inquam, *ejus*, *et fastum ejus*, *et furorem ejus*, acerbum odium, quo nos insectantur. לֹא־כֵן בַּדָּיו *Non-rectum*, futile, *vaniloquorum ejus*, Moabi. כֵּן hic usum habet nominis, quocum coalescit לֹא, ad significandum quod a re prorsus diversum eique oppositum est, veluti לֹא־טוֹב, *non-bonum*, i. e. pessimum, Ezech. XX, 25., לֹא־אֵל, *non-Deus*, nihil minus, quam Deus, in quo nil est divini, Jerem. V, 7. Cf. N. G. Schroederi *Syntax*. Reg. XCIV. b. γ. Ita et hic

לֹא־כֵן

לֹא־כֵן, *non-rectum*, erit vanum, inane. בַּדִּים *Mendaces*, vaniloqui, alta sonantes cum jactantia. Infra XLIV, 25. בַּדִּים junguntur τοῖς קֹסְמִים, *divinatoribus*. Cf. Jerem. L, 36. In parallelo Jeremiae loco est: בַּדָּיו לֹא־כֵן עָשׂוּ, *vaniloqui ejus non-rectum faciunt*. Significantur ψευδολογήματα, falsiloquia hariolorum.

7. לָכֵן *Propterea*, spe refugii apud Judaeos inveniendi ademta, יְיֵלִיל מוֹאָב לְמוֹאָב *ejulabit Moab super Moabo*. Alii ל vertunt *ad*, ut Hieronymus: *ululabit Moab ad Moab*, „id est," addit in Commentario, „populus ad urbem, vel metropolis ad provinciam." Sed praestat, ל *super*, *de*, vertere, ut argumentum lamenti indicet, ut mox ante אֲשִׁישֵׁי. Sensus est, Moabitas unum alterius calamitatem deploraturos, unum de alterius infortunio questurum, quemque suam defleturum sortem, omnes mutuam et communem. כֻּלֹּה יְיֵלִיל *Universum ejus ululabit*, „cuncta ululatibus terra resonabit," ut Hieronymus explicat. Cf. supra XV, 3. In exponendo altero hujus Versus hemistichio, לַאֲשִׁישֵׁי קִיר־חֲרֶשֶׂת תֶּהְגּוּ אַךְ־נְכָאִים, interpretes admodum variant. LXX: Τοῖς κατοικοῦσι Δεσὲθ (seu, ut alii legunt, δὲ Σὲθ) μελετήσεις, καὶ οὐκ ἐντραπήσῃ. Videntur pro לַאֲשִׁישֵׁי legisse לְיוֹשְׁבֵי, et pro קִיר־חֲרֶשֶׂת legisse tantum ultimam vocis illius syllabam שת, omissis reliquis. Arabicus in Polyglottis interpres, qui alias Graeci interpretis verba accurate exprimit, hoc loco cum eo non satis convenit; habet enim: وَلِسُكَّانِ حَادَاشَاتْ بَرْسٌ, *et incolis Hadaschath contritio*. Symmachus: τοῖς εὐφραινομένοις ἐν τῷ τείχει τῷ ὀστρακίνῳ φθέγξασθε. Quod sequutus Hieronymus: *his qui laetantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas*. Vocem אֲשִׁישֵׁי Symmachus ad שׂוּשׂ, *laetari*, videtur retulisse, et nomen proprium קִיר־חֲרֶשֶׂת convertit in appellativum, nam קִיר *murum* significat, חֶרֶשׂ vero *testam*, seu *coctum laterem*. Syrus: ܥܠ ܐܫ̈ܬܐ ܕܚܘܪܐ ܡܬܠܗܝܢ ܢܗܘܘܢ.

ܠܫܘܬܣܐ ܐܡܪ ܒܝܘܢ [Syriac, partly illegible] *ſuper fundamenta muri deſtructa gemetis ſicut aegroti.* Nomen אֲשִׁישִׁים interpres ſignificatione non differre exiſtimavit ab אָשְׁיוֹת, Jerem. L, 15., quod convenit cum Aramaeo אֻשַּׁיָּא, *fundamenta* (Eſr. IV, 12. V, 16.), quae Arabibus أَسَاسٌ dicuntur. Idem placuit Jarchio et Kimchio, et plerisque e Chriſtianis interpretibus, qui ſenſum fere hunc faciunt: *propter fundamenta* urbis *Kir-Chareſeth gemetis, utique* ſunt *percuſſa*, deſtructa. Sed quum נְכָאִים *fundamentis* non ſatis conveniat; quae potius *everſa, diruta* dicuntur; hoc Adjectivum ad Moabitas referendum, qui *percuſſi* ſcil. רוּחַ *quoad ſpiritum*, ut infra LXVI, 2. Prov. XV, 13. XVII, 22. XVIII, 14., i. e. triſtes, afflicti, dicuntur, *ob fundamenta*, i. e. aedificia diruta, quorum tantummodo fundamenta reliqua ſunt, quomodo מוֹסָדִים infra LVIII, 12. uſurpatur. נְכָאִים Saadias recte وهم مكتائبين *et illi ſunt lugentes* reddidit, probante Geſenio. Quum Hoſ. III, 1. אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים ab interpretibus haud paucis *lagenae uvarum* vertantur, et *lagenarum* ſignificationem tribuant quoque nomini femineo אֲשִׁישָׁה, 2 Sam. VI, 19. Cant. II, 5. obvio; ſunt, qui noſtra verba vertant: *ſuper lagenis Kir-Hareſeth lamentabimini, concuſſae ſunt;* cui ſententiae favere putant, quod in iis quae proxime ſequuntur de vinis vitiferisque locis eſt ſermo. Hinc et Saadias h. l. بقناني الخمر *ob lagenas* vini vertit. Sed *lagenarum* ſignificationem, nomini אֲשִׁישִׁים et אֲשִׁישׁוֹת adſcriptam, commentitiam eſſe, recte plures monuerunt, v. c. Michaelis in *Supplemm.* p. 141., qui noſtro loco *fundamenta* intelligi putat. Nos olim אֲשִׁישִׁים *fortes* interpretati ſumus, rati inde eſſe infra XLVI, 8. verbum הִתְאֹשָׁשׁוּ, *fortes* et firmos *vos praeſtate*, collato Chaldaico נִתְאֲשַׁשׁ, *corroboratus, confirmatus fuit*, et Arabico أَشٌّ, *agilis, promptus,*

lubens-

lubensque fuit, exſultavit, et أَشَاشٌ, *agilitas, lubentia.* Vel أَثَّ *multus fuit, multa et laeta provenit herba*; II. *ſubjecit ſibi*; V. *facultatibus ditatus fuit*; unde أَثِيثٌ, *multus, magnus, luxurians fuit.* Unde verba noſtra ſic vertimus: *ſuper fortibus Kir-Hareſeth lamentabimini, omnino percuſſi ſunt.* Favet quidem huic interpretationi tam parallelus Jeremiae locus XLVIII, 31., quo pro noſtris verbis haec leguntur: אֶל־אַנְשֵׁי קִיר־חֶרֶשׂ יֶהְגֶּה *ad viros*, ſive *ſuper* (אֶל pro עַל poſito) *viris Kir-Heres gemebit* Moabus; quam Chaldaeus interpres, qui hebraea h. l. ſic reddidit: וּמְיַלְלִין עַל אֱנָשׁ כְּרַךְ תּוּקְפְּהוֹן הָדֵין יֵמְרוּן בְּרַם בְּבִישִׁין *et ululantes ſuper viris civitates fortitudinis eorum moërentes dicent: ſubjecti utique ſunt.* Nunc tamen veriſimilior nobis illa quam Syrus praeivit interpretatio,* quam ſupra attulimus et *illuſtravimus*. Jeremias noſtrum locum ex ſuo ſenſu videtur immutaſſe, quem Chaldaeus ſequutus fuerit. תֶּהְגּוּ Hebraei recte exponunt תְּקוֹנְנוּ, *lamentabimini, gemetis*, ut infra XXXVIII, 14. אֶהְגֶּה כַּיּוֹנָה, *gemo ut columba.* קִיר־חֲרֶשֶׂת non eſt dubium, quin ſit illa ipſa urbs *Kir-Moab* ſupra XV, 1. memorata, et eodem, quo hic, nomine deſignata 2 Reg. III, 25., quae mox Vs. 11. et apud Jeremiam קִיר חֶרֶשׂ appellatur. אַךְ *Valde, plurimum, plane,* ut Deut. XVI, 15. Jerem. XXXII, 20. Job. XIX, 3. נְכָאִים *Percuſſi, necati ſunt*, Job. XXX, 5.

8. כִּי שַׁדְמוֹת חֶשְׁבּוֹן אֻמְלַל *Nam arva Hesbonis languidiſſimum*; אֻמְלַל neutraliter ſumendum, ut Pſ. CXIX, 137. יָשָׁר מִשְׁפָּטֶיךָ *rectum* quid *judicia tua.* Cf. ſupra ad שָׁפֵל, II, 11. p. 81. Inutilis igitur Michaelis conjectura, pro אמלל legentis אֲמַלֵּל, *loquar* (a מָלַל), ut ſit: *canam arva Hesbonis.* שְׁדֵמוֹת hic eſt ſumendum de *arvis vitiferis*, ut ſuadet contextus et membrorum parallelismus, qui idem eſt Deuter. XXXII, 32. De חֶשְׁבּוֹן vid. ſupra XV, 4. גֶּפֶן שִׂבְמָה *Vites* quod attinet *Sibmae*, urbis in ſorte Rubenitarum ſitae haud

procul

procul urbibus Nebo et Baal-Maon, quibus jungitur Num. XXXII, 38., et Jos. XIII, 19. urbi Tserethae Hasschachar, quae fuisse dicitur בְּהַר הָעֵמֶק, *in montano vallis*, illius scilicet, in qua sepultus Moses, quae montanis Nebo et Abarim, sive Pisga, subjecta, insignita fuit, haud dubie in apricis collibus ad pedem montani *Abarim*, ut recte videtur conjecisse Masius. Vineta in illa regione et nostra aetate vidit Seetzen, cf. *Monatl. Correspondenz*, T. XVIII. p. 428. et libr. nostr. *bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 40. Verba בַּעֲלֵי גוֹיִם הָלְמוּ שְׂרוּקֶּיהָ duplici modo accipi possunt, vel, *domini gentium*, i. e. hostes, *contuderunt generosos palmites ejus*, vel, *generosae vites dominos gentium contuderunt*, h. e. inebriarunt; cf. infra XXVIII, 1., ubi *inebriati* הֲלוּמֵי יָיִן, *contusi vino*, vocantur, et similiter Gratius, ubi de vino Mareotico canit *Cyneget.* Vs. 312. *Pharios quae fregit noxia reges.* Posterior sensus probatus Vitringae et Lowtho. *Nobis totius carminis contextui et consilio aptius* videtur, haec verba priore modo intelligere: *hostes vineas generosissimis vitibus consitas vastarunt.* Verbo הָלַם *nutandi* significationem inesse, multis probare studuit Michaelis in *Supplemm.* p. 540. ex Arabico هَلَمَ, *flaccus*. Hinc locum nostrum vertit: *cujus palmites dominos gentium nutare fecerunt.* Sed *contundendi* significationem tuentur tam veteres interpretes, in plerisque, ubi illud verbum occurrit, locis, quam membrorum parallelismus, Jud. V, 22. 26. et Proverb. XXIII, 35., quibus locis semper jungitur cum alio verbo, *contundere* significante. שׂוֹרֵק esse *vitem generosam*, ostendimus ad Genes. XLIX, 11. עַד־יַעְזֵר נָגָעוּ *Ad Jaezer usque pertigerunt.* Jaezer urbs in extremo Gileatidis sita, ad ortum aquilonarem Hesbuntis, a qua quindecim millibus passuum abfuisse scribunt Eusebius et Hieronymus. Reliquias hujus urbis, ab Arabibus hodie *Szyr*, صير, appellatae aliquot horarum spatio ad austro-occidentem veteris Rabbae Ammonitarum, viderunt Seetzen et Burckhardt, vid. *Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 272. Hujusque igitur propagines

gines vitis Sibmae se extendisse, tam foecundam fuisse et laetam propaginibus plantam vates dicit. תָּעוּ מִדְבָּר positum pro תָּעוּ לְמִדְבָּר sive תָּעוּ בְּמִדְבָּר, *pererrant desertum.* Per *desertum* hic intelligitur *desertum Arabiae*, quod circumdabat Moabitidem, appellaturque eo nomine omnis terra, quae Moabitidi et Arnoni et ad Ortum et Austrum, ut clarissime liquet ex Num. XXI, 13. *Et castrametati sunt* (Israelitae) *in terra trans Arnonem, qui locus est* בְּמִדְבָּר *in deserto.* Sed strictius, terra montanae regioni *Abarim*, in longum protensae a Septentrione ad Austrum, subjecta, ut Vs. 11. *tumuli*, sive *colliculi Abarim, in deserto, quod est e regione Moabi ad Ortum solis.* שְׁלֻחוֹתֶיהָ נִטְּשׁוּ *Propagines ejus diffusae sunt.* נִטְּשׁוּ non esse vertendum: *derelicti* aut *evulsi sunt*, sed, *diffusi sunt*, unde apud nostrum infra XVIII, 5. נְטִישׁוֹת, *propagines, stolones*, res ipsa docet. Vitis est, ita disseminari et diffundi, ut palmites et stolones (שְׁלֻחוֹת) per intervalla in terram missi, novas identidem praestent arbores, plures iterum daturas palmites, quod hic verbo נָטַשׁ indicatur. עָבְרוּ יָם *Transiverunt mare*, i. e. lacum prope urbem Jaezer, uti intelligitur e loco parallelo Jeremiae XLVIII, 32.: *deflebo te, o vitis Sibmae, propagines tuae* (נְטִישׁוֹתַיִךְ) *transierunt mare; mare Jaezeris pertigerunt.* Tam laetae palmitum Sibmaeorum fuerunt propagines, ut prorepserint ad *lacum Jaezeris* ipsumque *transierint*, i. e. ripas ejus replentes, partem ejus obumbraverint, veluti illum transiturae. Sed quum in illa regione lacus nullus existat, videtur piscina aliqua major per יָם significari. Piscinas aliquot haud longe ab urbis Jaëser ruinis vidit Seetzen; vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 190. Gesenius *mare mortuum* intelligi existimat, quod palmites Sibmaeae transiisse per hyperbolen dicatur. Interpretum haud pauci haec allegorice capienda putant, et sub *vinea Sibmae* proponi gentem Moabiticam totam, per *generosas palmites* autem designari optimates, per *propagines* juvenes florentis aetatis, et quae alia. Ita Chaldaeus, qui hunc Versum ita exponit: *Nam direpta sunt castra Hesbon, interfecta*

terfecta est turba Sibmae; reges populorum occiderunt dominatores eorum; usque ad Jazer pervenerunt; erraverunt in solitudine; profugi eorum transfretaverunt; transierunt mare. Eadem plane a magistro suo Hebraeo edoctus Hieronymus, ad verba *vineae Sabama* notat: „per metaphoram vineae omnis provinciae significat vastitatem." Et ad verba: *Domini gentium exciderunt flagella ejus* [i. e. vitium minorum sarmentorum capita, cf. Virgilii *Georg.* II, 299.] haec: „Servat translationem, quam ceperat, ostendens reges gentium, qui vastaverant Moab, omnes viculos castellaque depopulatos. Flagella et propagines populum fugitivosque ejus intellige, et transitum maris captivitatem in Babylonem." Sed quae sequuntur Vs. 9. clarissime docent, de *vite* et *vinetis* agi, aeque ac de *pascuis* supra XV, 6. Imo quod hic comparatio instituitur inter Jaëzer et Sibmam, et palmites dicuntur se diffudisse ad lacum Jaezeris, eumque obumbrasse, quod frigide dicitur de optimatibus juvenibusque Moabiticis, arguit, haec omnino *κατὰ τὸ γράμμα* accipienda esse.

9. עַל־כֵּן אֶבְכֶּה בִּבְכִי יַעְזֵר גֶּפֶן שִׂבְמָה *Propterea fleo fletu Jaezeris vitem Sibmae*, i. e. pari fletu, quo deploravi Jaezerem, etiam Sibmam defleo. Similiter Jeremias, XLVIII, 32. מִבְּכִי, *prae fletu Jaezeris te defleo, o vinea Sibmae.* Alii: *fleo cum fletu Jaezeris* (cum fletu) *vitis Sibmae,* h. e. lacrymas meas misceo lacrymis civium Jaezeris et Sibmae, ob vastationem, quae agris et vineis eorum accidit: sic Kimchi, qui בִּבְכִי ante שִׂבְמָה vult repeti. אֲרַיָּוֶךְ דִּמְעָתִי חֶשְׁבּוֹן וְאֶלְעָלֵה *Irroro te lacrymis meis, o Hesbon et Eleale!* אֲרַיָּוֶךְ Futurum Piel pro אֲרַוֶּיךָ, media radicalis ו in י commutata, et tertia ה in ו, praeter morem, Camez autem est propter accentum in penultima. Eleganter verbo רָוָה, *irrigavit* (Ps. XXXVI, 9.) utitur ad exprimendum copiosum lacrymarum fluxum. כִּי עַל־קֵיצֵךְ וְעַל־קְצִירֵךְ הֵידָד נָפָל *Quia super aestivos tuos fructus et messem tuam celeusma irruit.* הֵידָד proprie de quovis *sono graviori* et

inor-

inordinato dictum videtur, ut Arabum هدّ, quod maxime de *sono maris audito in littore* ponitur, inde هدّان, ut هدّة, *tonitru*. Hinc Hebraei suum הֵידָד usurpant partim de *jubilatione vindemiantium et uvas calcantium*, ut Versu seq., Jerem. XLVIII, 33. XXX, 30.; partim de *clamoribus militum*, se ad proelium aut praedam excitantium, qua significatione verbum sumendum est Jerem. L, 14., et hoc nostro loco. Pro laetis in torculari canticis terrificus audietur barritus hostium. Sensum bene exposuit VITRINGA: „Quo tempore exspectaveras futurum esse, ut vindemiatores tui pro more laetis acclamationibus collecturi essent optatos fructus lectissimarum vitium; res longe aliter cecidit. Venerunt enim eo ipso tempore hostes, qui *diripientes* et conculcantes speratos praestantissimi generis fructus, aliud tibi longe accinuerunt הֵידָד, alterius longe exclamationis genus. Ergo *hedad* irruit in *aestivos fructus* tuos, *messemque* tuam, idem est, ac si dixisset, irruisse hostes direptores, omnia conculcaturos, vastaturos." Confirmatur haec interpretatio Jeremiae loco parallelo, Cap. XLVIII, 32., qui vatis nostri verba plenius enunciat ita: *quia super fructus tuos aestivos messemque tuam* שֹׁדֵד נָפָל *vastator irruit.* Noster vero magis poetice; quare nulla est causa, cur locum nostrum ex Jeremiae loco mutemus, uti fecerunt Lowthus et Dathius. Ceterum bene observat Vitringa, vocem קָצִיר hic proprie accipiendam esse de *messe autumnali*, quae praecipue constabat collectione fructuum *oleae* et *vitis*, qui fructus dicebantur קַיִץ, *aestivi*, quod inciderent in *finem* (קֵץ) *anni civilis*, cujus initium Hebraeis ab autumno; hinc Coccejus recte עַל־קֵיצֵךְ vertit: *super autumnitatem tuam.* Pro קָצִיר Jeremias posuit בָּצִיר, *vindemia*, quod nostro quoque loco ponendum censuerunt Lowthus et Dathius; sine necessitate, ut vidimus.

10. וְנֶאֱסַף שִׂמְחָה וָגִיל מִן־הַכַּרְמֶל *Colligetur*, i. e. auferetur, *laetitia et gaudium a Carmele.* Verbum נֶאֱסַף,

colligetur, vates fortasse ideo elegit, ut ad colligendos et auferendos fructus in *messe* respiceret. כַּרְמֶל nomen esse montis in Galilaea, notum, sed hic quemvis montem cultum significat. Hieronymus: „Idioma Scripturarum est, quod semper Carmelum montem opimum atque nemorosum, qui Ptolemaidi imminet, et in quo oravit Elias, fertilitati et abundantiae comparet; ac per hoc significat, omnem laetitiam et fertilitatem de uberrimis quondam urbibus auferendam.“ Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. XLVIII. T. I. p. 607. seq. ed. Lips. בַּכְּרָמִים לֹא יְרֻנָּן *In vineis non jubilabitur*, Pyal verbi רֻנַּן, hoc solo loco obvium; Piel vid. Ps. LXXXIX, 13. לֹא יְרֹעָע *Non clangebitur*, itidem Pyal, quod alias non legitur; cf. Hithpael Ps. LX, 10. Non jam amplius in Moabitide auditur cantus, ille festivus et rusticus plausus, qui edi ab agricolis in messe et vindemia solet. יַיִן בַּיְקָבִים לֹא־יִדְרֹךְ הַדֹּרֵךְ *In lacubus torcularibus non calcabit vinum calcans.* Neque enim qui in patria sua solitus erat calcare torcular, jam amplius calcabit traductus in alienam. Cf. Jerem. XLVIII, 33. De יֶקֶב vid. ad V, 2. הֵידָד הִשְׁבַּתִּי *Clamorem*, κέλευσμα (vid. ad Vs. 9.) calcantium, *quiescere faciam*, cessabit, ut XXI, 2.

11. עַל־כֵּן מֵעַי לְמוֹאָב כַּכִּנּוֹר יֶהֱמוּ *Propterea*, propter tot imminentia mala, *viscera mea Moabi caussa tanquam cithara perstrepunt.* Sonabunt, inquit, viscera mea singultu, quem edent tacta dolore ex Moabitarum calamitate concepto, sicut suos sonos edit cithara a plectro pulsata. Hyperbole, qua doloris exprimitur gravitas sensusque ejus acerbitas. Intestinorum commotio et strepitus Hebraeis quosvis animi motus vehementiores, tam laetos quam tristes indicat. Sic Job. XXX, 27. *Viscera mea* רֻתְּחוּ, *ebullivetunt, et non quiescunt.* Jerem. IV, 19. *Viscera mea! viscera mea! cor meum* הוֹמֶה־לִּי *in me edit strepitum.* Cf. Thren. I, 20. II, 11., et infra LXIII, 15. Tantam igitur significat fore Moabitidis cladem, ut digna futura sit, cujus caussa omnes commoveantur, etiam hostes. Nisi quod vates de se

dicit

dicit, sumendum sit tanquam figurate dictum, per modum προσποιήσεως ὑποθετικῆς, *simulatae substitutionis*, et vere intelligendum de Moabitis, ut prophetae saepius faciunt id, quod alios facturos esse praenunciant, vid. e. c. infra XX, 2. Hinc est, quod Chaldaeus nostra verba ita exposuit: *Propterea viscera Moabitarum tanquam cithara sonabunt.* Sed cf. supra XV, 5. וְקִרְבִּי *Et interius meum*, intestina mea scil. strepent. Cf. Pf. CIII, 1. Chaldaeus sensui a se adscito convenienter *corda eorum*, Moabitarum, vertit. לְקִיר חָרֶשׂ *Propter Kir-Heres*, Vs. 7., cf. XV, 1.

12. וְהָיָה כִי־נִרְאָה כִּי־נִלְאָה מוֹאָב עַל־הַבָּמָה וּבָא אֶל־מִקְדָּשׁוֹ לְהִתְפַּלֵּל וְלֹא יוּכָל *Et erit cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, et non valebit.* Ita hunc Versum haud male reddit Hieronymus, et in Commentario sic enarrat: „Ultima miseria est, nec in his, quos semper venerata est, habere subsidium. Deserta, inquit, viribus tuis, et cunctis propugnatoribus interfectis, perges ad idola, delubra veneraberis, et nec in illis reperies auxilium, quibus vastitas tecum communis adveniet.“ וְהָיָה כִי־נִרְאָה כִּי־נִלְאָה מוֹאָב עַל־הַבָּמָה *Et fiet, postquam conspectus fuerit*, h. e. conspiciendum se praebuerit *Moab*, *et se delassaverit apud aras*, ut se conferat ad Sanctuarium etc. Hic est orationis nexus, neque igitur est causa, cur Seckero auctore verba כִּי־נִרְאָה expungamus, quae et linguae Hebraicae genio optime conveniunt, et ab interpretibus vett. exprimuntur. In verbis נִרְאָה et נִלְאָה esse paronomasiam in similitudine liquidarum ר et ל sitam, qualis paronomasia et Mich. I, 13. רֶכֶשׁ inter et לָכִישׁ, vere animadvertit Gesenius. נִרְאָה *Conspicitur*, i. e. apparet scil. coram diis suis, ut idem verbum et de Jovae cultu adhibetur; vid. not. ad I, 12. נִלְאָה vero, *fatigat se*, ad molestas ceremonias in cultu idolorum spectat (vid. e. c. 1 Reg. XVIII, 26. seqq.), quae Hebraeis irrisioni erant, quum nihil profuerint. בָּמָה, quod in genere *excelsum* et *elatum* quid significat, peculiari quo-

 dam

dam ſenſu uſurpatur de *ara in ſublime* exſtructa, quae non niſi per gradus conſcendi poterat, ut 2 Chron. XXVIII, 25. Jerem. XXXII, 35. Conſtat enim, veteres ſtruxiſſe aras diis ſuis perinde altas, ac latas amplasque, et fere ſupra fidem. Sic Diodorus Siculus *Biblioth.* L. XVI. p. 553. Syracuſis narrat ab Hierone rege ſtructam fuiſſe *aram per ſtadii longitudinem excurrentem,* τὸ δ' ὕψος καὶ πλάτος ἔχουσαν τούτῳ κατὰ λόγον, *latitudinis autem et altitudinis huic longitudini congruentis.* Et Graecam vocem βωμὸς, ſono haud multum diverſam a בָּמָה, ſignificare *aram celſam* et *ſublimen*, quae gradibus conſcendatur, inde patet, quod ipſa haec vox βωμὸς ferat ſignificationem βαθμοῦ, ἀναβαθμοῦ, *gradus, adſcenſus,* Heſychio docente. Hanc ararum altitudinem reſpexiſſe videtur, Vitringa obſervante, vates, dum ait, Moabitas *ſe conſpiciendos daturos ſuper aris;* conſcenſis non absque labore altaris gradibus. וּבָא אֶל־מִקְדָּשׁוֹ לְהִתְפַּלֵּל *Et ingredietur* Moabita *Sanctuarium ſuum ad orandam.* מִקְדָּשׁ hic eſt *fanum, adytum,* in quo Moabitarum idolum, Camoſch, erectum fuit, quod opis indigi ad ſupplicandum adibant. Nomen hoc alias quoque de *fanis* et *ſacratiis* falſorum Deorum dicitur, veluti Amos VII, 9. 13. Recte itaque hic Chaldaeus vertit בֵּית טַעֲוָתֵיהּ, *domum idoli ſui.* Quoniam Ephraem Syrus pro noſtro מִקְדָּשׁוֹ poſuit ܠܗܝܟܠܐ ܕܐܘܪܫܠܡ, *ad templum Hieroſolymitanum;* Michaelis pro מִקְדָּשׁוֹ legendum putavit מִקְדָּשִׁי, *meum,* Jovae, *templum,* יוּכַל vero ſumit ea ſignificatione, qua Arabes ſuum وكل uſurpant, *confiſus eſt,* et pro לֹא legit לוֹ, ut ſenſus ſit: *Moabitas, poſtquam fruſtra ſe fatigaverint in excelſis ſuis, invocando idola ſua, optaturos eſſe, ut poſſent introire Sanctuarium Jovae, et in eo confidere.* Sed cur immutemus textum, et vocibus ſignificationes inſolentes tribuamus, ubi lectio recepta, et voces ſignificationibus conſuetis acceptae, bonum ſenſum dant? וְלֹא יוּכַל *Sed non poterit,* i. e. nihil obtinebit, nihil efficiet, fruſtra erit. Sic Pſ. XXI, 12. et ſupra Cap. VII, 1.

13.

13. וְזֶה הַדָּבָר אֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָה אֶל־מוֹאָב מֵאָז *Hoc est verbum illud, quod Jova loquutus est ad Moabum a tunc*, i. e. tempore aliquo superiore, olim, pridem, ut 2 Sam. XV, 34., infra XLIV, 8. XLV, 21., ubi significatione cum מִקֶּדֶם convenit. Ceterum cf. Argumentum supra p. 535. seq.

14. בְּשָׁלֹשׁ שָׁנִים כִּשְׁנֵי שָׂכִיר *Intra tres annos instar annorum mercenarii*, i. e. intra triennium praefixum et certum; certo mensium, dierum, horarum spatio accurate definitum. Mercenariis enim certum tempus praestituitur, neque ipsi patiuntur aliquid addi, neque qui conducit quicquam demi patitur. Eadem temporis definitio infra XXI, 16. Alii annos mercenarii sumi volunt pro annis laboriosis ac molestis, coll. Job. VII, 2. Quem ipsum locum in mente videtur habuisse Hieronymus, dum nostram phrasin sic exponit: „Sicut mercenarius solis exspectat occubitum, et diebus ac noctibus finem operis praestolatur, ut statutam mercedem accipiat." וְנִקְלָה *Vilescet*, Deut. XXV, 3. כְּבוֹד מוֹאָב *Gloria*, potentia *Moabi*, ut XVII, 4. כְּבוֹד יַעֲקֹב, *Jacobi gloria*. בְּכֹל הֶהָמוֹן הָרָב *Cum omni illa copia magna*, quod vel de hominum multitudine et strepitu, vel de *copia* rerum, vel de utraque simul intelligi potest. Cf. not. supra ad Cap. V, 13. 14. וּשְׁאָר *Residuum autem*, X, 19. מְעַט מִזְעָר Erit *perquam paucum*, X, 25. XXIV, 6. לֹא כַבִּיר *Non validum*, i. e. valde invalidum, infirmum, in quo nulla vis, nulla excellentia est; ut infra XXI, 7. Hieronymus: „Prophetia haec mortuo Achaz contra Moabitas dirigitur, regnante Ezechia, sub quo decem tribus a Sennacherib, rege Assyriorum, in captivitatem ductae sunt. Itaque post tres annos et Moab, Assyrio veniente, delebitur, et vix pauci relinquentur in terra, qui subrutas habitent civitates, et desertos agros exerceant. Potest et de Babylonica captivitate praedici, quod post captam Jerusalem, et transitum annorum trium Moab a Chaldaeis vastanda sit, sive quod in trium annorum spatio nulla eis danda sit requies. Ad Moabitidis vastationem. a Nebucadnezare vide-

simo

ſimo tertio regni anno illatam, de qua Joſephus X, 9. 7., haec referenda cenſet et SCHNURRERUS, in *Obſervatt.* p. 10. Triennii vero illius, quo peracto Moabitica gens frangenda erat atque ad nihilum redigenda, initium non eſſe ducendum arbitratur ab eo die, quo praenunciata ſunt verba, quae hic leguntur, ſed ab eo tempore, quo culpam contraxit Moabus, et poenae fecit locum. „Qui perſpicue," inquit Vir S. V., „et culpam praedixit vates, et conſtitutam culpae poenam, poterat jure ſuo exſpectare ab audientibus, ut, ipſo etiam non dicente, triennii ſpatium intelligerent ponendum eſſe culpam inter et poenam. Et hoc ſenſu potuiſſe verba haec etiam permultis ante annis pronunciari a propheta, quis ſit qui negaverit?" Nonne vero qui ſimpliciter quidquam intra certum tempus eventurum praedicit, conſtituti temporis initium ab eo ipſo, quo loquitur, momento ducere recte putetur? Nulli igitur dubitamus, Noſtrum, quae ab antiquo vate praedicta (מֵאָז Vs. 13.) hoc carmine repetiit, opinatum eſſe poſt exactos tres annos eventura, quemadmodum VII, 8. regni Iſraelitici interitum poſt LXV annos futurum praenunciavit; cf. ſupra p. 297.

CAP. XV, 1. *Oraculum in Moabitas. Sane qua nocte vaſtata eſt Ar Moabitarum excifus eſt populus! Sane qua nocte vaſtata eſt Kir Moabitarum, periit.*

2. *Adſcendunt Baitha et Dibon excelſa ad fletum. Super Nebone et Medeba plorat Moab; omnibus ejus capitibus raſis, detonſisque mentis.*

3. *Per ejus compita centonibus induti ſunt; ſuper tectis perque vicos ejulant omnes, lacrymis diffluentes.*

4. *Clamorem edit Hesbon et Elale, usque ad Jahazum auditur vox eorum, propterea quod armati Moabitae aegri animis vociferantur.*

5. *Cor meum propter Moabum clamat, cujus profugi ad Zoaram, Eglah tertiam* (vel: vitulam triennem)

per-

perveniunt: *nempe per Luchithae clivum plorando adscendunt; nempe per Choronaimorum iram calamitosus excitatur clamor.*

6. *Nam aquae Nimrimae perdita sunt, aruerunt gramina, deficit herba, olus non suppetit.*

7. *Ergo quas comparaverant copias et quaecunque ipsis curae sunt, ad Arabum torrentem deportant.*

8. *Nempe tantus obit Moabitidis fines clamor, ut ejus ululatus ad Eglaim, ut ejus ululatus ad puteum Elim audiatur.*

9. *Nempe Dimonis aqua sanguine repletur; adjiciam Dimoni incrementa, elapsis Moabitis terraeque reliquiis leones.*

CAP. XVI, 1. *Mittite agnos dominatoris terrae e Petra per solitudinem ad montem puellae Zionis.*

2. *Nam quasi vagae misso nido volucres, sic erunt Moabiticae puellae ad vada Arnonis.*

3. *„Adeste nobis consilio, praebete vos aequos, praestate umbrâ vestrâ quandam quasi noctem in ipso meridie; abscondite disjectos, ne prodite vagos.“*

4. *„Commorentur in te mei disjecti, Moabitae; esto eis contra grassatores latebra; nam desinent oppressores, peribunt grassatores, abolebuntur ex terra vastatores.“*

5. *„Firmabitur pietate solium, in quo in Davidis tabernaculo fideliter sedeat, qui judicet, jusque vestiget, et justitiam properet.“*

6. *Audivimus fastum Moabi, admodum elati, arrogantiam, insolentiam et furorem ejus, atque vaniloquorum ejus futiles sermones.*

7. *Itaque ejulabit Moabita ad Moabitam, universi ejulabunt; propter Kir-Charesethae fundamenta afflicti plangetis.*

8. *Nam Hesbonia arva languent, vitium Sibmensium palmites, qui desertum pererrantes ad Jaeser usque pertigere,*

tigere, domini gentium contuderunt. Illarum porrecti traduces mare transierant.

9. *Itaque Jaserensi ploratu Sibmensem deploro vineam. Irroro te lacrymis meis, o Hesbon et Elale, quoniam super aestivos tuos fructus messemque tuam celeusma irruit.*

10. *Sublatum est gaudium et laetitia ex agro culto, neque per vineas ovatur; non clamatur; vinum in torcularibus non calcat factor; celeusma cohibui.*

11. *Hanc ob rem viscera mea Moabi causa citharae modo perstrepunt, et praecordia mea propter Kir-Heres.*

12. *Ita fiet ut appareat fatigetque sese Moab ad aras, suumque ingressus sacrarium ad supplicandum nihil proficiat.*

13. *Hoc est quod Jova de Moabitis jam olim pronunciavit, et nunc ita pronunciat:*

14. *Intra tres annos instar annorum mercenarii gloria Moabi vilescet cum omni illa copia magna; residuum autem erit perquam exiguum et infirmum.*

V.

V.

Cap. XVII, 1—11.

ARGUMENTUM.

„Post Babylonem," inquit Hieronymus ad hujus Capitis initium, „et Philisthaeos et Moab, ad Damascum, id est, Aram [אֲרָם], sermo convertitur, quae et ipsa regalis quondam civitas fuit, et in omni Syria tenuit principatum: necdum florebant Antiochia et Laodicea, et Apamia, quas urbes post Alexandrum et Macedonum imperium auctas esse cognovimus. Quia igitur semper decem tribubus contra Judam praebebat auxilium, ut Regum et Paralipomenon narrat historia, etiam ipsis vastitatem ab Assyriis appropinquare significat." Assyriorum tamen nulla in hoc vaticinio facta mentio. Inscriptio (*Effatum in Damascum*) non totum prophetiae argumentum, sed priorem tantum ejus partem complectitur. Nam inde a Versu 4. regno Israelitico sive Ephraimitico denunciat futurum esse, ut totum evertatur, paucis solummodo reliquiis mansuris. Quae clades intellectum datura dicitur insipienti populo, eoque adductura, ut creatorem agnoscat et revereatur suum, et in eo potius, quam in nugacibus gentium exterarum simulacris spem vitae constituat (Vs. 7—11.). Cur utrique regno, Damasceno et Israelitico, uno eodemque vaticinio interitum vates praenunciaverit, veram rationem haud dubium est quin indicaverit Hieronymus. Regnum Damasceno-Syriacum, Ephraimitarum fines a septentrione proxime contingens, regni Salomonici initiis conditum fuisse a Rezone aliquo,

aliquo, qui quum defecisset ab Hadadezere, Syriae Zobeae rege, factionis princeps, manu promtus, cum turba hominum Damascum occupavit, et ibidem fundavit regnum, cognoscitur ex 1 Reg. XI, 23. 24. Illud vero procedente tempore valde confirmatum, opibusque et robore militiae adauctum, admodum infestum fuit regno Israelitico, seu decem tribuum. Bellum illi erat cum hoc fere continuum a temporibus Benhadadi, nepotis Rezonis ab Asa rege incitati (1 Reg. XV, 18.), sive aemulatio inter hos populos, viribus fere pares, sive ambitio Damascenorum, producendis regni sui finibus intentorum, sive lites veteres, numquam bona fide sopitae, huic igni identidem novam subjecerint materiam. Longum erat, ut adscribitur in historia, si pax per triennium duraret, 1 Reg. XXII, 1. Quin ne Judaeis quidem, paulo longius remotis, a regibus Syro-Damascenis pax fuit. Sic idem ille Hazael, qui Ephraimitas tantopere pressit, Joasum, *Achaziae filium, bello petiit, et spoliavit, non exigua regno inflicta clade, 2 Reg. XII, 17. 18. 2 Paral.* XXIV, 23. 24. Rezinum vero inito cum Pecacho, Israelitarum rege, foedere regni Judaici meditatum esse excidium, vidimus supra VII, 1. seqq. Sub idem tempus, quo, quae eo loco narrantur, acciderunt, et nostrum editum esse vaticinium, recte observat Lightfootus *Chronol. tempor. et ord. textuum V. T.* in *Opp.* T. I. p. 101. Certe argumenti utriusque oraculi, et praecipue quidem Cap. VIII, 1—4. IX, 7—20., tanta affinitas est, ut non possit esse major. Sed quod unum hic sufficit: quum vaticinium nostrum editum sit adversus Damascum, stante adhuc et florente eo regno, ut patet ex Versibus 1. 2. 3., et adversus Ephraimitas, Syris societate junctos, liqueat vero ex iis quae leguntur 2 Reg. XVI, 9. coll. cum XV, 29., solutam esse illam societatem, et eversum regnum Damascenum a rege Assyrio, anno Ahasi tertio vel quarto, necesse est, hoc oraculum ante annum Ahasi quartum scriptum esse. Grotius quidem editam hanc prophetiam existimat primo Hiskiae anno, eaque praedici Salmanassaris irruptionem. Hunc enim, cum

Sama-

Samariae regnum subverteret sexto Hiskiae anno, Damascum, jam a Tiglathpilesare captam et Assyriis subjectam, demum excidisse. Sed historia de eo nihil habet; et quo tempore editum est hoc vaticinium, obtinebat adhuc Damascus regnum, ut patet e Vs. 3., ubi *gloria* sua privanda dicitur. Ex eodem Versu haud obscure patet, tempore hujus vulgati vaticinii societatem Syrorum et Ephraimitarum nondum fuisse solutam. Si vero haec prophetia edita esset post cladem, quam Damasceni et Ephraimitae tulerunt a Tiglathpilesare, non facile explicari potest, quae occasio subministrata sit prophetae nostro, adversus Damascum et Ephraimum denuo declamandi eo tempore, quo Damasceni et Ephraimitae jam magnam partem in exilium abducti essent. Sed si sumamus, vaticinium hoc sub Ahaso editum esse, occasio ultro se prodit, et nemini obscurum est. Tum vero nostrum oraculum suo loco non positum digestumque esse ab iis, qui hoc vaticiniorum syntagma collegerunt, fatendum erit; nam supra XIV, 28. jam facta est mentio mortis Ahasi; cf. not. ad eum loc. „Ratio autem," inquit Lightfootus l. l., „quare haec prophetia eo loco collocata sit, quo conspicitur, haec est, quia plures ibi prophetiae adversus plura regna conjunguntur; et quando Dominus distribuit minas inter omnes regiones circumcirca, Damascus et Ephraim non poterant esse immunes; ideoque quum tria Capita, quae proxime attigimus (VII. VIII. IX.), eo loco posita sint, quo comparent, ut speciales denunciationes adversus haec duo regna; hoc Caput (XVII.) suo hoc loco est collocatum, ut reliquas comminationes comitaretur."

---

1. De מַשָּׂא vid. not. ad XIII, 1. דַּמֶּשֶׂק מוּסָר מֵעִיר *Damascus amota erit, ut non sit urbs,* quod Hieronymus recte: *desinet esse civitas* interpretatus. מ hic est *privativum,* ut supra V, 6., ubi not. cf., et VII, 8. מֵעָם, *ne sit populus. Damascus,* regni caput, urbs Syriae etiamnum floren-

florentiſſima, in planitie multis aquarum ſcaturiginibus irrigua et amoeniſſima ſitu, Arabibus دِمَشْق, Syris ܕܰܪܡܣܘܩ (ut דַּרְמֶשֶׂק 1 Paral. XVIII, 5. 6.) vocata, memoratur jam Geneſ. XIV, 15. XV, 12. Expugnabatur a Davide, vid. 2 Sam. VIII, 6.; ſed ſub Salomone Judaeorum jugo ſe ſubtraxit, 1 Reg. XI, 24. 25. Plura de hac urbe ejusque fatis disputavimus in *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 284. ſeqq. וְהָיְתָה מְעִי מַפָּלָה *Eritque acervus ruinae*, ruderum XXIII, 13. Quoniam Graecus Alexandrinus pro מְעִי εἰς πτῶσιν, et Vulgatus *ſicut acervus* poſuit; Lowthus illum לְעִי, hunc כְּעִי in textu Hebraeo legiſſe putat: ipſe mallet, Graecum ſequutus, לְעִי legere. Verum ſcite monuit Koppius, utrumque interpretem מְעִי legere potuiſſe, ſed liberius ſenſum expreſſiſſe: עִי (cf. Mich. I, 6.) et מְעִי non eſſe diverſa, niſi quoad formam; מְעִי vero paronomaſiae cauſſa cum מֵעִיר, in priori hemiſtichio, a Jeſaja eſſe electum. Ceterum eaedem, quae hic, loquendi formulae, ad urbis alicujus deſtructionem deſcribendam, occurrunt infra XXV, 2.

2. עֲזֻבוֹת עָרֵי עֲרֹעֵר *Derelictae*, deſertae (VI, 12. Jer. IV, 29.) erunt *urbes Aroër*, i. e. urbi Aroër vicinae, ut Joſ. XIII, 17. עָרֵי חֶשְׁבּוֹן ſunt *urbes Hesbunti*, urbi primariae vicinae. Quum vero duae exſtiterint urbes, quibus *Aroër* nomen fuit, altera prope Rabbam, Ammonitarum urbem regiam, Joſ. XIII, 25., altera ad ripam ſeptentrionalem Arnonis fluvii ſita (vid. libr. noſtr. modo laudat. Vol. II. P. I. p. 270. et Vol. III. p. 46.); hoc loco prior illa, Damaſco propior ſignificari videtur. *Urbibus Aroër* vero intelliguntur hic urbes regionis *Trans-Jordanenſis*, quae olim occupatae a Gaditis et Rubenitis (Num. XXXII, 34. Joſ. XIII, 16.), regni Iſraelitici partem fecere. Eae h. l. *derelictae* dicuntur, deportatis a Tiglathpileſare Gileaditidis incolis, 2 Reg. XV, 29. Alii *urbibus Aroëris* intelligunt tractum aliquem Syriae Damaſcenae, cui nomen Aroër eſſet. Ejus tamen nusquam alias fit mentio. Veteres in verbis hebraeis inter-

interpretandis inter se discrepant. LXX: καταλελειμμένη εἰς τὸν αἰῶνα, *derelicta in aeternum*. Ex עֲזֻבוֹת fecerunt עֲזוּבָה, vocem עָרֵי neglexerunt; et pro עֲרֹעֵר vel legerunt, vel legendum putarunt עֲדֵי־עַד, quod Lowtho placet et Dathio, qui vertit: *et urbes erunt derelictae in perpetuum*. Pro nomine appellativo habuit Chaldaeus, qui vertit: שְׁבִיקָן קִרְוֵיהוֹן חָרְבוּ, *derelictae urbes eorum vastabuntur*. Hebraeum עֲרֹעֵר contulit cum Chaldaico עַרְעַר, *frangere, confringere, comminuere*. HIERONYMUS: „*Aroer myrice* interpretatur, quae proprie arbor in solitudine et salsa humo nascitur, et per hoc vastitas demonstratur." Vocem Hebraeam retinuerunt Saadias et Syrus (nam quod in Bibliis Polyglottis legitur ܥܪܘܥܝܪ, non dubitamus esse sphalma typographicum). Recentiorum interpretum parum verisimiles conjecturas de עֲרֹעֵר recensuit refutavitque J. F. SCHELLING in *Animadverss. philologico-critt. in difficiliora Jesajae loca*, p. 29. seqq. Neque tamen quod ipse Vir Doctissimus proponit tale esse videtur quod aliis probetur. Pro עֲרֹעֵר censet עָרֵי־עַר legendum, ut verba hebraea vertenda sint: *relictae erunt urbes usque ad Ar*, urbem Moabitidis primariam, supra XV, 1., ut propheta non solum Damascum eversum iri denunciet, sed et plures alias urbes austrum versus ad Arnonem usque, urbemque Moabitarum, quae ad hunc amnem sita erat, primariam Ar, eandem sortem experturas. לַעֲדָרִים תִּהְיֶינָה *Gregibus erunt* pascua, cf. XXXII, 14. Zeph. II, 14. וְרָבְצוּ Qui illic *cubabunt*, vid. XIII, 21. וְאֵין מַחֲרִיד *Et nullus* superesit qui eos *terreat*, abigat, Deut. XXVIII, 26. Jerem. VII, 33. Zeph. III, 13, „Tanta enim erit solitudo," inquit HIERONYMUS, „ut nec insidiator timendus sit."

3. וְנִשְׁבַּת מִבְצָר מֵאֶפְרַיִם *Et cessabit*, abolebitur (ut Ezech. VI, 6.), *munitio ab Ephraimo*; quae verba referri possunt vel ad *Damascum*, ut sensus sit, destructa Damasco, munimentum illud, in quo fiduciam posuerant Ephraimitae, ablatum esse; inita enim cum Syris societate, respexerant

Ephrai-

Ephraimitae Damascum ut מִבְצָר, *munimentum*, propugnaculum (ita Hieronymus: nequaquam decem tribus in Damasco contra Judam habebunt auxilium); vel ad Ephraimum ipsum, ut sensus sit, ipso illo tempore, quo Damascus subverteretur, Ephraimitas esse infirmandos et privandos praecipuis suis munimentis, quippe quae ab Assyriis expugnarentur. Posterius praeferendum videtur. Respicitur ad loca munita Galilaeae et Ephraimitidis, sita in montibus, per naturam ipsam ab irruptionibus hostilibus munitis. Immo vero designatur hic aperte Samaria, munimentum Ephraimitarum, quo illi gloriabantur. Idem est quod Michae Cap. I, 6. *Ponam Samariam in acervum agri, et plantas vineae, et faciam defluere in declive lapides ejus* (videlicet erat מִבְצָר, *munimentum, in monte structum*) *et fundamenta ejus nudabo.* In verbis וּמַמְלָכָה מִדַּמֶּשֶׂק וּשְׁאָר אֲרָם כִּכְבוֹד בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל יִהְיוּ sunt, qui accentum Atnach post מִדַּמֶּשֶׂק ponendum censeant, ut verba vertenda sint: *et cessabit regnum a Damasco, et reliquiae Syriae ut gloria Israelitarum erunt.* Sed quum Masoretharum distinctio bonum sensum efficiat, nulla est caussa, cur eam, veterem certe illam, deseramus. Nam si verba vertas: *et cessabit regnum a Damasco et reliquo Syria, ut gloria filiorum Israelis erunt*, scil. Damascus et reliquum Syriae, nihil vitii est in sensu, et sententia rectius se videtur habere, quia comparatio *gloriae filiorum Israelis*, aeque haud dubie ad Damascum pertinet, quam ad reliquam Syriam; et favet etiam constructio orationis Grammatica. Docet idem passuros esse Damascenos, quod imminere minatur Israelitis. Hieronymus, „Quomodo, inquit, decem tribus Assyrio populante deletae sunt, et omnis gloria earum in captivitatem ducta est; sic pauci, qui in Damasco resederint, immutabuntur, et habebunt gentis gloriam sociae. Gloriam per ironiam dictam accipe pro ignominia."

4. Transit poeta ad mala Ephraimitis minanda, duplici usus similitudine: *una* est desumta a corpore, quod inte-

integra et florente valetudine magnum praefert decus et praestantiam, sic ut sine delectatione ab aliis non conspiciatur; sed quod subito marcescit, ita ut decus omne et species ei pereat. יִדַּל כְּבוֹד יַעֲקֹב *Attenuabitur,* imminuetur (cf. Ps. LXXIX, 8.), *gloria Jacobi,* i. e. regni Israelitici dignitas et potentia. Nomine *Jacobi* regnum Israeliticum et Hos. XII, 3. 4. 5. Mich. I, 5. denotatur. וּמִשְׁמַן בְּשָׂרוֹ *Et pinguedo carnis ejus,* florens ejus status, opes, facultates, ut supra X, 16., cf. Ps. LXXIII, 7. יֵרָזֶה *Emaciabitur* (Zeph. II, 11.), sicut illis fit, qui phthisi laborant, cf. X, 16. XXIV, 16. Hos. X, 11.

5. *Altera* similitudo (cf. Vs. anteced.) desumta est a collectione aestiva et autumnali fructuum; sive segetis fertilioris, qualis demeti solebat in valle Rephaim (hoc Vs.); sive vitis, oleae, aliarumque arborum frugiferarum (Vs. 6.): ut enim, ubi demetitur seges, paucae solummodo hic illic relinquuntur spicae; et ubi colliguntur uvae, aut stringitur olea, pauci tantum reliqui fiunt, et quidem non optimi generis racemi; sic futurum, docet propheta, ut hostes messem faciant in Ephraimitide, et quidquid hominum aut rerum illas terras olim ornaverat, messorum instar colligant atque alio transferant, paucis solummodo rarisque relictis in terra tenuioris fortunae hominibus, tantae calamitati superstitibus. וְהָיָה כֶּאֱסֹף קָצִיר קָמָה *Fietque sicut colligit messor segetem.* Vox קָצִיר passim Hebraeis significat *messem* ipsam (ut Exod. XXIII, 16.), sed hic omnino vertenda est per *messorem,* ut patet ex eo, quod additur, וּזְרֹעוֹ יִקְצֹר שִׁבֳּלִים, *et brachium ejus spicas demetit;* ubi relativum in voce זְרֹעוֹ non potest alio referri, quam ad קָצִיר. Est igitur hic loci nomen *formae adjectivi,* ad exemplum שָׂרִיד et פָּלִיט, ut recte Kimchi observavit. Verbum אָסַף de *messore* usurpatum, ut Exod. XXIII, 10., eum illius actum exprimit, cum brachio sinistro adductas ad se spicas complectitur ac recolligit pressim, quas deinde secat falce manus dextrae. קָמָה *Seges stans,* in arvo, antequam secetur, ut Exod. XXII,

XXII, 5. וְהָיָה כֶּאֱסֹף קָצִיר קָמָה Imo ſic *erit* cum regno Iſraelis, *ac ſi* quis poſt factam meſſem *ſpicilegium inſtituit*, ita ut parum vel nihil relinquatur, cf. Levit. XIX, 9. 10. בְּעֵמֶק רְפָאִים *In valle Rephaim*, quae erat planities lata et ampla, ſubjecta urbi Hieroſolymitanae, in climate Occiduo ad Auſtrum, Eleutheropolin verſus procurrens, cujus notitia clariſſime concipitur ex libro Joſuae, XV, 8. XVIII, 16., ubi deſcribuntur fines ſortium *tribuum Judae* et *Benjaminis*; cf. 2 Sam. V, 18. 22. XXIII, 13. XIV, 3. Josephus *Antiqq.* VII, 10. de hac valle: *Palaeſtinorum exercitus usque ad urbem acceſſit, et in ea valle* (κοιλάδι) *caſtrametatus eſt*, ἣ μέχρι πόλεως Βηθλεὲμ διατείνει, *quae usque ad Bethlehemum urbem extenditur:* quod tamen ita accipiendum, ut non directe meridiem verſus extenſus fuerit hic campus, ſed deflexerit verſus Occiduum; incipiens ab extremo montis, qui vallem filiorum Hinnom, a monte Zione ſeparabat. Nomen repetendum a *Rephaitis* (de quibus vid. not. ſupra ad XIV, 9.), qui olim hanc vallem, fertilem haud dubie, planam et ſitu commodiſſimam, ſibi vindicarunt.

6. וְנִשְׁאַר־בּוֹ *Relinquentur in eo*, regno Iſraelis, עֹלֵלוֹת vix *racemationes*, Jerem. XLIX, 9. Jud. VIII, 2., cf. Jerem. VI, 9. Jud. XX, 45. Prius ſimile Vs. 5. de ſpicilegio ex agro, hic per alterum ex horto vel vinea illuſtratur. כְּנֹקֶף זַיִת *Sicut in decuſſione* ſeu *ſtrictura oleae*, ut infra XXIV, 13. Nomen עֹלֵלוֹת proprie ad *vindemiam* pertinet, notatque *racemationem*, quae poſt factam vindemiam inſtituitur. Etiamſi vero nihil vetet, illud hic transferri ad *olivas*, quae in prima olearum ſtrictura relictae nova iterataque cura leguntur; eſt tamen probabile, vatem ad duas ſimilitudines hic reſpexiſſe, licet alteram earum hic tantummodo expreſſerit. שְׁנַיִם Cum *duae*; binarius numerus paſſim paucitatem indicat, vid. 1 Reg. XVII, 12. Jerem. III, 14. Hoſ. VI, 2. שְׁלֹשָׁה Aut *tres*, aſyndeton, ut 1 Sam. XX, 12. גַּרְגְּרִים *Grana, baccae*, coll. Chaldaico גַּרְגִּיר, *bacca*, Deut. XXXII, 14. et Arabico جُرْجُر *faba*. בְּרֹאשׁ אָמִיר *In ſummitate*

mitate rami. Ita Vulgatus et Chaldaeus, qui בְּרֵישׁ עַנְפָּא posuit. Saadias: في راس غصن *in summitate rami.* ABEN-ESRA et KIMCHI הסעיף העליון *ramum summum* explicant. LXX: ἐπ' ἄκρου μετεώρου.

7. Superstites in terra, relicto idolorum cultu, ad Jovam ejusque cultum revertentur. בַּיּוֹם הַהוּא יִשְׁעֶה הָאָדָם עַל־עֹשֵׂהוּ *Illo die respiciet homo ad factorem suum.* שָׁעָה *Respicere* ad aliquem, a quo auxilium exspectatur, ut infra XXXI, 1. עֹשֶׂה *Factor* Ephraimitarum dicitur Deus non tantum quatenus totum genus humanum creavit, verum et quatenus rempublicam Israeliticam formavit et constituit, qua de re verbum עָשָׂה usurpatur Deut. XXXII, 6., ejusque Participium, ut hic, infra XLIV, 2. LIV, 5. Ps. C, 3. וְעֵינָיו אֶל־קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל תִּרְאֶינָה *Et oculi ejus in Venerandum Israelis* (ut I, 4. XII, 6. XXIX, 23.) *intuebuntur,* a quo uno auxilium utiliter implorari posse cognoscent. Cf. Ps. CXXI, 1. 2. CXXIII, 1. 2.

8. וְלֹא יִשְׁעֶה אֶל־הַמִּזְבְּחוֹת מַעֲשֵׂה יָדָיו *Et non respiciet ad altaria, opus manuum suarum;* intelliguntur arae, vel Jovae erectae praeter altaria illa, quae secundum legem divinam exstructa erant in templo, holocausti videlicet, quod sub dio erat, et suffitus, in ipso Sacrario; vel diis nugacibus exstructae, ut ab Ahaso factum 2 Reg. XVI, 10. XXI, 3. 4. 5., et ab Ephraimitis, Hos. VIII, 11. וַאֲשֶׁר עָשׂוּ אֶצְבְּעֹתָיו לֹא יִרְאֶה *Et quod fecerunt digiti sui non adspiciet.* Videntur larium et penatium imagines significari, in quibus formandis caelandisque artis plurimum adhibitum fuit; cf. II, 8. וְהָאֲשֵׁרִים Neque ad *simulacra Astartes* scil. respiciet. Vocem hebraeam, quam vulgo *lucos* vertunt, Graecos Alexandrinos sequuti, qui illud ἄλσος interpretari solent, Astartes (עַשְׁתֹּרֶת), Deae Syriae, simulacra pluribus locis (veluti Jud. III, 7. 1 Reg. XVIII, 19. 2 Reg. XXXIII, 4. al.) significare, vidit jam SELDENUS *de Diis Syris* Synt. II. C. II., argumentis vero plurimis probavit GESENIUS in *Lexico*

Hebraeo-teutonico majori ad h. v. p. 75. seq. Cf. Spencerum *de Legibus Hebraeor. ritualibus* L. II. C. XVI. Sect. 1. וְהַחַמָּנִים Neque ad *statuas idolorum*, cf. de hac voce not. ad Levit. XXVI, 30. ed. tert. et Ezech. VI, 4. Utraque superstitiosi cultus materia jungitur et infra XXVII, 9.

9. בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיוּ עָרֵי מָעֻזּוֹ *Illo die fient urbes munimenti ejus*, Israelis, i. e. urbes munitae Israelitarum nondum cum reliquis eversae, כַּעֲזוּבַת הַחֹרֶשׁ *sicut relictum quid sylvae* seu *nemoris* (1 Sam. XXIII, 15. Ezech. XXXI, 3.), cum caesa sylva rarae supersunt arbores. Alii: *ut relicti* fructus *nemoris* s. in nemore, וְהָאָמִיר, aut ut *ramus* summa in arbore (Vs. 6.), i. e. haud secus ac si ramis decussis summus in arbore vertex remanserit. Alii: ut fructus relictus *in culmine* arboris. אֲשֶׁר עָזְבוּ *Quem relinquere solent*, qui ligna caedunt, aut fructus colligunt, ita verbum עָזַב usurpatur Levit. XIX, 10. XXIII, 22. Ruth II, 16. מִפְּנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Coram filiis Israelis*, i. e. Israelitis. Alii: *propter Israelitas*, ut מִפָּנִים Genes. XXXVI, 6. 7. Exod. IX, 11. saepiusque usurpatur. וְהָיְתָה שְׁמָמָה *Eritque* tota terra mera *desolatio*, I, 7. Sensus totius Versus igitur hic erit, fore, ut terrae Israeliticae urbes munitae sint veluti pauculae reliquiae, quas reliquerint vastatores Israelitis, atque hi vix unum alterumve locum habituri sint, quo sese possint recipere, propter vastitatem terrae. Hebraei interpretes in nomine הָאָמִיר allusionem esse putant ad nomen Amoraeorum (הָאֱמֹרִי), populi Cananaei, ab Hebraeis olim, Josua duce, expulsi, vatemque autumant hoc velle, illo tempore, quo hostes barbari Ephraimitarum terras sint invasuri, eodem terram fore statu, quo erat ubi olim occupabatur ab Israelitis. Post הָאָמִיר nomen עֲזוּבָה repeti volunt, et ad posterius membrum aeque ac prius pertinere, monente Kimchio, in hunc modum: *illo die erunt urbes ejus munitae* ut derelictio *qua* Amoraei s. Cananaei olim urbes suas *dereliquerunt a facie Israelitarum*. Ita jam LXX: Τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔσονται αἱ πόλεις σου ἐγκαταλελειμμέναι, ὃν

τρόπον

τρόπον ἐγκατέλειπον οἱ Ἀμοῤῥαῖοι καὶ οἱ Εὐαῖοι ἀπὸ προσώπου τῶν υἱῶν Ἰσραήλ· καὶ ἔσονται ἔρημοι. Amoraeos in אָמִיר non difficulter invenerunt, Evaeos autem ſive Hevaeos (חִוִּים, Joſ. XI, 3.), itidem populum Cananaeum, e nomine חֹרֶשׁ inde exſculpſiſſe Vitringa exiſtimat, quod Jud. I, 35. legitur: וַיּוֹאֶל הָאֱמֹרִי לָשֶׁבֶת בְּהַר־חֶרֶס, *Emoraei volebant inhabitare montanum Heres.* Sed Geſenius Graecum interpretem pro האמיר הקרש legiſſe aut legendum conjeciſſe החוי והאמרי cenſet. Arabicus in Polyglottis interpres pro Hevaeis Moabitas ſubſtituit. Hieronymus noſtrum Verſum ita vertit: *In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictae ſicut aratra et ſegetes, quae derelictae ſunt a facie filiorum Iſrael et erit deſerta.* Quae in Commentario hoc modo enarrat: „Hoc non loquitur contra Damaſcum, ſed contra decem tribus, quae vocabantur Iſrael; ut quomodo ad adventum ex Aegypto populi Dei omnes gentes, quae incolebant terram repromiſſionis, ſubito pavore conterritae aratra dimiſerunt, acervosque frugum et media opera, ſalutem pedibus requirentes; ſic et terra Iſrael multo tempore deſolata permaneat. Unde miror, pro *aratris* et *acervis frugum* voluiſſe Aquilam interpretari *teſtam et Emir,* Symmachum, *ſylvam et Amir,* LXX, *Amorraeos et Evaeos.* Solus Theodotio hebraicum verbum poſuit, *Ars* et *Emir,* quod apud eos emendatius legitur *Hores* et *Amir,* id eſt, *vomeres* et *acervi ſegetum.*" Patet, Hieronymum voci חֹרֶשׁ ſignificationem a verbo חָרַשׁ, *aravit,* deductam tribuiſſe. *Vomer* autem hebraice dicitur מַחֲרֶשֶׁת 1 Sam. XIII, 20., aut מַחֲרֵשָׁה, ibid. אָמִיר vero ſignificatione non differre credidit ab עָמִיר, *manipulus frugum,* Jerem. IX, 21. Amos II, 13. Mich. IV, 12. Ceterum et Hieronymus reſpici a vate exiſtimat ad illum terrae Iſraeliticae ſtatum, quem habuit, cum Hebraei incolas veteres e ſedibus ſuis expellerent. Nec aliter Chaldaeus: *In tempore illo erunt civitates fortitudinis eorum ſicut urbs quae deſerta eſt, et redacta in acervos lapidum, quae derelicta eſt a facie filiorum Iſrael; et erit in deſolationem.* Syrus: *Tempore illo civitates*

Pp 2 *muni-*

munitionis ejus evadent tanquam ciſterna. Herts et Amir. (ܐܝܟ ܚܘܪܫܐ ܘܐܡܘܪܝܐ), *quae deſerta eſt e conſpectu filiorum Iſraelis; eritque in corruptionem.* Saadias: *Illo tempore fient urbes munitae ejus ſicut derelictio urbium Chareſch et Amir, quas incolae ſuae reliquerunt a conſpectu Iſraelitarum, eritque ſolitudo.*

10. כִּי שָׁכַחַתְּ אֱלֹהֵי יִשְׁעֵךְ *Quia* tu, gens Iſraelitica, *oblita es Dei,* auctoris *ſalutis tuae,* ſoſpitatoris tui, ut Mich. VII, 7., cf. Hoſ. II, 15. וְצוּר מָעֻזֵּךְ לֹא זָכָרְתְּ *Et petrae* (XXVI, 4. Deut. XXXII, 18.) *munimenti tui,* i. e. fortis adjutoris tui, ut recte Hieronymus, *non es recordata* (LVII, 11.), ejus Dei, qui firmiſſimi munimenti loco tibi eſſe potuit, penitus immemor fuiſti. צוּר מָעֻזֵּךְ oppoſitum videtur τοῖς עָרֵי מָעֻזּוֹ Verſu ſuperiore. Chaldaeus: *timorem Omnipotentis, cujus verbum fuit in auxilium tuum, non meminiſti.* Hieronymus: „Iſta, inquit, perpetieris, o Iſrael, quia reliquiſti Deum, ſalvatorem tuum, qui te liberavit ex Aegypto, qui tibi gentes ſubjecit inimicas, et adjutoris tui non es recordata.“ עַל־כֵּן תִּטְּעִי נִטְעֵי נַעֲמָנִים *Propterea,* quod Dei ſoſpitatoris tui immemor fuiſti, *plantaſti plantas voluptuariorum,* i. e. voluptuoſas, jucundas, ſeminaria amoena. וּזְמֹרַת זָר תִּזְרָעֶנּוּ *Et ſurculo peregrini,* i. e. ſurculis peregrinis *conſeviſti eum,* vel *conſeris eum,* ſcil. שָׂדֵךְ, *agrum tuum,* vel כַּרְמֵךְ, *vineam tuam* (cf. Deut. XXII, 9.); ad hujusmodi enim nomen, quod fuit in mente prophetae, ſed non exprimitur, ut ſaepius fit, referendum eſt relativum ſuffixum in תִּזְרָעֶנּוּ. Continuatur ſententia et clauditur Verſu proximo.

11. בְּיוֹם נִטְעֵךְ תְּשַׂגְשֵׂגִי *Die plantationis tuae multiplicabas,* vel *operam dabas* maximam, *ut creſceret,* utroque enim modo accipi poteſt forma Piel verbi שָׂגָא; duplicatio radicalium arguit emphaſin, cf. Storrii *Obſervatt.* p. 174. וּבַבֹּקֶר זַרְעֵךְ תַּפְרִיחִי *Et mane ſemen* ſ. *ſatum tuum* feciſti efflorescere, cura tua vigilaſti, ut ſatum plantatumque efflo-

reſceret

rescere in gemmam, illud mane rigando, et omnimode fovendo. נֵד קָצִיר בְּיוֹם נַחֲלָה וּכְאֵב אָנוּשׁ Sed *acervus messis in die possessionis* erit *et dolor desperatus*, immedicabilis (Jerem. XXX, 15.), i. e. cum ex sato plantatoque illo jucundissimo, quod tanta cura fovisti, demetere et percipere fruges sperabis, acerbissimi doloris messem facies. Jungendae sunt dictiones נֵד קָצִיר וּכְאֵב אָנוּשׁ, *cumulus messis et dolor desperatus*, quae per ἓν διὰ δυοῖν sunt explicandae, acervus messis doloris immedicabilis, quale Jerem. XXIX, 11. *Ad dandum vobis* אַחֲרִית וְתִקְוָה, *finem et exspectationem*, i. e. finem exspectatum seu exoptatum. Cf. supra I, 13. אָוֶן וַעֲצָרָה, et ad eum loc. not. p. 38. Glassii *Philol. S.* p. 19. edit. Dath. et Storrii *Observatt.* p. 241. Nomen נֵד quum reliquis quinque, quibus in V. T. legitur locis (Exod. XV, 8. Jos. III, 13. 16. Ps. XXXIII, 7. LXXVIII, 13.) indubium habeat *cumuli* significatum (cf. not. ad Ps. XXXIII, 7.), nec hoc loco aliter sumendum est. Non igitur audiendi, qui a verbi נוּד *agitandi, fugiendi* notione נֵד קָצִיר vertunt *fugam*, ablationem, *messis*, aut cum Vitringa a נוד, *complorare, comploratio messis*. Quod interponitur, בְּיוֹם נַחֲלָה, *in die* speratae *possessionis*, significat tempus messis, quo messe se potituros sperabant. Pro נַחֲלָה in duobus codicibus Erfurtensibus, consentiente utriusque codicis Masora, et in libris nonnullis typis descriptis, legitur נַחְלָה, *aegritudo* (a חָלָה), ut Jerem. X, 18. XIV, 17. XXX, 12. Jarchi explicat יוֹם צָרָה, *dies angustiae*, incertum, legeritne נַחְלָה, an acceperit נַחֲלָה pro eo nomine, ut Kimchi fecit. Tum verba nostra sic erunt vertenda: *sed acervus messis* erit *die aegritudinis et doloris desperati*, i. e. messis erit tristissima atque luctuosissima. Ceterum utrumque hunc Versum figurate arguere summum Ephraimitarum studium in sectandis exterarum gentium vel superstitionibus vel foederibus, vix dubium esse potest. De peregrinorum deorum cultu cepit Chaldaeus, qui Versus superioris partem posteriorem, et hunc Versum ita explicat: *Nam plantata es plantatione electa, sed opera corrupta multiplicasti. Postquam sanctificati*

ficati fuissetis ut essetis populus, ibi corrupistis opera vestra; et insuper postquam ingressi estis terram domus majestatis meae, ubi decebat servire mihi, reliquistis obsequium meum, et servistis idolis, et aversati estis poenitentiam. Antequam perveniret dies interitus vestri, tunc fuit dolor vester in exhalationem animae; i. e. talis in quo anima efflatur. Nos potius cum DOEDERLINIO hisce Versibus acrem foederis cum Syris initi reprehensionem inesse arbitramur. Israelitae, spe in Jova plane seposita, Syrorum foedere, rebus suis majus conciliare decus majoremque florem moliebantur. Sed fructus ac eventus hujus consilii erit belli tempestas, devictis Syris in Israelitas saeviens. Quam sententiam vates poetice enunciat, similitudine desumta ab iis, qui seminaria sibi instruunt amoenissima, peregrinis ac rarissimis plantis consita, atque ut succrescant et maturo fructu floreant, exspectant; tum vero, cum fructus colligendi sunt, messem laborum, planctus doloresque diros percipiunt.

CAP. XVII, 1. *In Damascum oraculum. Futurum est, ut Damascus urbs esse desinat, in ruinae acervum redacta.*

2. *Desertas Aroërenses urbes habebunt greges, cubantes deterrente nullo.*

3. *Privabitur Ephraim munimento, et Damascus reliqua Syria regno, fientque ut Israelitarum nobilitas.*

4. *Illo tempore autem attenuabitur Jacobitarum nobilitas, eorumque corpulentiae marcescet obesitas;*

5. *Et accidet perinde ac si quis segetis messem colligat, spicasque in ulnam suam demetat, aut si quis spicas in valle Rephaim legat.*

6. *Relinquetur in eis quod racemetur, ut in olea stringenda duae tresve baccae in summa arbore, quatuor quinqueve in ramis fructuariis restent, inquit Jova, agminum Deus.*

7. *Illo*

7. *Illo tempore intuebuntur homines in conditorem suum, oculisque spectabunt Sanctum Israelitarum.*

8. *Neque aras, suarum manuum opus, intuebuntur, quaeve suis ipsi fecere digitis simulacra, et statuas spectabunt.*

9. *Illo tempore eorum potentes urbes erunt ut derelictus saltus et arbustum, derelictae propter Israelitas, eritque terra vasta.*

10. *Quia tu Dei sospitatoris tui oblita es, et petrae munimenti tui immemor fuisti; propterea quod amoena plantaveris plantaria, eaque peregrina stirpe conseveris,*

11. *Posteaquam curaveris, ut ea plantaria crescant, ut tuum seminarium mature germinet, peribit messis acervus, quum esset percipiendus, eritque dolor dirus.*

VI.

Cap. XVII, 12—14. XVIII, 1—7.

A R G U M E N T U M.

Multorum contra Judaeos conspirantium populorum molimina temporis momento irrita reddentur, Iova increpante et disturbante (XVII, 12—14.). Id vates vulgandum docet per orbem, jubetque maxime per nuncios celeres deferri ad Aethiopes, *qui ab eisdem hostibus petiti cum Dei Israelitarum potentia ab illorum metu liberati fuerint,* grato erga Jovam sensu affecti ad ejus templum donaria mittent (Cap. XVIII.). Ingentes exercitus, quorum clades extremis Capitis XVII. Versibus denunciatur, esse *Assyrios*, qui in eo erant, ut Palaestinam invaderent, eaque expugnata Aegyptum peterent, cujus pars australis tum Aethiopicae stirpis principibus subjecta erat (vid. ad XVIII, 1.), vix dubium est. Editum igitur fuerit hoc vaticinium anno decimo quarto Hiskiae regis, brevi antequam Assyrii, Sanheribo duce, in Palaestinam irrumperent, vid. infra XXXVI, 1.

12. Interjectio הוֹי, *heu! vae*, ut supra I, 4., vatis est non comminantis nationibus, sed dolentis vicem populi sui, in quem ingens hostium vis irruet. הֲמוֹן עַמִּים רַבִּים *Multitudo ingens* (XIII, 4. XXIX, 7. Genes. XXII, 4.) *populorum multorum*, contra Judaeos acies invehentium. כַּהֲמוֹת יַמִּים *Secundum strepere maris*, ut mare fluctibus suis strepitum et fragorem excitat, יֶהֱמָיוּן sic *tumultuantur*,

XVI,

XVI, 21. LI, 15. Eadem comparatio Jerem. VI, 23. Pſ. LXV, 8. וּשְׁאוֹן לְאֻמִּים *Et heu! tumultus nationum!* Cf. XIII, 4. כִּשְׁאוֹן מַיִם כַּבִּירִים יִשָּׁאוּן Quae *inſtar aquarum validarum tumultuantur*, cf. Apoc. XVII, 1. 15.

13. לְאֻמִּים כִּשְׁאוֹן מַיִם רַבִּים יִשָּׁאוּן *Gentes*, inquam, *inſtar tumultus aquarum multarum tumultuantur*, cf. VIII, 7. Primum hoc hemiſtichium quum mera ſit poſterioris Verſus proxime praecedentis repetitio, omiſſo tamen initio Verſus nomine regente שְׁאוֹן, nec legatur in ſeptem codicibus manuſcriptis, neque expreſſum ſit ab interprete Syriaco; Gesenius illud librarii alicujus errore repetitum eſſe ſuſpicatur, quod tamen jam Graecum Alexandrinum interpretem ſuo in codice hebraeo legiſſe agnoſcit. Quodſi genuinum fuerit, ἀναδίπλωσιν eſſe judicat, qualis in Pſalmis pluribus obſervatur; vid. Argument. Pſalmi CXX. not. 4. p. 1742. edit. ſec. וְגָעַר בּוֹ *Sed increpabit eum* tumultum Jova, Pſ. IX, 6., et vocis ſuae terrore efficiet, וְנָס *ut fugiat*, XXXI, 8. מִמֶּרְחָק *Procul*, XXX, 27. וְרֻדַּף *Propelletur*, agitabitur, XIV, 6. כְּמֹץ הָרִים *Sicut gluma montium*, in montibus, quorum ideo mentionem facit, quod in iis magis vigent venti. Cf. Pſ. I, 4. וּכְגַלְגַּל לִפְנֵי סוּפָה *Et ſicut res volubilis*, ſ. *pulvis rotatus coram turbine*, cf. Pſ. LXXXIII, 14.

14. לְעֵת עֶרֶב *Tempore veſpertino*, veſpere, ut Geneſ. VIII, 11. 2 Sam. XI, 2. וְהִנֵּה בַלָּהָה *Terror* erit, coll. Syriaco ܒܠܗ, *terruit*, unde ܒܘܠܗܐ, *terror*, cf. Pſ. LXXIII, 19. בְּטֶרֶם בֹּקֶר אֵינֶנּוּ *Antequam mane* fiat, *non aderit* amplius ſcil. hoſtis, q. d. *abſentia ejus* erit, Geneſ. XLII, 36. Proverbiali uſu *veſpere et mane* pro breviſſimo tempore uſurpantur, ut Pſ. XXX, 6. *Veſperi fletus adeſt, mane ovatio.* Et Pſ. XC, 6. *Graminis inſtar, quod mane floret, et veſperi decidit.* Minime igitur neceſſe eſt, ut ad ſubitam Aſſyriaco exercitui immiſſam cladem, de qua infra XXXVII, 36., haec referantur. זֶה חֵלֶק *Haec* eſt *portio*, ſors,

sors, cf. LIV, 17. Job. XXVII, 13. שׁוֹסֵינוּ Eorum *qui nos spoliant*, X, 13. Jerem. L, 11. וְגוֹרָל לְבֹזְזֵינוּ *Et* haec est *sors* quae destinata *illis qui nos diripiunt*, X, 6. XLII, 24. Hic exitus manet illorum audaces atque insolentes spiritus, qui nos vexare nostraque diripere aggressi sunt.

Cap. XVIII, 1. Caput hoc, plurimis involutum obscuritatibus, peculiaribus scriptionibus tractarunt Matthaeus Hillerus et Carolus Aurivillius. Hic quidem in Dissertatione Upsaliae anno 1778. edita, quae inter ejus Dissertationes a J. D. Michaele junctim editas *decima quinta* est, legiturque p. 351. seqq. Ille in Dissertatione, quam inscripsit: *Hyrthymna Sa' Athiopija, Calamitas Aethiopiae, seu Commentarius in Caput XVIII. Jesajae*, Tubing. 1714. Inserta legitur *Thesauro Novo Theol. Philolog. sive Syllogi Dissertatt. Exegeticar. ad selectiora atque insigniora V. et N. T. loca* ex Museo Theod. Hasaei et Conr. Ikenii, Amstelod. 1732. fol. T. I. p. 883. seqq. Quibus jungendae Jos. Frid. Schelling *Animadverss. philologico-criticae in loca difficiliora Jesajae*, p. 37—56. Dissentiunt interpretes maxime in explicandis characteribus, quibus propheta aenigmatice terram illam, cujus incolis subitam hostium cladem jubet nunciari, designat; aliis *Aegypto*, aliis *Aethiopiae* signa illa diacritica convenire contendentibus. Prima statim verba אֶרֶץ צִלְצַל כְּנָפָיִם mire exercuerunt interpretes. צִלְצַל legitur et Job. XL, 31., sed significatu eo, qui in locum nostrum parum quadraverit; ponitur enim ibi de *instrumentis piscatoriis*. In Plurali צֶלְצְלִים reperimus 2 Sam. VI, 5. et Ps. CL, 5. Utrobique est minime dubium, denotari instrumenti aliquod genus musici. Orta inde Bocharto *Phaleg.* Lib. IV. Cap. II. cogitatio de *sistio Aegyptio* hoc loco intelligendo. Scilicet quum sumeret, *Aegyptum* hic *αἰνιγματωδῶς* describi; verba אֶרֶץ צִלְצַל כְּנָפָיִם vertit: *terra cymbali orarum* (כָּנָף, *ala*, enim Hebraeis sumitur frequenter pro *ora* sive *extremitate* rei alicujus), docens, per *cymbalum orarum* intelligi *sistrum*, notissimum instrumentum religionis

gidnis in sacris Isidis, dictum צלצל a צלל, *tinnire*, quod argutum ederet *tinnitum*, et id cum *cymbalo*, proprie ita dicto, commune haberet. Placuit haec sententia praeter alios HUETIO (*Demonstrat. Evangel.* Propos. IV. Cap. X. §. IV.) quoque, CLERICO et LOWTHO. Sed si largiatur etiam quis, *sistrum* appellari posse *cymbalum alatum* ob formam (*virgulae* fuerunt, per laminas trajectae, *tinnitum* ad contactum laminarum excitantes); non probabile est, vatem denominasse terram, quam intelligendam voluit, ab instrumentis in cultu quodam religioso usitatis; nimis remota certe est haec appellatio. Deut. XXVIII, 42. insecti quaedam species arboribus herbisque noxii vocatur צלצל, aliis licet vocalibus, quam quae adsunt voci nostrae, insigniatur; quo nomine quum conjecisset HILLERUS designari *locustas*, quas a צל, *umbra*, nomen nactas credidit, quod per aërem volitantes sua multitudine solem obumbrent; eas quoque hic *intelligendas putavit*. Locustarum autem *terram* Aethiopiam vocari, quod in ea plures, quam in ulla terrarum parte locustae procreentur, unde et ejus incolae ab esu locustarum dicti sint Acridophagi. Eam sententiam commendavit exornavitque SCHELLING in *Animadverss.* p. 40., nec multum diversa est a J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 2096. proposita interpretatio. STEPHANUS LE MOYNE in *Dissertat. ad Jerem.* XXIII, 6. Cap. IV. p. 180. voce כנפים alludi putat ad idolum Veteris Aegypti, quod Κνοῦφις dicebatur. Quam interpretationem, quum sola litterarum similitudine nitatur, memorasse sufficiat. Sunt, qui per *terram umbrae alarum* Aegyptum designari putent, a *navibus*, quae *expansis velis* (quae figuram habent alarum), frequentes Nilum fluvium secarent, ut *fluvium*, et metonymice terram Aegypti *obumbrare* censerentur. Ita Graecus Alexandrinus: οὐαὶ γῆς πλοίων πτέρυγες, uti verba illius nunc in codicibus leguntur. Sed recte VITRINGA monuit, contortam eam esse sententiam, in qua γῆς non cohaereat cum voce οὐαὶ (quae *primum* Casum poscit, vel etiam *tertium*, licet cum eo interpretes Graeci rarius usurpent), sed cum voce πτέρυγες, ut

ut verba potius ſic ponenda ſint: *οὐαὶ πτέρυγες (τῶν) πλοίων τῆς γῆς*, quomodo ea et exhibet Cyrillus et Arabicus in Polyglottis interpres: وَيْلٌ أَجْنِحَةِ سُفُنِ ٱلْأَرْضِ *vae alis navium terrae illius* rel. Graecus interpres num hebraicum צִלְצַל comparaverit cum arabico ظُلْظُلُ, quod, Firuſabadio teſte in Lexico Kamus p. 1495. *naves* denotat, incertum. De *navibus* cogitavit et Chaldaeus: וַי אַרְעָא דְאָתְיָן לַהּ בִּסְפִינָן מֵאַרַע רְחִיקָא *vae terrae in quam veniunt in navibus e terra longinqua*, additque: וְקִלְעֵיהוֹן פְּרִיסָן כְּנִשְׁרָא דְטָאֵס בְּכַנְפוֹהִי *et eorum vela expanſa ſunt inſtar aquilae, quae volat alis ſuis.* Aliis credita *Aegyptus* dicta *umbraculum alarum*, quod Judaei, ſub alis Aegypti, hoc eſt Aegyptiorum praeſidio, ſe defenſum iri opinabantur, quoties valentior hoſtis irruerat, ac ſi appellatione tali argueretur ſtulta atque impia in auxilio fiducia humano, quum adeſſe poſſet, ſi recte quaereretur, divinum. Ea ſententia placuit Hoheiselio, qui in *Obſervatt. philolog. exegett.* p. 131. phraſin hebraeam hoc loco uſurpatam ſignificatione haud differre exiſtimat a צֵל כְּנָפַיִם, quae dictio in V. T. vix alio uſu niſi de protectione auxilioque recepta eſt; vid. Pſ. XVII, 8. XXXV, 8. LVII, 2. LXIII, 8. Hinc verba noſtra ita interpretatur: *heus terra umbrae alarum*, i. e. inumbrans alis tuis, quae te quaſi umbram aeſtimas, aliisque gentibus, inprimis Judaeis, auxilia promittis. Grotio et Vitringae Aegyptus *terra ab utroque latere obumbrata* dicta videtur, quoniam ab occidentali et orientali plaga montibus concluditur. Montium autem attributum umbram eſſe, veluti Jerem. XIII, 16. Hanc ſententiam comprobavit quoque Dathius. Aurivillio atque Kochero comprobata Alb. Vogtii in *Miſcellan. Biblioth. Heptagl. IV.*, p. 144. propoſita interpretatio, אֶרֶץ צִלְצַל כְּנָפַיִם *terram utrinque umbroſam* ſignificare, qua appellatione vates *Aethiopiam* indicaverit, quod Aethiopes, ut omnes ſupra Syenem inter utrumque tropicum incolentes, ſint *ἀμφίσκιοι*, quos dixerunt geographi, hoc eſt, *ha-*

bitantes

bitantes intra tropicos, quibus lucente sole umbrae in geminam partem cadunt, versus meridiem, per unam partem anni, per alteram versus septentrionem; qua de re vide Plinium *Histor. Nat.* Lib. II. §. LXXV. „Erat hoc," inquit Aurivillius, „diurnum phaenomenon, adeoque obvium vulgari experientiae, ut quin cognitum fuerit Judaeis, atque adeo vati nostro, nihil omnino impediat. Definit, geographica ratione, ipsius אֶרֶץ, *regionis*, situm, quem in sequentibus pariter propheta videtur voluisse indicare. Concinit etymologia, et forma et significatio utriusque vocis. צִלְצַל *umbram geminam* significare posse nemo dubitabit. כְּנָפַיִם sive *duas alas* dixeris, quae geminam in partem cadenti umbrae eleganti metaphora tribuantur; sive *latus* malueris, *plagam*, *tractum* telluris *duplicem* interpretari, utrumque aptum huic loco erit." Huic vero sententiae opposuit Schelling, eam id habere incommodi, quod metaphora, qua usus esset propheta, minus congrua esset rei designandae, quum homines inter Tropicos habitantes non eodem tempore duplicem umbram faciant, quemadmodum quae alata sunt, binas simul habent alas, sed unam pro diversis anni vicibus huc vel illuc porrigant. Omnino vero earum interpretationum, quae nomini צִלְצַל *umbrae* significatum tribuunt, nulla probanda est, quum illud ceteris quibus legitur locis Deuter. XXVIII, 42., 2 Sam. VI, 5. Ps. CL, 5. *tinnitum* denotare constet, collato Arabico صَلْصَلَ *cum tinnitu quodam sonuit*. Attamen nec qui id agnoscunt interpretes in hujus loci explicatione consentiunt. J. D. Michaelis in *Spicileg. Geograph. Hebraeor. exter.* P. I. p. 156. אֶרֶץ צִלְצַל כְּנָפַיִם *terram tinnitus alarum* interpretatus, „alas," inquit, „et soli, et aurorae, Hebraei dederunt, ut Graeci atque Latini currum, vide Malach. III, 20. Ps. CXXXIX, 9. Harum alarum acutum stridorem, qualis in summa celeritate audiri solet, in regione orbitae solis subjecta percipi fingunt, fere ut Tacitus sonum emergentis solis trans Suiones audiri narrat, Juvenalisque cecinit,

Audiet

Audiet Herculeo ſtridentem gurgite ſolem. Haec ergo mihi verborum interpretatio: *heus terra ſtridoris alarum, quae ſita es ultra fluvios Aethiopiae!* hac ſententia: *audies haec, ultima terrarum, ultra ſolis et anni orbitatem.*" Sed ipſi Michaeli incertam poſtmodum viſam eſſe illam ſuam interpretationem, patet ex *Supplemm.*, l. l. Doederlein hunc Verſum reddit ſic: *Heus terra! ſtrepit alis, qui trans fluvios Cuſchaeos* etc. (legatos mittit Vs. 2.), et intelligit Taraconem, Hebraeis Tirhacam dictum, Aethiopiae regem (vid. infra XXXVII, 9. 2 Reg. XIX, 9.), cum magno exercitu Sanheribo obviam euntem. „Nempe propheta," in nota adjecta ait, „qui, quantum urbi ſuae periculum immineat ab Aſſyriis, Cap. XVII, 12., deinde quam inſignis liberatio ſperanda ſit, Vs. 13. 14. dixerat, animum orationemque ad Taraconem, quo tanquam inſtrumento Deus uſurus erat, in liberanda Judaea fugandisque Aſſyriis, advertit, laetusque exclamat; ſe jam ſtrepitum (צְלָצַל *tinnire*) exercitus Aethiopum citiſſime advolantis audire ſibi videri." Quae quidem interpretatio, et Gesenio comprobata, niſi quod is צִלְצַל rectius pro nomine in ſtatu conſtructo poſito habet, reliquis omnibus anteponenda fuerit. *Alas*, כְּנָפַיִם, Jeſajas et ſupra VIII, 8. exercitus vocavit, vid. ibi not. Doederlinii interpretationi patrocinatur hujus oraculi inſcriptio ea, quae in Arabica in Polyglottis translatione legitur, ab interprete forſan e Graeco, ex quo transtulit, codice deſumta: نُبُوَّةُ إِشَعْيَاءَ فِي مَلِكِ ٱلْحَبَشَةِ ٱلَّذِي ٱسْتَعَانَ بِهِ بَنُو إِسْرَائِيلَ وَخَرَجَ لِيُعِينَهُمْ *Prophetia Eſajae de rege Habeſſiniae, qui opem ſuam implorantibus Iſraelitis, egreſſus eſt, ut iis opem ferret.* In verbis quae ſequuntur, אֲשֶׁר מֵעֵבֶר לְנַהֲרֵי־כוּשׁ, pronomen relativum אֲשֶׁר pertinere ad nominatam antea אֶרֶץ, manifeſtum eſt, ſive Aegyptus cogitetur, ſive Aethiopia, ſive quae tellus alia. Sic et nomine כּוּשׁ intelligendam regionem,

nem, quae a Syene, superioris Aegypti urbe ultima austrum versus, in longam porro tenditur amplitudinem; convenit fere inter omnes; vid. not. ad Genes. X, 6. et *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 346. Iis qui מֵעֵבֶר לְנַהֲרֵי־כוּשׁ *trans flumina Cuschae* habitant intelliguntur Aethiopes et Zeph. III, 10. *Fluminibus Cuschae* sunt qui *Nilum* intelligant, quem *Aethiopiae fluvii*, in eum influentes vehementiorem efficiant; et *terram trans Nilum* Aegyptum hic nuncupari putant. Parum quidem probabile. Nam Aegyptus non est *trans* Nilum, sed *ad* Nilum; nec adtinebat, hunc fluvium in describendâ Aegypto ab Aethiopia denominari. Sed *terrâ ultra flumina Cuschae* sitam non dubium est significari partem eam veteris Aethiopiae, quae dici jam solet *Nubia*, utpote vicinam Aegypto, et in qua tum *Sabacon*, pater *Taraconis*, tum Aethiopum ceteri, quorum meminit priscae Aegypti historia, imperii sedem habuerunt, ubi Aegyptum subjugarunt. Recte vero monet Aurivillius, non esse h. l. penitus excludendam Aegyptum, sed denominationem factam esse e regione, quae principes dederat, non jam Nubiae modo, sed et Aegypto dominantes. Aethiopes enim tunc Aegypto imperasse, testantur Herodotus *Historiar.* Lib. II. p. 170. ed. Wesseling. Diodorus Sicul. *Bibl.* Lib. I. p. 75. edit. Wesseling. et Manetho apud Eusebium in Chronicis. Cf. libr. nostr. supra memoratum Vol. III. p. 316. seqq. Hieronymus hoc Versu „sive No, Aegypti civitatem, quae nunc Alexandria dicitur, sive Aegyptum" describi existimat. „Ipsa enim," addit, „est terra, quae est *trans flumina Aethiopiae*, id est, trans rivos Nili fluminis, quem de Aethiopia in Aegyptum fluere nemo dubitat. Et est hic ordo pulcherrimus, ut quomodo in priori visione [Cap. XVII.] sermo propheticus Damasco minabatur, quod decem tribus in illa habuerint auxilium, misericordiam Dei non rogantes, sit etiam nunc Aegypto vastitas praedicetur, ob cujus auxilium Dei neglecta sit invocatio." Quam Hieronymi sententiam repudiandam esse, docent quae supra disputavimus.

2. Verba

2. Verba הַשֹּׁלֵחַ בַּיָּם צִירִים consentiunt fere vertenda esse: *mittens per mare nuncios.* הַשֹּׁלֵחַ referendum ad praecedens Vs. 1. אֶרֶץ, quod, quia non tam tellurem ipsam hic notat, quam populum, vel etiam imperantem, construi poterit cum voce masculini generis. Cf. C. B. Michaelis *Dissertat. de Soloecismo Generis ab Synt. S. Cod. Ebr. depulso,* §. XXVIII. Nec igitur erat, cur Henslerus pro הַשֹּׁלֵחַ efferre mallet in Hophal הֻשְׁלַח, *man sendet Boten über's Meer.* יָם, *mare,* sumi potest vel latius, pro *sinu Arabico,* cui adjacet tum Aegyptus tum Nubia, vel strictius pro *Nilo,* quem יָם dici solitum Hebraeis, videbimus ad Cap. XIX, 5. צִירִים jam olim vertit Chaldaeus, Syrus et Latinus: *legatos, nuncios.* Suadent hoc quoque loca Jesaj. LVII, 9. Jerem. XLIX, 14. Obad. 1. Prov. XIII, 17. XXV, 13. Cf. Michaelis *Supplemm.* p. 2088. Bochartus צִירִים *imagines* vertit, ut infra XLV, 16., et intelligi vult papyraceum caput Osiridis, quotannis, navigio ex papyro facto, ex Aegypto Byblum delatum. Quod ab hoc loco alienum. Verba וּבִכְלֵי־גֹמֶא עַל־פְּנֵי־מַיִם LXX reddiderunt: καὶ ἐπιστολὰς βιβλίνας ἐπάνω τοῦ ὕδατος, vel quod legerunt בִּכְלֵי, *confusum, complicatum,* a כָּבַל, *vincire;* constat enim, papyrum ex hujus fruticis philyris compactis esse paratum, quae J. E. Fabri est conjectura in not. ad (Harmeri) *Beobacht. über den Orient.* P. II. p. 125.: vel quod contulerunt Arabicum بَكَلَ, quod in Conjug. V. significat *sermonem confusum protulit,* unde Aurivillius conjicit, olim id verbum adhibitum esse in *litteris* raptim et celeriter scribendis. Quicquid autem Alexandrini legerint, illud tamen certum est, illorum interpretationem multis adeo placuisse, ut putarent, prophetam alludere ad superstitiosum Adonidis cultum, quo ejus reditum in vitam Alexandrini Bibliensibus epistola vasi inclusa et mari injecta nunciassent. Verum si et Jesajae aevo receptus fuerit hic ritus, quod perquam incertum est, tamen parum est verisimile, vatem illam ceremoniam respexisse. Symmachus, Aquila et Theodotion, cum Latino et Syro ad litte-

litteram verterunt: *in vasis papyraceis.* Sed vix dubium intelligi *navigia,* quae ex *papyro* (vid. ad Exod. II, 3.) contexta fuisse ab Aegyptiis Plinius docuit et Theophrastus, nec non Plutarchus in libro *de Iside et Osiride*, quorum scriptorum verba attulimus ad Exod. II, 3. Addendus Lucanus *Pharsal.* Lib. IV, 36.

— — Cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Cf. libr. nostr. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 349. Apud vatem nostrum vero haec verba pertinent ad descriptionem ejus terrae vel populi, quem in mente habuit, commercia cum gentibus finitimis navigatione sustinentis. Alloquitur vates nuncios, qui ad populum illum longe remotum perferre debent quae Jova decrevit, Vs. 4. לְכוּ מַלְאָכִים קַלִּים *Ite leves nuntii!* Nempe fuerunt cymbae papyrinae mirae levitatis. Refert Achilles Tatius, majores non fuisse, quam ut singulos vectare possent. Si aliusmodi fuerint, limo praepeditae retentae essent. Verbis אֶל־גּוֹי מְמֻשָּׁךְ וּמוֹרָט iisque quae sequuntur describitur populus ille, ad quem nuntii mittendi tanquam validus et formidabilis. In explicandis singulis dictionibus magna varietas. גּוֹי מְמֻשָּׁךְ J. D. Michaelis vertit *gentem excoriatam*, a מֶשֶׁךְ *corium*, quod forsan et respexerunt Chaldaeus, עַמָּא אֲנִיסָא, *populus vim patiens*, Syrus, ܥܡܐ ܕܡܛܠܡܐ *populus vexatus* (cf. J. D. Michaelis ad Castelli *Lexic. Syr.* p. 502.), et Vulgatus, *gens convulsa.* Doederlein in Nota ad h. l.: „Mihi olim suspicio suborta, annon possit verti: *gens distortis cruribus.* Graecis quidem διεστραμμένοι sunt, qui pedes habent incurvos. Sic apud *Pausaniam* in descriptione *arcae Cypseli* occurrunt παῖδες διεστραμμένοι πόδας, quos elegantissima praelectione *Heynius* pueros varis cruribus esse monstravit. מוֹרָט si a מָרַט deducatur, nationem signat *depilem, glabram,* idque de Aegyptiis exponunt, quos Herodotus II, 47. testatur saepe solitos fuisse pilos corporis abradere. Equidem referrem ad radicem وَرِطَ, ירט, *lutosus fuit; gens lutosa* erit gens

fuſci coloris. Utrumque de Aethiopibus dici poteſt. De colore nemo dubitat; de *incurvis cruribus* dubitarem ipſe, niſi Ariſtoteles et Petronius et recentiorum peregrinantium relationes fidem facerent. Ariſtoteles quidem in *Problem.* Sect. 14. Quaeſt. 10. disquirit: *Διὰ τί Αἰθίοπες καὶ Αἰγύπτιοι βλαῖσοι εἰσίν; διότι ὑπὸ θέρμου διαστρέφεται τὰ τῶν ζωῶν σώματα.* Petronius autem *Satyric.* c. 102. genuinum, ut reſectum praeputium Judaeorum, ita Aethiopum characterem crura in orbem diſtorta haberi, haud obſcure prodit. Denique quasdam Aethiopum a Guineae ore usque ad promontorium nigrum habitantium familias varis cruribus diſtingui Schreberus ex *Hiſtor. Itinerarior. Univerſ.* T. IV. p. 122. ſeq. obſervat. Haec quidem in priore verſionis noſtrae editione propoſueram. Addo novam conjecturam. גּוֹי מְמֻשָּׁךְ *gens protracta* Aethiopes vocari videntur, quorum tum imperium latiſſimum fuit." A מָשַׁךְ, *protraxit, in longum tetendit*, et alii gentem indicari putarant longe protractis tenſisque habitantem finibus, hoc eſt ampliſſimam. Similiter Vitringa *gentem in longum protenſam* vertit, ſed *Aegyptios* intelligit, quod terra eorum a Septentrione verſus Auſtrum juxta utramque Nili ripam in longum quaſi protracta et habitata eſt. Quod Dathius etiam comprobavit. Koppe מְמֻשָּׁךְ, *in longum protenſus*, de *ſtatura corporis procera* intelligit. Id fortaſſe jam Alexandrini ſpectarunt, qui verterunt: *ἔθνος μετέωρον.* Gentibus remotis et parum cognitis veteres ſaepe immenſam corporis ſtaturam adfingere ſolebant. Sed recte A. Schultensio in *Animadverſſ. ad Job.* XXVIII, 18. in *Opuscull. minorr.* p. 63., גּוֹי מְמֻשָּׁךְ eſt *gens valida et inacceſſa;* collato Arabico مشكى, proprie *cohibere*, deinde *inacceſſum eſſe*, de viris bello claris et heroibus, *fortitudine;* unde مشكة, *vir fortis, validus, ſtrenuus.* מורט Alexandrini *ξένον*, Chaldaeus בְּזִיזָא, *direptum*, Syrus ܡܣܚܦ, *evulſum*, Vulgatus *gentem dilaceratam* reddiderunt. Recentiores fere omnes *gentem raſam, depilem, glabram* vertunt a מָרַט, vid. ſupra Doederlinii notam.

notam. Aurivillius: „מוֹרָט, Participium conjugationis Hophal, polita vocali Cholem pro vulgatiori Schurek, e primitivo ורט, quod servarunt Arabes in significatu *profundi, depressi, occulti, invii;* liceat proinde interpretari gentem *disjunctam longius semotamque;* tametsi nec magnopere abnuero, si quis *asperam* et *saevam* maluerit, quum et وَرْطَةٌ וַרְטָה, ipsi Arabes explicent كُلُّ أَمْرٍ تَعْسُرُ ٱلنَّجَاةُ مِنْهُ *rem omnem, e qua eripi, quamque evadere, quispiam difficulter possit.*" Sunt verba Firusabadii in Lexico *Camus* dicto p. 977. edit. Calcutt. Hinc apud Golium in *Lex.* p. 2655. وَرْطَةٌ inter alia *quicquid metuendum, et e quo vix effugi potest.* Ita per מוֹרָט h. l. reliquis epithetis convenienter populus validus et formidabilis describetur. Gesenius מוֹרָט *acrem, mobilem, vehementem* significare existimat, collato Ezech. XXI, 9. 11. (al. 14.) חֶרֶב הוּחַדָּה וְהִיא מֹרָטָה *ensis exacutus et glabratus*, quod posterius epitheton tamen sublata aerugine politum denotat. Nec altera quam proponit interpretatio, qua מוֹרָט ut nomen a verbo יָרַט *praeceps, periculosus*, collato ورط in Conjug. II. IV. *conjecit; praecipitem dedit in exitium deductum, perniciem* denotet, et עַם מוֹרָט sit *populus exitium afferens*, huic loco apta videtur. Verba עַם נוֹרָא מִן הוּא וָהָלְאָה plerique vertunt: *populus terribilis a quo fuit et usque*, deinceps, i. e. omni tempore. Ita virtutis bellicae laus, qua Aethiopes a vetustis inde temporibus inclaruerunt, significabitur. De tempore הָלְאָה Levit. XXII, 27. Num. XV, 28. dicitur; de loco 1 Sam. X, 3. XX, 22. Hinc Koppe verba nostra sic interpretatur: *ultra hujus populi* (גּוֹי מְמֻשָּׁךְ וּמוֹרָט) *fines ulterius* progrediantur nuncii ad populos alios ferociores etiam. Gesenius duos h. l. populos distingui observat, quorum remotior, cujus terram flumina permeant, ut sequitur, Aethiopia proprie sic dicta sit, unde Tirhaka ortus erat; alter vero populus sit ea Aegyptiorum pars, quae sub ejus

imperio fuit. גוי קו־קו Alexandrini reddunt ἔθνος ἀνέλπιστον, *gentem absque spe*, Aquila, ἔθνος ὑπομένον, *gentem tolerantem*, Vulgatus, *gentem exspectantem*. Arcessiverunt significationem vocis a קָוָה, *exspectare*. Chaldaeus אֲנִיסָא *vim patientem*, Syrus, ܡܣܟܒܢ ܥܡܐ *populum foedum*. Quoniam קַו, quod proprie *funem extensam*, tum *lineam* significat, et deinde transfertur ad significationem *regulae*, *mensurae*, *praecepti*, cf. infra XXXIV, 11. 17. 2 Sam. VIII, 2. 2 Reg. XXI, 13. Thren. II, 8.; Vitringa vertit: *gens praecepti et praecepti*, qua appellatione Aegyptios insignitos putat ob ceremoniarum, quae superstitio eis imponebat, infinitam multitudinem. J. D. Michaelis olim interpretatus erat: *gens dimensionis fune*, i. e. gens, cujus terram victores inter se diviserunt. Sed in *Adpend. ad Tom.* XIV. *Biblioth. Orient.* p. 26. 27. et in *Supplemm.* p. 2170. legere mallet קוּקוּ, quod pro nomine regni *Kuku* in Africa habet, ab Edrisio, vulgo Geographo Nubiensi, Clim. 1. Sect. III. p. 16. text. Arab. descripti. Doederlein olim verterat: *gens sub linea sita*; sed postea ei magis arrisit: *populus, qui fune utitur*; quod poetice dictum putat de gente, quae alienas provincias occupat et fune dividit. Aurivillius קו־קו referendum arbitratur ad radicem קָוָה, Arabibus قوي, quae proprie denotat *complicare*, *congregare*, indeque *robustum esse* tum corpore, tum animo. „E *complicando*," inquit, „et *contorquendo* orta nomini קו significatio *fili* primum, dein *normae*, *regulae*, sed quae parum huc videtur quadrare. Cognatum et tritissimum Arabibus قُوَّة, *robur*, *virtus*, *potentia*, sensum dabit facilem, minimeque ineptum, si גוי קו־קו vertatur *gens multi magnique roboris*; nam geminatio vocis auget significationem." Quae interpretatio sola huic loco convenit, quamvis ceteris V. T. locis, quibus קו legitur, *funem mensorium*, hinc *regulam*, *normam* denotare constet. וּמְבוּסָה *Et gentem conculcationis*, alii sumunt active, ut designetur *populus*, qui omnia conculcat et subigat, alii passive, de *populo a victore proculcato*,

culeato; i. e. duriter tractato. Sed recte obſervat Aurivillius, non eſſe dubium, quin deſignetur *gens fortitudine inſignis*, quae ſolita ſit alias *conculcare*, id eſt *devincere*; nam hoc ſenſu uſurpari verbum בּוּס, docent loca Jeſaj. XIV, 25. LXIII, 6. Pſ. XLIV, 6. LX, 14. J. E. Fabri interpretationem (in nott. ad Harmerum T. II. p. 314.), *gens limosa*, i. e. cujus terra quotannis Nili limo obducitur; et Dathii: *terra calcans*, quod Aegyptii ſolerent Nilo in alveos ſuos regreſſo pecudes in agros ſeminatos agere ad ſemina conculcanda; retuliſſe ſatis erit. Verba אֲשֶׁר־בָּזְאוּ נְהָרִים אַרְצוֹ ſive vertas *cujus terram fluvii diripiunt*, i. e. inundant, ut בָּזָא idem ſit quod בָּזַז, quod plerique et veteres et recentiores interpretes ſumunt, quum et alia verba tertiae radicalis א et ה cum verbis geminatae ſecundae radicalis conveniant, et hoc loco quatuor codices Kennicotti בזזו exhibeant; ſive cum A. Th. Hartmanno (*Linguiſtiſche Einleitung in das A. T.* p. 73.), collato Chaldaico בְּזַע (א et ע permutatis, ut in גְּמָא *abſorpſit*) *ſcidit*, *dilaceravit*, *diffidit*, hebraica ſic transferas: *cujus terram fluvii ſcindunt*, dilacerant, utrumque deſcriptioni Aethiopiae convenit, quam terram multi et magni fluvii permeant, qui aeſtivis pluviis aucti regionem longe lateque inundant, et curſus ſui impetu arbores petrasque abripiunt, et terram vaſtant. Vid. quae ex Itinerariis attulimus in *der bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 348. Schultensius in *Inſtitutt. ad Lingu. Hebr.* p. 491. „Radicem בָּזָא, inquit, olim extare potuiſſe, quis negat? Si cognatum quid ſectandum erat, ad בָּזָה, *contemſit*, potius decurrendum fuiſſet: ut בָּזְאוּ pro בָּזוּ ſit enunciatum, vel בָּזְיוּ. Digna phraſis: *flumina contemnunt terram*, i. e. inundant.“ Vir quidam doctus, cujus verba Lowthus refert, contulit Syr. ܒܙܐ, et Chald. בִּיזָא, *mamma*, vertitque, *cujus terram flumina nutriunt*, i. e. irrigant. Sed in voce illa Aramaea א non eſt littera radicalis, unde cum noſtro verbo conferri non poteſt. Simonis in *Lex. Hebr.* collato Arabico بَزَأَ, *extulit ſe ſuperbius*, item *ſubjecit ſibi*, vertit: *ſub-*

jeverunt

jecerunt ſibi, i. e. inundarunt. Alia relatu vix digna tentamina vid. in Michaelis *Supplemm.* p. 581. ſeqq. Veteres eum populum, ad quem nuncii mitti jubentur, unanimi conſenſu populum Hebraicum exiſtimant. Chaldaeus: אֵזִילוּ אִזְגַּדִּין קַלִּילִין לְוַת עַמָּא אֲנִיסָאָה וּבְזִיזָא לְוַת עַמָּא דְּתַקִּיף מִבְּכֵן וּלְהַלָּא עַמָּא אֲנִיסָא וּבְזִיזָא דְּבָזוּ עַמְמַיָּא אַרְעֵיהּ *Ite, nuncii veloces, ad populum vim patientem et direptum, ad populum, qui jam olim et deinceps potens fuit, populum oppreſſum et direptum, cujus terram diripuerunt pŏpuli.* Syrus: ܐܙܠܘ ܐܝܙܓܐ ܩܠܝܠܐ ܠܘܬ ܥܡܐ ܕܡܬܟܫܦ ܘܡܬܡܪܛ܆ ܠܘܬ ܥܡܐ ܕܚܝܠܐ ܡܢܗ ܘܠܗܠ ܥܡܐ ܕܡܬܡܟܟ ܘܕܝܫ ܕܒܙܘ ܢܗܪܘܬܐ ܐܪܥܗ *Abierunt nuncii celeres ad populum intortum et evulſum, ad populum, a quo robur longe disſitum eſt, populum foedum et conculcatum, cujus terram flumina diripuerunt.* Saadias: يَقُولُ اِمْضُوا يَا رُسُولُ مُسْرِعِينَ إِلَى ٱلْقَبِيلِ ٱلْمُتَجَذِّبِ ٱلْمُنَتَّفِ ٱلَّذِي يَصِيرُ مُخَوِّفَةً مِنَ ٱلْآنِ وَهَلُمَّ إِلَى ٱلْقَبِيلِ ٱلْمَهُوسِ ٱلْمَدْهُوقِ ٱلَّذِي غَنَمَ بَلَدَهُ قَوْمٌ شِبْهُ ٱلْأَنْهَارِ *Dicit: ite, o nuncii celeres, ad gentem extenſam, pilis evulſis, qui formido eſt facta dehinc; et age! ad gentem fractam et percuſſam, cujus regionem praedatus eſt populus fluminibus ſimilis,* quo non dubium eſt interpretem intellexiſſe Aſſyriam. Hieronymus: *Ite, angeli veloces, ad gentem convulſam et dilaceratam; ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius; ad gentem exſpectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.* Quae in Commentario ita expoſuit: „De Alexandria, quae tunc No vocabatur, legati miſſi ſunt Hieroſolymam, quibus Aegyptii ſuum Judaeis auxilium promittentes dixerunt: *Ite velociter ad* Judaeo-

rum

rum, *gentem convulſam*, *et* Aſſyriorum impugnatione *laceratam*, *ad populum* quondam *terribilem*, qui Dei utebatur imperio, ad cujus potentiam nullus alius comparandus eſt, ad gentem, quae Dei ſemper exſpectabat auxilium, et nihilominus ab hominibus conculcatur, *cujusque terram flumina*, id eſt, diverſi reges, depopulati ſunt." Videntur haec Hieronymo a magiſtro ſuo Hebraico tradita fuiſſe. Ab illa explicatione haud longe discedit Kimchi, qui poſt memoratam Aſſyriorum cladem (Cap. XVII.) prophetam ſubjungere dicit deſcriptionem ſalutis magnae, quae Meſſiae temporibus futura ſit. Aethiopiae regem miſſurum eſſe nuncios ad Hebraeos, ab aliis populis distractos et depilatos, qui olim populum formidabilem effecerint, ob ſumme admiranda, quae inter eum Deus perpetravit, quem vero paulatim conculcarint nationes. Sed quo minus populum, qui hoc Verſu deſcribitur, Hebraeum exiſtimemus, vetat Verſus 7., quo populus, qui iisdem, quibus hoc Verſu, epithetis deſcribitur, ad montem Zionem et templum ut munus Jovae offerendum adductum iri dicitur.

3. Quisnam in hoc Verſu loquatur, dissentiunt interpretes. Sunt, qui *Dei* verba exiſtiment, exercitus hoſtilis ſtragem omnibus terrae gentibus notum facientis. Sed Jova Verſu demum ſequenti loquitur. Alii, ut Aurivillius, haec verba eſſe putant legatorum Aethiopum, Africae gentes excitantium, ut ſeſe ad bellum contra Sanheribum pararent. Doederlein: „bellum Aethiopum genti demandatum eſt, cujus eventum reliquae gentes anxie exſpectant." Sed recte monet Vitringa, vatem Jovae juſſu omnes gentes excitare, ut adtendant ad cladem illam, qua conſtituerit ille compeſcere ferociam atque arrogantiam Aſſyrii, vaſta animo volventis conſilia. כִּנְשֹׂא־נֵס *Cum ſuſtulerit ſignum* ſcil. imperator hoſtilis. הָרִים videtur pro בֶּהָרִים ſive עַל־הָרִים, *ſuper montibus*, poſitum. Signum autem in montibus erigere, et tuba clangere, idem valere, ac milites ad arma cogere, diſcimus apud noſtrum Cap. V, 26. XIII, 2., tum

et Jerem. LI, 27. Jud. VI, 34. Sensus itaque est: cum hostis exercitum magnum nunc cogit, vos omnes attendite, quid Jova faciat.

4. אֶשְׁקוֹטָה וְאַבִּיטָה בִמְכוֹנִי *Tranquillus ego sum et despicio meo in habitaculo*, summo in coelo, divinae majestatis sede, מְעוֹן קָדְשׁוֹ, est Zachar. II, 17. Ps. LXVIII, 6. Ad אֶשְׁקוֹטָה ad marginem Bibliorum notatur ויתיר ו' *abundare Vau*, ut אֶשְׁקֳטָה legendum sit. Jova quietus spectat hostium molimina. Similitudo ducta est ab homine, suarum rerum ita provido et certo, ut nullo moveatur eorum, quae inciderint metu ac sollicitudine; qui sua sibi ope suisque viribus sufficit, et quietus usurpat oculis, quae alibi agantur. Quae quieta in Jova suae potentiae fiducia illustratur porro gemina imagine. Altera, כְּחֹם צַח עֲלֵי־אוֹר, *caloris instar sereni juxta lucem*, h. e. ubi solis splendorem nulla vel nubecula *intercipit*, ubi silent venti, *sudumque* per aera vix lenissime sentiuntur spirantes aurae. Altera, כְּעָב טַל בְּחֹם קָצִיר, *rorantis nubis instar fervida sub messe*, quandoquidem neque tempestati ulli locus, stillante rore, est, sed et summa regnat quies. Ita haec verba exponimus cum Aurivillio. Sed alii plerique interpretes multis agunt, ut sive ex utraque, sive ex alterutra illa similitudine, hinc vindictae minas in hostes, hinc promissum de tuendo Dei populo eliciant. Ita Vitringa: *ut calor serenus super olus* (quasi אור idem significaret ac אוֹרָה, 2 Reg. IV, 39., cui *oleris* significatum tribuunt), *ut nubes rore stillans tempore messis*, i. e. ut calor sudi, aut nubes rore stillans fructus agrorum recreat, ita ego populum meum, praestito auxilio. Doederlein: *equidem tranquillus e sede mea specto tum aestum, adurentem olera, tum roris nubeculas tempore aestivo*, et in nota addit: „*Aestus* calamitatis imago est, *ros* refrigerii; hinc sensus: Deus spectat omnes fortunarum vicissitudines, quas Judaei experturi essent.“ Kocherus: *quietus in mea sede adspiciam: (futurus) tanquam aestus ad solem fulgidus* (torrensque his), *ut nubes rorans per*

aestum

aestum messis (his). Sed vere Aurivillius monet, e priori hemistichio petendam esse rationem superadditae, in altero, utriusque similitudinis, illuc potissimum tendentis, ut quam sit in Deo statutorum amoenissime consentientium liquida auctoritas. Ceterum pro בְּחֹם קָצִיר in pluribus codicibus legitur בְּיוֹם קָצִיר, *tempore messis*, consentientibus Alexandrinis, Syro et Vulgato, sensu nihil discrepante. Hieronymus hunc Versum ita enarrat: „Quid est quod loquutus est Dominus ad prophetam? Hoc quod sequitur: donec veniant quae praecepi in mea sede requiescam, ut Judaei putant, in templo, ut nos, in coelestibus. Et considerabo, inquit, qui rerum finis adveniat. *Sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis.* Sicut in toto die nihil est clarius meridie, quando sol de medio coelo rutilat et omnem orbem pariter illustrat, et sicut in aestu et calore torrente, quando nudus messor excoquitur, et operis *magnitudinem anhelitus probat*, gratissima est roris temperies, si arentes stipulas matutinus humor secabiles faciat; ita meus sermo, quem considerabo in loco meo, cunctis in me credentibus gratus adveniet." Chaldaeus: אֲרֵי כִדְנַן אֲמַר יְיָ לִי אֲנִיחַ לְעַמִּי יִשְׂרָאֵל וְאַשְׁקֵיט לְהוֹן וְאֶתְרְעֵי בְּמָדוֹר קוּדְשִׁי לְאוֹטָבָא לְהוֹן בִּרְכָן וְנֶחָמָן אַיְתֵי לְהוֹן בִּפְרִיעַ כִּשְׁחִין פַּצַח עַל שֶׁמֶשׁ כַּעֲנָן טַל בִּשְׁחִין חֲצַד *Nam ita dixit mihi Dominus: requiescere faciam populum meum Israel, quiescere faciam eos, et placebit mihi in habitaculo sancto meo, ut eis benefaciam; beneficia et consolationes adferam eis cito, sicut aestum serenum propter solem, sicut nubem roris in aestu messis.* Saadias: لأَنَّ كَذَا قَالَ ٱللّٰهُ إِلَيَّ وَقَوْمِي سَأُقِرُّ قَرَارًا وَٱلْتَفِتُ إِلَى مُنَاوَبِيَّ فَأَجِدُهُ كَرَفَاءٍ مُلَخَّصٍ يُضْحِي بَعْدَ مَطَرٍ وَكَغَيْمِ أَنْدَاءٍ فِي حَمَّةِ ٱلْحَصَادِ *Propterea ita dixit Deus mihi et populo*

populo meo: quieſcam quieſcendo, et reſpiciam ad meos habitatores (ſ. *congregatos meos*), *et invenio eos ſicut tranquillitas fulgoris ſerena eſt poſt pluviam, et nubes roris in aeſtu meſſis.* אוֹר *pluviam* interpretatus eſt, uti alii ex Hebraeis Job. XXXVI, 22. Job. XXXVII, 11. (ad quem loc. vid. not.), et h. l. Juda Ben Kariſch in Lex. manuſcripto, cujus verba Geſenius in Commentar. affert.

5. Loquitur jam vates: כִּי לִפְנֵי קָצִיר *ante tempus meſſis*, i. e. vindemiae, antequam colligi potuere maturae uvae; כְּתָם־פֶּרַח, *abſoluto germine* ſeu *gemma*, editis dudum rudimentis orituri inde floris fructusque; וּבֹסֶר גֹּמֵל יִהְיֶה נִצָּה *et omphax matureſcens factus ſit flos*, quae verba trajecta eſſe apparet, Subjecto, quod dicunt, poſteriore loco poſito, pro eo quod dici deberet: וְכַאֲשֶׁר נִצָּה תִּהְיֶה בֹּסֶר גֹּמֵל *et quando flos evaſerit omphax matureſcens*, flos abierit in omphacem matureſcentem: יִהְיֶה genere hic convenit praedicato praemiſſo, non ſubjecto ſequenti, ut appoſite monuit Kocherus. Cujusmodi Ciceronis illud: *non omnis error ſtultitia eſt dicenda;* et Terentii: *Amantium irae amoris redintegratio eſt.* Itaque hic dicere licet: qui modo flos fuerat, omphax facta eſt. N. G. Schroederus in *Obſervatt. ad Origg. Hebrr.* p. 137. נִצָּה refert ad نَضَّ *micare*, et in ſubſidium vocat cognatum نَوْضٌ, quod de *fructu* qui matureſcens *ſplendet* Arabibus uſurpatur, ut נִצָּה h. l. non *florem* ſignificet, ſed *uvam ſplendentem*, qualis eſt inde ab eo tempore, quo ad maturitatem propius accedit. Sed, ut taceamus, Job. XV, 33. nomen נִצָּה de olivae *flore* dici, noſtro loco quum tres quae adhibentur phraſes omnes *unum* tempus ſignificent; id nimirum, quo vitis in ſummo vigore poſita eſt, fructusque *matureſcentes* (nondum *maturi*) laetam vindemiam certo promittunt; prior illa interpretatio praeferenda videtur. וְכָרַת הַזַּלְזַלִּים בַּמַּזְמֵרוֹת *Et exſcindet* vel: *exſcindens* Deus, כָּרַת, i. e. exſcindentur *palmites falcibus*, וְאֶת־הַנְּטִישׁוֹת הֵסִיר הֵתַז *et*

pro-

propagines dimovebit amputando, i. e. quemadmodum in vinea si quis, nondum peracta vindemia, nec dum plene maturis uvis, vitium palmites ac propagines absciderit, proventus vini futurus nullus est, colonique spes omnis interibit; sic Deus hostes, antequam victoriarum fructus poterunt decerpere, funditus delebit. Chaldaeus: וִיקַטֵּל שִׁלְטוֹנֵי עַמְמַיָא בְּחַרְבָּא וְיָת תַּקִּיפֵיהוֹן יַעְדֵּי וְיַעְבַּר *et occidet principes populorum gladio, et fortes eorum auferet et transferet.* Hieronymus: „Quomodo ante maturitatem segetes erumpentes cito pereunt, et antequam perfectio temporis veniat germinantes inutiles sunt; sic, inquit, Aegyptii [Assyrii] populi quasi rami inutiles falcibus praecidentur, et cunctae propagines nudabuntur." Verbum הֵתַז a תָּזַז, ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων, Hebraei explicant per כרת *exscindere*, et Graecus Alexandrinus per ἀποκόπτειν.

6. Oratio figurata in propriam convertitur. Ac patet quidem haud obscure, palmites ac propagines ante messem in vitibus amputandas, designare duces militesque hostilis exercitus, qui dum maxime meditabantur victoriam, communi caede disjicerentur. Horum igitur cadavera, ait, יֵעָזְבוּ יַחְדָּו לְעֵיט הָרִים וּלְבֶהֱמַת הָאָרֶץ *erunt relinquenda rapacibus montium volucribus et feris terrae*, futura ἑλώρια κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσι, ut est in Homero. Cf. Ezech. XXXII, 4. XXXIX, 4. Quae sequuntur, וְקָץ עָלָיו הָעַיִט וְכָל־ בֶּהֱמוֹת הָאָרֶץ עָלָיו תֶּחֱרָף Hieronymus recte ita interpretatur: *aestate perpetuo erunt super eum volucres et omnes bestiae terrae super illum hyemabunt*, i. e. rapaces volucres et ferae bestiae per aestatem et hyemem, i. e. per totum annum, hostium caesorum cadavera pascentur. Neque enim, recte monente Gesenio, haec ita sunt capienda, ac si volucres aestate, bestiae ferae hyeme cadaveribus sint insessurae. קָץ et חָרַף esse verba denominativa a קַיִץ *aestas* et חֹרֶף *hyems*, non est quod dubitemus. Praeter Hieronymum illa sic cepit et Chaldaeus, qui בְּקֵיטָא יְהֵי שָׁרֵי *in aestate habitabit* (super eum omnis avis) et וְעָבְרוּן סִתְוָא *agent hyemem*,

atque

atque Saadias, qui يَصيف *aestate commorabitur,* et يُشَتِّي *hyemabit* posuit. Sensum minus accurate expressit Graecus Alexandrinus: *συναχθήσεται ἐπ' αὐτοὺς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ πάντα τὰ θηρία τῆς γῆς ἐπ' αὐτὸν ἥξει:* nec Syrus, in quo legitur: ܘܢܬܟܢܫܘܢ ܥܠܝܗܘܢ ܦܪܚܬܐ ܘܟܠܗ ܚܝܘܬ ܕܒܪܐ ܥܠܘܗܝ ܢܪܓܙܘܢ *congregabitur super eum volucris et omnes bestiae agri indignabuntur eum.* Cepit interpres verbum חָרַף *probris afficiendi* significatu, qui huic loco minime aptus est. Ita tamen et ABARBENEL, qui קָץ per ימאסו ולא ירצו לאכלם, *aspernabuntur nec volent ea comedere* explicat, et חָרַף e Jobaeo illo Cap. XXVII, 6. לֹא יֶחֱרַף לְבָבִי מִיָּמָי *non probro afficit, condemnat, cor meum partem vitae meae ullam.* Similiter AURIVILLIUS: *nauseabundae detestabuntur illos volucres, et ferae bestiae illos designabuntur,* fastidient. Qua significatione tamen חָרַף nusquam usurpatur. Pronomen suffixum singulare in utroque עָלָיו est collective de propaginis abscissis et projectis (Vs. 5.), quibus caesi hostes comparantur, est capiendum.

7. בָּעֵת הַהִיא יוּבַל־שַׁי לַיהוָה צְבָאוֹת עַם וגו׳ *Isto tempore,* quo deletus hostis volucribus bestiisque feris in praedam cedet, *adducetur munus Jovae, exercituum* domino, a *populo,* qui mox describitur iisdem verbis ac Vs. 2. ־אֶל מְקוֹם שֵׁם־יְהוָה צְבָאוֹת הַר־צִיּוֹן *Ad locum nominis Jovae, domini exercituum, montem Zionis.* Ad vocem עַם, priori loco positam, omissum praefigendum מִ, e sequentibus supplendum sensus edocet, praesertim quum per integrum Versum de una eademque agi gente, quae munera mitteret, fit clarissimum. Syrus vertit: *illo tempore populus — munera offeret* (ܢܩܪܒ), quasi pro יוּבַל legisset in Hiphil יוֹבִל sive יוֹבַל. Sed qui ita efferre volunt, ii etiam pro מֵעַם נוֹרָא legere וְעַם נוֹרָא necesse habent.

Cap. XVII, 12. *O nationum multarum turbarum, marini more tumultus tumultuantium! O populorum murmur, ritu murmuris vehementium aquarum murmurantium!*

13. *Qui populi ritu murmuris aquarum multarum murmurantes, illo increpante fugient procul, agitati velut montana vento stipula, aut floccus turbine.*

14. *Sub vesperum ecce! terror ingruet, ante matutinum nusquam erunt. Hoc est eorum fatum, qui nos depopulantur, haec sors eorum, qui nos depraedantur.*

Cap. XVIII, 1. *O terra tinnitus alarum, trans Aethiopiae sita fluvios!*

2. *Quae mittis per mare legatos, idque in scirpeis per aquam navigiis. Ite veloces nuncii! ad gentem validam et formidabilem, ad gentem omni aevo terribilem, ad gentem perquam robustam atque conterentem, cujus terram flumina diripiunt.*

3. *O omnes orbis incolae, terrarumque habitatores, elato montano signo adspicite, et clangente tuba audite!*

4. *Sic enim dicit mihi Jova: quiescam, inque mea statione spectabo ut serenus aestas splendente lumine; ut roscida nubes in calore messis.*

5. *Sed ante messem, absoluto germine, cum flos abierit in omphacem maturescentem, abscindentur sarmenta falcibus, exsectique palmites auferentur.*

6. *Relinquentur montanis alitibus et bestiisque terrestribus, superque eis et alites aestivabunt, et terrestres omnes hyemabunt bestiae.*

7. *Eo tempore adferentur Jovae, agminum Deo, munera a gente valida et formidabili, a gente omni aevo terribili, a gente perquam robusta atque conterente, cujus terram flumina diripiunt, ad locum nominis Jovae, agminum Dei, ad montem Zionem.*